Scan. L. Fil. V. No. 28.

5, 4, 4, 4,

B. c. 1067.

Digitized by Google

DE HISTORIA TERRACINENSI LIBRI QUINQUE.

AUCTORE

Perilluſtri, ac Excellentiſſimo Domino

DOMINICO ANTONIO CONTATORE

Doctore Phyſico, & Cive Terracinenſi.

Eminentiſsimo, & Reverendiſsimo Domino

LAURENTIO CORSINO

S.R.E. CARDINALI AMPLISSIMO,

PROTHESAURARIO GENERALI

SS.D.N. CLEMENTIS PAPÆ XI.,

Necnon Proventuum Civitatis Terracinæ Generali Adminiſtratori.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

ROMÆ, MDCCVI.

Apud Aloyſium, & Franciſcum de Comitibus Typographos Camerales.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Eminentiſsime Domine.

OBSEQUENS tuis nutibus ſiſto tibi, Princeps Eminentiſſime, Terracinam, non eam tamen, quam annis ſuperioribus, dum Præſul, licet ſummus inter Præſules, eras, propriis oculis admodum venuſtè luſtraſti, ſed aliam nunquam auditam, neque ampliùs viſam, ejus videlicet antiqua monumen-

ta non modico mei tenuis ingenii labore ex ignorantiæ tenebris eruta, atque in quinque libros diſpoſita, & in publicum uſum deprompta, ac concinnata: Sunt hi præcoces fructus meæ adhùc vireſcentis ætatis; Eis, ſi aliquid ſylveſtre ſapiant, tuæ immenſæ Humanitatis eſt, gratum dulcedinis impertiri humorem, eoſdem à malignantium calumniis, obſtrepentiumque dicteriis tuendo, quos ideò tibi humillimè offero, ſubque feliciſſimis tuæ Protectionis auſpiciis in lucem prodire permitto.

Porrò exultat hodiè noſtrum opus, quod cum de rebus Terracinen. potiſſimum agat nullius inſultantis formidabit inſidias, omniumque cavillantium eludet contumelias, quoniam jam ſcit, quale apud te invenerit patrocinium: Diù mente, animoque oberravi, ut noſtris lucubrationibus aliquod tutum munimen adiicerem, te mihi meus bonæ memoriæ Genitor Arcis Terracinen. Caſtellanus, adeoquè tuis beneficiis cumulatiſſimus obtulit, verum perſtrictus multiplici fulgore, & tuæ ſummæ Nobilitatis, & eximiæ virtutis, & ſublimis Dignitatis verebar accedere; expulit tamen pavorem omnem ingenita tuæ generoſiſſimæ Menti Benignitas, qua vel humillima non deſpicis; fiduciam quoquè addidit ad implorandum tuum præſidium jamdiù explorata Humanitas, quam Terracina perpetuis laudibus celebrare non deſinit. Hæc etenim non te ſimplicem

ſuo-

ſuorum proventuum Adminiſtratorem experta eſt, ſed veriùs in rebus afflictis Tutorem acerrimum, in dubiis Conſultorem maximum, in neceſſariis piiſſimum Patrem ſemper agnovit, ac venerata eſt, cui parem adhùc non invenit, neque inveniet: Per te ſiquidem ſtetit, quominùs ipſa variis exagitata turbinibus non caderet, Adverſariorum jactata convitiis in præceps non daret. Quid mirum itaque ſi tibi hùc accedenti catervatìm univerſa effuſa eſt Civitas, floribus omnigenis conſperſum eſt ſolum, & Arx novis munita cuſtodiis extrà conſueta inſtrumentis reboabat ignivomis? Novit enim quantum decorem, ac ſplendorem ſub tuæ magnificentiæ, & munificentiæ auxiliis adepta ſit. Quippè antiquum, & hæreditarium eſt nobiliſſimæ Domui tuæ, & à majoribus tuis diuturna annorum ſerie poſſeſſum hoc ſceptrum infirmos tegere, abjectos erigere, & oppreſſos adjuvare, ſed in manu tua longè, auguſtiùs, cujus ſi vellem in tàm uberrimo argumentò explicare virtutes, ipſa rerum dicendarum copia meam obrueret orationem. Pace tua dixerim, Eminentiſſime Princeps, certatim tibi nupèr effudimus preces, Cęlumque ipſum aſſiduis oneravimus votis, ut tuæ exaltationis, quam communia omnium præſagia, privata ſingulorum ſtudia, & vota Regnatricis Urbis deſignaverant, fauſtiſſimo nos tandem bearet eventu, animoſque tibi addictiſſimos cunctis triſtitiæ nubibus diſcuſſis gau-

Digitized by Google

dio perennanti uberrimè perfunderet; atque repleret; tanta enim admiratione corripiebamur omnes, donec te in Sacro Purpuratorum Patrum Cętu adſcriptum non ſpectavimus, quanta ſuſpendebat olim non intuitos in Capitolio ſimulacrum Catonis. At quoniam, dum aurea veris ſerenitate Majo currente ridebant dies, te, aſpirante Divini Numinis afflatu, & indulgente Clementia Clementiſſimi, ac SSmi Noſtri CLEMENTIS PAPÆ XI. ſupremi Sedis Apoſtolicæ Principis murice Romano ſublimatum, veluti novum ſidus in Cęlo Eccleſiaſtico effulgere vidimus, gratulamur, gratulamur inquam, vereque ex animo gaudemus, & ſi quondam ſub tuæ Protectionis auſpiciis felices, modò feliciſſimi omnium reputabimur: Promittimus enim nobis è præclariſſimis Dotibus tuis, quæ te parem Ampliſſimo Magiſtratui à te nuper inito, efformarunt, cumulatiſſimam rerum omnium in tanta felicitate Moderationem, humaniſſimam ex honorum Apicę affabilitatem, & conſtantem in Auctoritate maxima Æquitatem. Harum verò Virtutum, atque aliarum innumerabilium jubare inſignitus, & tuorum Anteceſſorum, quorum palmaria geſta, ac laudes ſilentio involuimus, neque hìc delibamus, nemini ſecundus in toto Orbe terrarum, ità coruſcare videaris, ut omnium Mortalium oculos, ac mentes, necnon & ſuperos ipſos in tui admirationem convertas æquè, ac impellas. Nos interim,

no-

noſtroſque Cives, & Civitatem prædictam una cum opere tibi obſequentiſſimè nuncupato ſublimi tuo patrocinio dignare, & tanquam Columna immobilis Catholicæ Eccleſiæ fundamini ſuffulta pro Bono Reipublicæ Chriſtianę diutiſsimè vive, & in æternum Vale.

E. V.

Terracinæ die 10. Junii 1706.

Humillimus, Devotiſs., & Addictiſs. Servus

Dominicus Antonius Contator.

Digitized by Google

Auctor Lectori Benevolo.

NE contrahas frontem, benevole Lector, ſi adhuc ætate florentem, modiciſque litteris imbutum onus me ſubiiſſe videris, nonniſi ab erudititiſſimo quopiam, & in rerum antiquarum Annalibus verſatiſſimo ſuſcipiendum: Profectò nil tale erat in mente; animum tamen impulit amor Patriæ, calcar autem addidit, & Patriæ conculcatæ deſpicientia, & caſus hujuſmodi: Cum enim anno ſuperiore 1704. die 14. Aprilis Illmus, ac Rmus Dñus, D. Laurentius Corſinus Theſaurarius Generalis Sanctiſſimi Domini Noſtri CLEMENTIS PAPÆ XI. Terracinam acceſſiſſet, inter alias res vetus Archivium Civitatis ejuſdem intueri minimè dedignatus fuit. Conſpiciens igitur Illuſtriſſimus Dominus ea monumenta vetuſtatis, quæ ibidem recondita ſine ullo honore jacentia ſervabantur, contriſtari viſus eſt, quia nemo eſſet, qui illa pervetuſto characterum genere impreſſa interpretaretur, juſſitque vertenda dari, ſi quis animum adiiceret, neque impenſis parcendum eſſe prò opere præſtantiſſimo; hanc nactus ipſe occaſionem, qui jamdiù res Terracinenſium cognoſcere anhelaveram, tanto labore ab omnibus neglecto gratis humeros ſuppoſui, & adjutus opera perilluſtris, ac admodum excellentis Domini Joſeph de Bellis ferè manum extremam impoſui prætermiſſis nonnullis, quæ nimiam vetuſtatem ſapiunt, adeoquè ſub noſtram intelligentiam cadere nequeunt: Quia verò præfatæ Civitatis monumenta non potuerunt ità animum explere, quin appetitum majora perquirendi ingeneraverint, ineunte Majo anni vertentis 1705. conſultò Romam adii, & quidquid brevi licet temporis ſpatio colligere potui ex tomis Baronii, Ughelli, aut Conciliorum noviſſimæ editionis excerpſi; ſingula autem cum prioribus notitiis unita, & concinnata ità contexui, deſcripſique, ut præſens opus compegerim, in quo elaborando, quamvis omne punctum non tulerim, eſt ibi tamen, quod plurimam Antiquitatem redolens voluntati arrideat. Excipe itaque candide Lector noſtras elucubrationes, in quibus etſi non deprehendes ornamenta Artis oratoriæ, certe aderunt argumenta Terracinen. vetuſtatis, eaque me ex animo offerentem amare perge, & Vale.

PRO-

PROEMIUM.

QUONIAM noſtra fert ætas, ut quiſque de rebus patriis liberè poſſit aliqua proferre, mihi omnium maximè imbecilli, cum vix à primo limine litteras ſalutaverim ferè ineluctabilis incubuit neceſſitas, ut tanto oneri ſuccumberem, res nempe hiſtoricas Civitatis Terracinæ ut ſcriptis amplecterer, & jacentem Patriam pervetuſta ipſius monumenta è tenebris eruens extollerem. Siquidem notum eſt, quantas cavillationes ævo currente effuderint adverſus Urbem ſplendidiſſimam nonnulli, qui dum ejuſdē ſplendori invident, ejuſque pręeminentias inhiant, omnem penè poſt hominum genus, ut ità dicam, comparatam à Civibus gloriam non ſolùm offuſcare, denigrareque, ſed etiam penitùs antiquare conati ſunt ſplendida quæque occultantes, abjecta verò, & ignobilia lectitantium oculis obiicientes. Quamobrem ferè impotens mei ſecùs facere non potui, quin, ut tantis turbinibus obviam irem, ea, quæ de Urbe tàm inſigni Varii Auctores prodiderunt, aut monumenta vetuſtatis reboant requirerem, colligerem, collectaque in unum concinnarem, atque efficerem, ut res omni memoria deſtitutæ, ac veluti extinctæ quodammodo reviviſcerent, & redivivę animos Antiquitatum ſcientia flagrantes honeſta delectatione perfunderent, necnon eructata ex ore obſtrepentium refringeret venena. Sanè haud inficior, antiquiſſimam Civitatem Terracinę præſtantia Civium, quà nulli nobilium Italiæ Urbium concedebat, diminutam, ampliſſimoque de ſtatu veteris gloriæ prolapſam hodiè in toto orbe Terrarum, non ſicut olim effulgere. Hoc tamen non impedit, quominùs in antiquis faſcibus, decoribuſque patriæ exerendis elaboraverim, quin immò dedecori mihi vertendum, invidiaque nimis plenum me habendum eſſe cenſerem, ſi nobiliſſimæ Romanorum Coloniæ, & vetuſtiſſimi Municipii eximia ornamenta inutili ſilentio præteriens in medium proferre ceſſarem. Neque verò, dum loquor de tàm illuſtri Oſcorum, Volſcorumque Metropoli, opinandum eſt me omnibus numeris abſolutum opus, aut hiſtoriam ſartam tectam condere: cum id longioris temporis ſpatium, & diuturnioris ſtudii opem exigere

vi-

videatur, ſed dumtaxat res in ſciptorum inſigniorum co dicibus diſperſas cogere, atque aggregare; His autem libuit aſſociare nonnulla Terracinen. Archivii, & Eccleſiæ monumenta, quorum teximen in quinque libros diſpoſui, cætera commendans poſteris, qui per otium commodè indagare valeant. Cum enim operam dem Arti, prò cujus comparatione omnis longæva vita, teſte Hipp., ſit brevis, non potui ità me à medicis curis diſtrahere, ut huic uni tantùm operi addictus animo, ſtudiiſque adhærerem, quapropter mihi veniam dabitis,ſi multa in medio, multa minùs diſcuſſa,divulſa nimis multa reliquerim. Ex quinq; autem libris hoc volumen concludentibus primus complectitur Oſcorum, Volſcorumque originem, Metropolim, & Regionem, in quo etiam ſpeciatim de Civitate Terracina diſſeritur. Secundus Civium Terracinenſium acta profert,eorumque illuſtres familias, Viros, ac reliqua memorabilia comprehendit. His exactis, in quibus profana exero, accedam ad tres alios, ubi de ſacris agendum erit. Tertius itaque nonnulla de Eccleſiis Terracinen., earumque rebus recenſitu dignis innuat: In quarto verba faciam de Epiſcopis, operibuſque ſpectantibus ad Epiſcopos; ac demùm in quinto ad Sanctiſſimorum Cælitum geſta, præclaraſque actiones omnem ſermonem referam, ſcilicet, ut Lector illorum egregia facta præponderans animum à Terrenis ad Cæleſtia convertat, & humanis deſpectis illùc oculos noſtræ mentis adiicientes,& figentes eorumdem gaudiis compotes frui in perpetuum mereamur in Cælis.

Opus,

OPus, Inſcriptum, de Hiſtoria Terracinenſi, in quinque Libros diſtributum à Perilluſtri, ac Excellentiſſimo Domino Antonio Contatore Doctore Phyſico, & Cive Terracinenſe elaboratum juſſu Reverendiſſimi Patris Fratris Paulini Bernardinii Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri, Ego Infraſcriptus ſumma animi jucunditate perlegi nihilquè in eo Fidei Ortodoxæ, aut bonis moribus contrarium inveni: Quin immò ſædulam Auctoris diligentiam in colligendis, quæ ad ſuam rem pertinent ſum de miratus. Profert enim de Theſauro Eruditionis ſuæ, nova, & vetera, quæ omnia Priſcorum Auctoritate, ac Apoſtolicis litteris communivit: quapropter dignum cenſeo, ut publica luce donetur, ſi ita hiis ad quos pertinet videbitur Romę ex Ædibus S. Laurentii in Lucina die 25. Junii 1706.

Io: Paulus Laurenzettus Cler. Regul. Min. &c.

Imprimatur.

Si videbitur Reverendiſs. Patri Magiſtri Sacr. Palatii Apoſt.

Dominicus de Zaulis Epiſcopus Verulanus Viceſgerens.

Imprimatur.

Fr. Paulinus Bernardinus Ordinis Præd. Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtri.

Digitized by Google

DE HISTORIA TERRACINEN.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De Oſcis, & Volſcis eorumque origine, & Metropoli.

ANTEQUAM Urbis Terracinen. laudes contexere aggrediar, operæ pretium cenſui nonnulla de Oſcis, & Volſciſquè, intra quorum Regionem ea Civitas collocata eſt, præmittere, ac delibare. Hoc enim modo, Volſcæ Gentis rebus, proùt nobis dicendi copia ſuppetit, expoſitis, clarius, lucidiùsque apparebit, quidquid inferiùs de Terracina ſcripturi ſumus: Oſcos autem, ſeù Volſcos conterminos populos fuiſſe, diverſoquè idiomate uſos eſſe conſtat, & forſitan aliquandò etiam ſub diverſis Dynaſtiis diverſos Duces jactaſſe, mox verò ab aliquo horum valentiore ſubactos, & ſimul unitos ſub unius Principis dominio vixiſſe haud improbabile eſt; Unde mos invaluit, ut pro Oſcis intelligerentur etiam Volſci, & vice verſa: Totum autem illum ſoli tractum, quem tenuere Volſci priùs Auſones, ſeù Opicos occupaſſe docet Cluverius, quos indigenas Italiæ populos facit dicens: Populi Italiæ indigenæ tres tantùm fuerunt Umbri, Siculi, & ingens illud Auſonum, ſeù Opicorum corpus, unde tot alia propagata fuere Nationum nomina: Nam inter alios Sabini Opicorum fuere progenies, genueruntque ipſi ex ſeſe Picentes, Veſtinos, Marſos, Pelignos, Frentanos, Marmicinos, & Samnites. Ante Auſones tamen eundem locum cum ma-

gna parte novi,& veteris Latii tenuere Aborigines, uti auctor eſt Trogus. Latium vetus,teſte *Plinio lib.3.cap.5.* à Tiberi Circejos, & Terracinam uſque pertingebat, Latium verò novum ulteriùs ſe extendebat Lyrim uſque, & præter Latinorum populos etiam Volſcos, Oſcos, & Auſones comprehendebat: Dicti fuerunt autem Aborigines quaſi Aberrones eò quod errantes tandem convenerint in unum, ſeù Aborigines quaſi ſine origine, quatenùs primam ſui corporis conſtitutionem à ſtructura Babylonicæ Turris, & Gentium inde diviſione habuerint; ſeù quia in montibus habitare conſueverant,id,quod aſſerit *Dyoniſ.libro primo ſcribens*: Appellatos puto Aborigines, quia in montibus ſedes ſuas habebant, & alibi Aborigines, qui primùm in montibus paſſim ſine mænibus vicatìm habitarunt;habitabant autem in montibus,quia à ſuis natu majoribus de priſtino edocti novum diluvium formidabant: Eoſdem Janigenas facit Kircherus eò quia flumen vnà cum Jano tranſierint, & in Latio ſedem ſuam fixerint: Abor enim Chaldaica lingua tranſire ſignificat,unde quaſi diceres tranſeuntium Duces. Aborigines Cethæos appellat Cedrenus; Cethæi autem uti eſt in *Geneſi cap.* 10. dicti ſunt omnes progeniti à Cethin Javan filio, Japhet nepote, Noemi pronepote, à quo originem duxiſſe Aborigines veriſimile eſt, unde montium cacumina incolere conſueverant, quia haud ignari eluvionis univerſalis proximè præteritæ novum Catachyſmum metuebant. Aborigonum ſedes eiſdem aut exactis,aut cedentibus magna ex parte occuparunt Auſones, ſeù Opici, à quibus Oſci, ſeù Volſci populi emerſerunt.

Cęterùm Oſcorum, Volſcorumque origo uti antiquiſſima, ità per obſcuriſsima eſt; adeò ut licet cunctos Veterum, recentiumque Hiſtoricorum libros veluti emungas, nihil ferè expreſſeris, quod certi quidquam habeat: Leander Albertus in ſuo Latio referens verba illa Manetoris.Cęculus cognomento Saturnus Junior regnat apud Aborigines, & tertio anno poſt apud Tumenos regnat Oſcus, cujus inſigne fuit ſerpens: Ex mente Annii ea commentantis dicit Oſcum nomen eſſe Hetruſcum, ac ſpeciem cujuſdam venenati ſerpentis ſignificare, cujus effigiem prò inſigne habuit horum populorum Princeps; unde ad ſui ſtemmatis memoriam eos Oſcos nuncupavit, ut autem eorum originem antiquiſſimam eſſe annueret Volſcos quaſi diceres veteres Oſcos de-

demùm appellavit: Verùm has Leandri conjecturas in medium adduxiſſe ſufficiat. Kircherus de Latio novo, & veteri ait Volſcorum origo controverſa eſt, eò, quod nihil cum reliquis Latinorum Urbibus, quid commune habeant: Idem auctor originem duxiſſe putat hos populos, vel à Peucetio Ænotri filio, qui poſt Auſones expulſos hoc loco ſedem ſuam fixerit, vel à Sicanis, qui à Pelaſgis, & Aboriginibus in Reatino Sabinorum agro profligatis hìc reſtiterint Volſco Duce, à quo Regio nomen adepta ſit. Veriſimiliùs tamen eſt Oſcos, ac Volſcos eoſdem eſſe, ac Opicos, & ſola degeneratione, atque corruptione verbi Opici in Olſcos, ac tandèm Volſcos nominis varietatem eſſe exortam; Opici autem antiquiſsimi in Italia populi habiti ſunt, adeò ut eorum origo ignota ſit. *Cluverius lib.3.cap.*7. ubi de præfatis populis, ait. Hernicis continuabantur ab Auſtro Volſci gens magna, potens, & bellicoſa Græcis dicti Scylaci; genus eorum nuſquam adnotatum reperi;nec ſigna hactenùs diſpicere potui,quibus ad aliquam Italicarum Gentium ſpeciem referri poſſent. Idiomate à Latinis Volſci differunt, & hoc ex variorum populorum, gentiumque tranſmigratione ortum deduxit.Linguam proximam Sabinę Volſcos habuiſſe patet: Etenim Pompejus Feſtus ſublicium pontem peculiari vocabulo Volſcorum dictum putat: Item Obſcum pro Oſco in antiquis commentariis ſcribitur ut in Titinnii fabula V. Qui Obſcè, & Volſcè fabulantur, nam Latinè neſciunt. Peculiarem eorum ſermonem, & ab reliquis Italiæ linguis diſcretum adnotarunt Latini Auctores, eumque Græcanicæ originis eſſe tradunt, & Feſto ſubſcribunt,ſiquidem Aborigines primos Italiæ colonos Græcos fuiſſe volunt. Volſca autem lingua ex Græca, & Latina corrupta, item Oſca, & Sabina conſtat. Sabinam primò in Volſcam, & Oſcam radices ſuas egiſſe tradit Marcus Terrentius *Varro lib.*4. *de legibus.* Inde Caſnor Oſcis, & Volſcis ſenex à cano, qui Sabinis eſt vetus. Familiarem quoque Brutiis fuiſſe linguam Volſcam, & Oſcam Feſtus docet; unde, & bilingues vocat,quod Græcè, & Oſcè loqui ſolitos Brutios Ennius dicat.Volſcos itaque Oſcoſque conterminos populos dialectum ſuam in Siciliam uſque extendiſſe ex Feſto patet; nihil tamen commune cum lingua Latina Volſcos habuiſſe Titinnius Poeta antiquus verſu ſupracitato inſinuat. Hinc Volſcis, Oſciſque Mars dicitur. Mamers, teſte Feſto, Meddix Magiſtratus, teſte Ennio, qui ait,

A 2 ſum-

ſummus ibi capitur Meddix.Famel Oſcis ſervum ſignificat;Uncipulum annulum,Veja plauſtrum, Maras Dominam,mulla pęnam, pipatio clamorem plorantis, ſollum totum, & ſolidum, Męſius menſem Martium,Dalivus inſanum, pitpit quidquid; petora currum quatuor rotarum; Ouptens Uſentem fluvium ſignificat; Suſes Pęnorum magiſtratum, Medius Tuticus magiſtratum Oſcorum. Q. Ennius tricor fuiſſe,ſeu tria corda habuiſſe dicebatur eò,quod Gręcè, Oſcè, & Latinè loqui ſciret, ut eſt apud *Agellium lib.*17. *cap.*17. Volſci populi erant jaculo utentes in modum vem, ſeu verutis pugnantes ex *Virgil.*2. *Georg.* Volſcoſque verutos. Metropolis eorum Anxur, ſive Terracina: Bellum cum Romanis ſub Tarquinio ſuperbo, qui Pometiam Volſcorum Urbem anno ab orbe condito 3435. à diluvio 1779. expugnavit, inchoatum per ducentos propè annos incredibili pertinacia, & continuis motibus pertraxerunt. Unde *Lucius Florus lib.*1. *cap.* 11. *ait*. Perviciciſſimi tamen Latinorum Æqui, & Volſci fuere, & quotidiani ut ſic dixerim hoſtes.De Volſcis pluſquam 12. triumphi acti fuerunt, ac poſtremò anno ab Urbe condita CCCCXV. diuturno bello defatigati in ditionem populi Romani venerunt, ſub quorum dominio, qui priùs Reges habuerant, ſicut cæteræ Gentes obnoxii vixerunt.

Diffident autem Auctores in aſsignando, quænam fuerit Oſcorum, Volſcorumque Metropolis, nam alii Antium, alii Pometiam, alii Terracinam, alii denique in diverſa, atque alio abeunt; nos rei veritati ſtudentes dicimus Oſcorum,Volſcorumque Metropolim fuiſſe Terracinam, licet aliquandò temporum injuria,hoſtiumque tyrannide premente ſedes regia potuerit alio transferri,ſicut olim Latio Caput erat Alba,mox Roma fuit. Porrò Terracinam, ſeu Anxur Caput, ac Metropolim fuiſſe Volſcorum præter auctoritates, quas infrà apponemus, variis etiam rationibus probare poſſumus, ac primo ex ſitu Urbis optimo, & amæniſsimo, qui omnia requiſita ab *Ariſt. lib.*7. *Politic. cap.*5., & 11. poſita continebat, erat enim terræ, mariſque particeps,adversùs ventos ſalubriores utpotè ad Orientem Solem converſa, ferax etiam omnium rerum, quæ ad vitam ſuſtentandam neceſſaria ſunt; ab hoſtibus non facilè invadi poterat, civibus autem facilis erat in aliena egreſsio, nam ipſius loci ingenio tuta erat, uti teſtatur vel ipſe *Tacitus lib.*3. *Hiſtor.*, quæ omnia condecebant

locum,

locum, quem incolere debebat Rex; præterea omnium genere piſcium, venatuque animalium cum volatilium, tùm aquatilium, terreſtriumque ſcatebat, quæ in promptu erant ad inſtruendas Principum menſas, demùm celeberrima ibidem erant Templa, quæ in reliquis Volſcorum Urbibus non extiterunt, uti potiſſimùm legitur de fano Feroniæ,& Jovis Anxuris Templo antiquiſſimo,quæ ante Romani Imperii initia extabant;magnificus etiam ſpectabatur portus, quem reſtauravit Antoninus Pius. *Theodorus à Valle in hiſt. Privern.* parvitatem Urbis opponit, adeoquè dicit Terracinam non potuiſſe Volſcorum Metropolim eſſe; ſed quam frivola, & nullius momenti ſit hæc ratio, unuſquiſque videt,conſiderat enim Terracinam modernam,& præſentem, (nempè cadaver illius antiquæ Regiæ,) non verò veterem illam; & ſatis notam Metropolim,quam vaſtiſſimam fuiſſe teſtantur ingentia ruderum, minarum, Arcuum, peres ſtiliorumquè cadaveroſa monumenta. Obiiciet modo aliquis aeris gravitatem, & craſſitiem, ſed hæc oppoſitio eandem habet ſolutionem; quippè qui aer Terracinen. olim ſaluberrimus erat; tùm quia Civitas ipſa eminentiori loco poſita ſpectabatur, tùm quia mare propiùs accedebat, & ferè Urbis radices alluebat, & paludes pomptinæ, quæ modò aeris gravitatem faciunt, campus erant fertiliſsimus 23. oppidis excultus, ſi Plinio credimus: Nequè obſtat, quod Terracina à nonnullis vocetur oppidum, aut Civitas; oppidum enim dictum fuiſſe volunt ab opibus, aut ab oppoſitione murorum, ſicuti Civitas à Civium aggregatione nuncupatur: Cæterùm Oſcorum, Volſcorumquè Caput, ac Metropolim fuiſſe Terracinam inter alios Auctores edocet *Cato in lib.de origin.*; Leander Albertus in ſuo Latio; idemquè teſtatur Joannes Camers in Scholiis ſolini inquiens Tarracina lingua Volſcorum Anxur; fuit enim hæc olim Volſcorum Metropolis, *ut lib. origonum oſtendit Cato*, & apud *Liuium lib.* 4., ubi de hujus Urbis direptione agit eadem colligi poſſunt, dum ait; Oppidum vetere fortuna opulentum tres exercitus diripuere; nota ly vetere fortuna; hoc enim præter opum copiam innuere videtur antiquum dominium Urbis Terracinen. ſupra reliquas Volſcorum Civitates. Demùm in Theatro Orbis terrarum typis Guil., & Jo: Bleu editum ità legitur: Volſci populi erant jaculo utentes in modum veru; Metropolis eorum Anxur,ſive Terracina; & *Abraham Bzovius tom.* 17.

annal.

Digitized by Google

annal.Eccleſ. ait: Terracinam priſci Anxurem vocavere: ea Volſcorum Caput fuit. His, aliiſque rationibus inſtructi, & confirmati Cives Terracinenſes ab immemorabili in uſu habuerunt, ut in concinnandis ſyngraphis pro publica Fide ſanitatis hujus tenoris eas effingerent in titulo. Syndicus, & Officiales antiquæ Civitatis Terracinæ Oſcorum, & Volſcorum Metropolis. Debuiſſem hìc attexere Catalogum omnium Regum, qui Oſcis, Volſciſque dominati ſunt, ſed quia hoc nimis laborioſum, & parum utile apparet, prætermittimus, ſolamque eorundem Regionem deſcribemus ità.

CAPUT II.

De Regione Oſcorum, & Volſcorum.

OScorum, Volſcorumque Regio ex Ortu à Mari Tyrrheno ad Marſos uſque,& ad lacum Fucinum,& ex Septemptrione ad ipſos Æquos, & ex meridie ad Auſones, & Auruncos terminos ſuos extendiſſe narratur. Ab Occaſu enim, qua mare tangebant Volſci à Rutilis, mox inde ab Latinis diſterminabantur linea à mari inter Caſtrum Inui vulgo Corneto, & Antium ad fontes Aſturæ amnis, & Algidum montem ducta: Hinc à ſeptentrione primum Æquos circa Algidum, & Pictas Tabernas, ſive ut nunc vocant opidum Valmontonem; deindè Hernicos circa compitum Anagninum, Ferentinum, atque Verulas conterminos habuere; indè ab eadem Regione ſupra Soram Volſcorum opidum Hernicis continuabantur Marſi Fucinum lacum circumcolentes; ſed & ad ipſum lacum aliquandò imperium eorum pertinuiſſe diſertus teſtis eſt *Livius lib.3. in rebus anni ab Urbe Roma condita CCCXLVII*. Bellum, inquit, haud memorabile fuit uno, atque eo facili prælio cæſi ad Antium hoſtes; victor exercitus depopulatus Volſcum agrum; Caſtellum ad lacum Fucinum vi expugnatum, atque in eo tria millia hominum capta, cæteris Volſcis intrà mœnia compulſis, nec defendentibus agros. A Marſis porrò contermini Volſcis fuere ab Oriente æſtivo Samnites; ab Oriente æquinoctiali ultrà Caſinum Opidum, quod vulgò nunc (Monte Caſino) finitimos habuere Volſci Campanos partē quondam Samnitium. Hinc à meridie conterminos habuere Auſones,

quo-

quorum maritima opida Formiæ vulgò nunc Mola, & Cajeta, ac Fundi, quæ ſua nomina etiam nunc retinent; inde ipſum mare attigerunt Volſci à Terracina uſque ad Antium, quæ utraque eorum fuere in littore maris oppida; atque his finibus incluſum fuiſſe agrum Volſcorum ex ſingulorum locorum expoſitione patebit inferiùs. *Martianus Capella lib.6. ait.* Latium, atque oſtia Tiberina, de hinc littus in Volſcorum nomen, ſortemque conceſſit, ſed clariùs Volſcorum fines in ora maritima Ptolemæus deſcribit ità. Antium, Cloſtra, Circejum promontorium, Terracinæ, & Mela *lib.2. cap.4.* aduerſo littore, inquit; Terracina, Circes domus, aliquandò Circeii, Antium: *Plinius verò lib. 3. cap.5.* Antium, ait, Colonia, Aſtura flumen, fluvius nympheus, Cloſtra Romana, Circei, à Circeis palus pomptina eſt, dein flumen Ufens, ſupra quod Tarracina opidum lingua Volſcorum Anxur dictum; Anxur autem, ſeu Terracina fuit extima Urbs Volſcorum verſus Orientem propter littus maris Tyrrheni, ubi ſolium regale priſcis temporibus tenuere Oſcorum, Volſcorumque Reges, ſicut probavimus ſuprà. Supereſt modo, ut eorundem Civitates, ac ſingula loca exponamus, ac primò ex parte maritima.

A N T I U M.

Antium, ex cujus reliquiis modò ſurgit Neptunium, vulgò Nettuno, Volſcorum opidum cum celeberrimo Fortunæ Fano, Patria Neronis fuit, de eo Stephanus Epitomator; Antia opidum Italiæ ſub Romanorum Imperio nomen accepit à Circes filio, quippe Ulyſſis, & Circes filii fuere tres Romus, Antia, & Ardea. *Dyoniſ. lib.1.* Xenogaras hiſtoricus tradit Ulyſſis, & Circes tres filios fuiſſe Romum, Antiam, Ardeam, eos conditis tribus Urbibus à ſeſe indidiſſe nomina. *Livius lib.2.*; Alter ad Volſcum bellum miſſus Antiates Volſcos fundit, fugatque, & paulò poſt Numicius Conſul Antium adverſus Volſcos profectus. *Dyoniſ. lib.4.* Ex Volſcis duæ tantùm adhæſerunt Echetrani, & Antiates, ſcilicet Tarquinio ſuperbo, qui uſque ad Circeos Latii nomen protendere volebat, *& lib.8.* Venit Antium Volſcorum Urbem nobiliſſimam; nuſcis Numicio quoque ducenti exercitum ad Antium, quod tunc inter primarias Volſcorum Urbes erat, nullus exercitus ſeſe oppoſuit. Verùm Antiates ſub Tarquinio Superbo

bo in commune veteris Latii nomen conceſſerant una cum Circienſibus, & Signinis, in quas urbes Tarquinius colonias deduxerat teſte *Dyoniſ. lib.4.*, *& Livio lib.1.*, *& Polyb. lib.3.*, qui fędus Romanorum cum Carthaginenſibus narrat, at poſteà ab eo fędere receſſerunt crebraque cum Romanis bella geſſerunt, quæ ſparſim Livius, Dionyſiuſque narrat. Hic noſtra ætate portum excitavit ſanctæ memoriæ Innocentius Papa Duodecimus.

S T U R A.

Non procul ab Antio occurrit Stura, ſeù Aſtura terminus olim Regni Volſcorum, & Latinorum, ubi obtruncatus fuit à Pompilio M. Tullius Cicero, & captus Corradinus filius Henrici, & Nepos Friderici Secundi Imper. tranſmutato habitu fugiens, captus inquam à Carolo Andegavenſi Regi Siciliæ, & Neapoli capite plexus. *Servius ad Æneid. lib.7. ait*, haud longè à Tarracina opidum eſt Aſtura, & ejuſdem cognominis fluvius. Feſtus autem inquit, Stura fluvius eſt in agro Laurenti, quod quidam Aſturam vocant: Menda eſt illorum, qui Saturam Virgili paludem apud Tarracinam Urbem confuderunt cum hoc noſtro Stura, ſeu Aſtura flumine. Aſturam flumen ſequebatur Nymphæus amnis, hunc Cloſtra Romana, & Circe, certè Cloſtra prope oſtium fuere nymphei fluvii lævo amne: Modò Stura appellatur quædam Turris munita cuſtodiis exiſtens haud longè à fluvio, qui dicitur vulgò *la Foce verde*.

M O N S C I R C E U S.

Circeus mons, teſte Theophraſto 10. mill. paſs. in circuitu continet; vulgò nunc dicitur Monte Cercello, olim teſte Plinio, & Homero, Inſula fuit mari circumdata, hodie aggeſtu limi, arenarumque in Peninſulam evaſit, & uti in eo Circe filia Solis dominata fuiſſe narratur, ità innumeris fabularum figmentis à nullo non Poetarum celebratus, à mythologis primùm meritò inter celebres. & fabuloſos montes locum obtinuit, in cujus vertice tempore Strabonis adhùc oppidum videbatur. Ptolemæo: Circeum unà cum delubro Circe ſacro, & obſcuris Minervæ cavernis, ubi, & ab alto indigenis ſcyphus oſtendebatur, è quo Ulyſ-

ſem

ſem in dicto Monte vna cum Circe aliquandiù commorantem bibiſſe ferebant; & uti Mons omnigenis herbarum ſpeciebus refertus eſt,inde & Poetæ de ſuccis ex herbis quibuſdam, quibus Circe pharmaceutriæ ope homines in bruta transformare ſolebat, ſcribendi ſumpſerunt occaſionem, de quo *Ubertus in ſuo Dictamondo ſic canit.*

Vedi quel Monte, dove ſi digiuna
Circe più volte far ſuoi incantamenti
A lume delle Stelle, e della Luna.

De Monte Circeo *Ariſt. de mirandis Italiæ ait.* Mons eſt Circejus nomine, in quo veneni quædam ſpecies lethalis oritur, hujus vis, atque maturæ, ut ſi quis ex ipſo aſperſus fuerit continuò concidat, ac calvus efficiatur, membraque totius corporis defluant. *Strabo lib.* 1. Poſt Antium Circeus eſt Mons Inſulæ in ritum Mari, paludibuſque cinctus, *& lib. quinto.* Ajunt Circeum Montem radicibus abundare, fortaſſis ut fabulæ id de Circe accommodent: Eſt in eo opidulum cum Circes fano, & Minervæ ara, feruntque ibi pateram quandam Ulyſſis quoque monſtrari. *Theophraſtus lib. 5. hiſtor. plant. cap. 9.* Circeum ajunt excelſum quoddam eſſe promontorium ſpiſſis nemoribus conſitum maximè verò robore, lauro, & myrto, incolas autem Circen hic habitaſſe perhibere, oſtendique Elpenoris tumulũ unum ex Sociis Uliſſis, ex quo tumulo proveniant myrti coronarii operis in modum creſcentes, cum aliæ myrti ſint amplæ, locumque eum ferunt hominis habere figuram. *Dionyſ. autem lib.* 4. Circeam Tarquinius deduxit coloniam data opera, quod in Pomentino campo totius Italiæ maximo locus is opportunus ad Mare ſitus eſſet. Eſt autem à Monte Circeo pomptina palus, & flumen Ufers, ſupra quod Terracina Civitas antiquiſſima.

POMPTINA PALUS.

Intra eum veteris Latii diſtrictum, qui ab Ortu Solis Amaſeno fluvio, & Anxure Urbe celeberrima, modò Tarracina, à meridie Mari Tyrrheno, & Circeo promontorio, ab Occidente Aſtura fluvio, à Septentrione denique Norbanis, ſetiniſque Montibus terminatur ingens continuò ſpectandam ſe exhibet nullis non veterum ſcriptorũ monumentis celebrata planities pompti-

na,ſeu ager pomptinus à Pometia Sueſſâ Volſcorum Urbe ſic dictus, ab amplitudine, amænitate, rerum omnium proventu, necnon populorum frequentia omnibus retro ſęculorum curriculis commendatiſſimus; quem Leander Albertus Hortum Latii, Halicarnaſſęus Horreum, & Penuarium Romanorum appellat: Totus ager binis, iiſque nativis conſtat lacubus, quorum unus Circeo promontorio vicinus vulgò dicitur *il Lago di S. Maria*, alter verò remotior piſcibus refertiſſimus *il Lago di Fogliano*: Porrò præter innumeros, qua torrentes, qua rivos, qui ex Montium fimbriis continuò ſcaturiunt, tota planities quatuor præcipuis amnibus irrigatur Aſtura, Nymphęo, Ufente, Amazęno. Aſtura ex Coranis montibus emergens, Pometiamque lambens tandem inter Circeum promontorium, & Antium mari ſeſe inſinuat. Nymphęus ex Norbæ montibus, & lacu Nymphęo, ad quorum radices ſitus eſt, per pometinum agrum medium curſum urgens, tandem inter Aſturam, & Circeum promontorium mari illabitur. Ufens ex Setinis montibus originem nactus, atque poſt duodecim millium paſſuum decurſum Amaſeno ex Privernate agro Oriente auctus juxtà Terracinam haud procul à Turri Baudini in mare egeri tur. Tantæ autem fertilitatis Italicam, & Tacitus eum fuiſſe referunt, ut Lacedæmonii ob aſperiores Lycurgi leges alias colonias quæſituri dum hujus littora prætevecti, ac maris nauſea fincti excenderent, hunc ob bonitatem, delitias, atque uberum rerum proventum veluti ſibi Divinitùs conceſſum locum præ omnibus aliis inhabitandum elegerint, ut autem Deorum muneri eos illùc conducentium quovis modo reſponderent, Templum, cujus haud obſcura veſtigia tribus à Terracina paſſuum millibus diſſita conſpiciuntur, in honorem Deæ Feroniæ conſtruxerunt: Hoc Templum ab Annibale in Africam redeunte ſpoliatum, vaſtatumque *Silius Italicus ſcribit lib.* 13. *dicens*. Itur in agros Dives ubi ante omnis colitur Feronia luco,

Et ſacer humectat fluvialia rura Capenas.

Certè priſcis temporibus totum hunc tractum fuiſſe habitatione frequentiſſimum ideſt 23. oppidis excultum Mutianus ter Conſul, Plinio teſte, tradit. Neſcio tamen, quo fato factum ſit, ut repentina validæ inundationis illuvies, & campos, & memoratas Civitates ità deleverit, ut ne veſtigia quidem ſuæ vetuſtatis reliquerit, ut proindè tam memorabilem eventum non ſine ratione

ne inter priſci temporis prodigia adnumerarit *Plinius lib. 3. capit.5.bis verbis*. Poſt eum annum acceſſit Italiæ aliud miraculum à Circeis palus pomptina eſt, quem locum 23. Urbium fuiſſe Mutianus ter Conſul prodidit. Nemini tamen id mirũ videri debet, qui terræmotuum vim, atque ſævitiem tùm in urbibus ſubvertendis, tùm in paludibus efformandis norit, quo tempore autem id acciderit ignotum eſt, ſicuti etiam ignotum eſt, nùm terræmotuum vi, an verò tempeſtatum diluviis id acciderit. Ob putridas exhalationes harum paludum ventum ſyrophęnicum Romæ ſummoperè noxium volunt nonnulli.

PRIMA EXICCATIO.

Paludes itaque ità immemorabili tempore manſerunt uſque ad Appium illum Claudium, qui anno Urbis 444. M. Valerio Max., & P.Decio Mure Coſs. ante Chriſtum ann.CCCXI.Cenſor cum C.Plautio creatus facto omnibus ſęculis memorando primus per dictas paludes viam tentavit, quam teſte *Livio lib. 19.* felici auſu confectam aggere paludibus injecto ſilice ſtravit, & à nomine ſuo viam Appiam appellari voluit.

SECUNDA EXICCATIO.

Ruptis per civilia bella aggeribus paludes iterùm reſtagnare cęperunt uſque ad Cornelii Cethegi Conſulatum, qui annus ante Chriſtum 152. fuit, de quo ità Epitomator *Livii 146.* Pomptinæ paludes à Com: Cethego Conſule, cui ea Provincia evenerat exiccatæ, agerque ex his factus.

TERTIA EXICCATIO.

Rurſus ante Julii Cęſaris,& Auguſti tempora 90. ferè annis póſt peractam Cethegi operam novis bellorum tumultibus concuſſa Roma Via Appia una cum aggeribus altera vice devaſtata Campi pomptini novam invadationem paſſi ſunt: Donec Julius Cęſar, ut Plutarchus refert: Paludes in Nomentanis, & Setinis montibus derivare militus eſt, atque efficere campum, qui multa millia poſſet capere agricolarum, & *Diod. lib.44.de eodem ait*,

ut per paludes pomptinas aggerem duceret,aggerem ſcilicet Viæ Appiæ, quæ percommoda eſſet, & facilem, & compendioſum Roma Terracinam, & hinc Brunduſium iter facientibus aditum præberet: *Svet.autem cap.*44., inquit, ſiccare paludes pomptinas deſtinabat, ac tandem, uti docet Cluverius, quod Cęſar opus deſtinaverat. Auguſtus perfecit; qua de re *Horat. in Arte Poetica loquitur*.

Sterilisque diù palus, optataque remis
Vicinas Urbes alit, & grave ſentit aratrum.

Et Strabo Auguſto coętaneus ſcribit. Propè Terracinam, qua Roma itur propè viam Appiam foſſa longa ducta eſt, quæ paluſtribus, fluvialibuſque impletur aquis, ea noctu maximè navigatur, ut qui navi veſperi intrant, manè egreſſi via Appia pergant; ſed & interdiù muli naves loris trahunt. Trajanus Imp. an quid exiccaverit, dum viam Appiam inſtauravit incertum eſt: *Diod. lib.*68.*in eius Vita ait*. Per Pomptinas paludes viam ſaxo ſtravit, extruxitque juxtà vias ædificia,ponteſq;magnificentiſſimos fecit.

QUARTA EXICCATIO.

Facta fuit à Theodorico Rege Gothorum in Italia regnante per operam Cęcilii Decii Patritii quadrigentis ferè annis poſt Trajanum, qua de re apud *Caſſiodorum variar. lib. 2. epiſt.* 32., quæ ita ſe habet.

SENATUI URBIS ROMÆ

Theodoricus Rex.

Vir magnificus, atque Patricius Decius glorioſo circa Remp. amore devinctus ultrò poſtulavit voto mirabili,quod vix potuiſſet ſub concilio noſtræ pietatis imponi paludem Decennovii in hoſtis modum vicina vaſtantem fovearum ore patefacto promiſit abſorbere illam famoſam ſæculi vaſtitatem, quam ſub diuturnitate licentiæ quondam mare paludeſtre poſſedit, cultiſque locis inimicum ſuperfundens unda diluvium terrenam gratiam ſylveſtri paritèr horrore confudit, nihil utile nutriens, ſub liquore ſpoliatum fructibus eſt ſolum; poſtquam obnoxium cępit eſſe palu-

lu-

ludibus,ideò miramur priſcæ confidentiæ virum, ut quod diù virtus publica refugit, manus privata ſuſceperit. Hunc ergo audacem laborem aggreſſurum ſe laudabili perfectione pollicitus eſt, ut pereunte damnoſo gurgite, quæ fuerant amiſſa, ulteriùs non perirent, unde noſtræ ſuper hac parte poſtulat juſſiones, ut auctoritate publica ſubeat opus eximium, quod erit cunctis viantibus profuturum. Sed nos. Patres conſcripti, præſentibus decretis annuimus, ut ad loca ipſa Decennovii duos ex veſtro corpore dirigatis, quibus arbitrantibus, quantum ſpacii reſtagnantis aquæ incurribus paludeſtris illuvies occupavit, fixis terminis adnotetur, ut cum ad perfectionem promiſſum pervenerit liberatori ſuo reddita terra proficiat, nec quiſquam inde aliquid præſumat attingere, quod tamdiù invadentibus aquis non potuit vindicare, *& epiſt. 33.*

DECIO VIRO ILLUSTRI PATRITIO

Theodoricus Rex.

Vobis itaque deſideria juſta poſcentibus pręſenti auctoritate concedimus,ut ſtagnis Decennovii,paludibuſq; ſiccatis ſine fine poſſideas in ſolum rura revocata, nec ullam metuas liberatis rebus exhibere cultarum, quas ſub generalitatis teſtimonio abſolvimus. Hinc etiam ad ampliſſimum Senatum præcepta tranſmittimus, ut definito nunc ſpatio ad tuum pulchrè tranſeat dominium, quod eſt à fędis gurgitibus vendicatũ. Æquum eſt enim, ut unicuique proficiat labor ſuus. Teſtatur opus perfectum fuiſſe Inſcriptio, quæ extat Terracinæ in tabula marmorea apud Forum S. Cęſarii ad latus dexterum Eccleſiæ Cathedralis, & inferiùs dabitur.

EXICCATIONES ALIÆ.

Domitis,expulſiſque Roma Gothis cum Imperatores Romę ampliùs ſedem ſuam non retinerent,& Pontifices Eccleſiæ reformationi incumberent; ruptis,vaſtatiſque in tanta confuſione temporum aggeribus priſtinam illuviem campi pomptini paſſi ſunt. Quintam itaque,ſed partialem exiccationem Bonifacius Octavus ten-

tentavit aquas paludeſtres Sermonetæ in flumen Territorii Setini derivando. Sexta ſub Leone Papa X. fieri cepta eſt, qui Laurentio Mediceo nepoti ſuo, id per Breve Pontificium conceſſit; ſervantur autem hujus rei cauſa in Archivio Terracinen. Capitula facta ab eodem favore Civium Terracinen. Septimam exiccationem Sixtus Quintus tentavit, ideoque ad opus urgendum præſentia ſua loca exiccanda adeunda duxit, morte tamen perventus opus imperfectum relinquens ſolum fluvium Sixtinum effodit: Sub Urbano Octavo Batavi, ſeù Hollandi operam ſuam in exiccandis præfatis paludibus obtulerunt, ſed Pontifex eorum conditionibus nec potuit, nec voluit ſubſcribere. Porrò Batavi non tantùm totalem paludum exiccationem, ſed & flumina eo ingenio adaptare ſpondebant, ut totus tractus navibus ultrò, citrque non ſine ingenti mercatorum commodo pervius redderetur, conſilium enim erat ex nymphęo lacu flumen novum aperire, illudque conjungere Ufenti, ità ut 30. milliarium ſpatium navibus etiam grandioribus, ſeù ſandalis eſſet pervium. Sub eodem Pontifice idem negotium aggreſſus eſt D. Henricus Pellens Belga, qui incohato opere ex malignitate paludoſi aeris ægrotatus interiit. Eaſdem paludes ab anno Jubilæi 1700. exiccare cæperunt operæ Excellentiſſimi Principis D. Livii Odeſchalchi, nihil tamen boni eventurum ſperamus, ſiquidem præter morborum graſſationem, qui hodiè ſingulis annis Civitates, & loca Campanię ex commotione paludoſi ſoli invadunt fruſtra hęc omnia tentantur, etenim paludes pomptinas exiccari poſſe videtur impoſſibile cum nunquam totalis, & perfecta paludum pomptinarum exiccatio facta ſit, adeoquè nec fieri poteſt, & ſi facta fuiſſet, utique perſeveraſſet; Ecquis ignorat, quouſque proceſſerit Romanorum potentia? Nihilominùs parum in dictarum paludum exiccatione eos defatigatos legimus; quam ob cauſam? Niſi quia fieri nequit? Pars autem illarum, quæ exiccari poterat, jam exiccata conſpicitur, & penès varios dominium ſortita eſt. Certè Quirites, qui per totum orbem Terrarum ſui Imperii plenipotentiam oſtentare gloriabantur, hoc opus imperfectum non reliquiſſent, & ſi perfeciſſent, eò perfectionis operam deduxiſſent, ut nunquam ampliùs excidere poſſet, quod non videmus factum: Qui verò nos verba dare putat, & talia non credit, emungat benè crumenas, aureos montes exhauriat, abſumatque pro illarum

exic-

Digitized by Google

exiccatione, & experietur. Cęterùm lippis, & tonſoribus notum eſt id, quod accidit in poſſeſſione Cardinalis Peplі, qui cum paludes ad culturam revocaſſet, & in agrum verteret, agrum arboribus virgultis ornavit, ſed cum ulteriùs illum dilatare vellet, ignem ſylveſtribus arboribus, virgultiſque admovit, qui per radices arborum ſerpens cultumque, incultumque agrum vaſtavit, & ex cavitatibus in terra factis ingens aquarum copia emerſit, uti refert Kircherus de Latio novo, & veteri, cujus verba pluriès mea feci.

TERRACINA.

Terrecina, olìm Anxur dicta, fuit Volſcorum Caput, & Metropolis, uti teſtantur *Cato in lib. de origin.* Leander Albertus, Joannes Camers, aliique Auctores: Ejus mentionem faciunt Scriptores multi, inter quos *Cicero lib.2.* de Oratore dicens: Duo ait ſunt facetiarum genera, quorum alterum re tractatur, alterum dicto: Re ſi quando quid tanquam aliqua fabella narratur, ut olim, tu Craſſe in Memmium, comediſſe eum lacertum Largii, cum eſſet cum eo Tarracinæ de amicula rixatus: Falſa, attamen à te ipſo ficta tota narratio, addidiſti clauſulam, tota Tarracina tùm omnibus in parietibus inſcriptas fuiſſe litteras tria LLL., duo MM. cum quæreres id, quod eſſet, ſenem tibi quendam oppidanum dixiſſe lacerat lacertum Largii mordax Memmius. Hujus Urbis Cives dicuntur Terracinenſes, Terracini, aut etiam Terraceni; apud *Polybium lib. 3.* bis Tarracenitæ. Ab Anxure vocantur Anxurates: Terracina autem declinatur numero ſingulari Terracina, Terracinæ, aut etiam numero plurali Terracinæ Terracinarum; ut videre eſt apud Livium, & Surium, alioſque Scriptores: De reliquis, quæ ad Terracinam, ejuſque Cives ſpectant, alibi fuſiùs.

INSULÆ OSCORUM, ET VOLSCORUM.

Objacent Volſco littori, ac maximè Circejo promontorio, Urbique Terracinæ tres Inſulæ Palmaria, Pontia, & Sinonia. Palmaria vulgò dicitur hodie *Palma rola* in Orientem versùs Cajetam ſita; Sinonia vulgò *Zannone* versùs Occidentem poſi-

poſita eſt. In medio harum viſitur Pontia omnium maxima, & antiquis auctorum monumentis celebratiſſima. *Plinius lib.* 32. *cap.* 11. Appellantur & pernę concharum generis circa Pontias Inſulas frequentiſſimæ; *Livius libr.* 9. anno Urbis Romæ CCCCXLI. ante natum Jeſum CCCXII. Sueſſa, & Pontia eodem anno deductæ coloniæ ſunt. Volſci Pontias Inſulam ſitam in conſpectu littoris ſui incoluerant: millia paſſuum 30. ab littore abeſt. *Diodorus lib.* 19. In Italia populus Romanus cum ſucceſſus votis reſponderet coloniam in Inſulam Pontiam miſit. Olympiadum auctor Olympiadis CCIIII. an. III. Cajus Sorores ſuas à ſe conſtrupatas in Pontias Inſulas amovit. *Euſebius chronic. lib.* 2. cujus verba ità vertit D. Hyeronimus, ſcribit Brutius plurimos Chriſtianos ſub Domitiano feciſſe martyrium, inter quos, & Flaviam Domitillam Flavii Clementis Conſulis ex Sorore neptem in Inſulam Pontiam relegatam, quia ſe Chriſtianam teſtata ſit. Eſt autem Inſula Pontia à littore, & Urbe Terracina diſſita triginta duobus milliaribus, ſive ut Strabo loquitur ducentis, & quinquaginta ſtadiis; & hęc ſunt loca maritima Volſcorum.

V E L I T R Æ.

Trans Albanum Montem, in hujus radicibus erat opidum Velitræ, quod hodiè nobilis eſt Civitas, Epiſcopali dignitate, quam Decanus Purpuratorum Patrum obtinere amat, exornata, vulgò *Veletri*. Volſcorum fuiſſe opidum teſtatur *Livius lib.* 2. Volſcis, inquit, devictis Veliternus ager ademptus eſt. *Dio. lib.* 45. & ex eo *Zonara annal. lib.* 2. in Octavio Auguſto, C. Octavius Velitris oriundus erat. *Dionyſ. lib.* 3. Nec à Volſcis pacata fuerunt omnia Marcio (ſcilicet Anco Marcio Rege) quos cum exercitu alacritèr adortus magnam reportavit prædam, & Urbe illorum Velitris obſeſſa, foſſiſque, ac valle cinctis occupatis, ſub die campis ad murorum oppugnationem ſe accinxit. Idem *Dionyſ. lib.* 6. ab Urbe condita CCLX. ante natum Jeſum CCCCXCIII. cum Volſcis citò debellatum eſt ſimul caſtra vi capta, Velitræque obſidione domitæ nobile gentis opidum. *Livius lib.* 2. Incommodo bello in tam arctis commeatibus vexati forent, in Voſcos jam moventes arma peſtilentia ingens invaſiſſet. De eadem *Dionyſ. lib.* 7. Tanta namque repente Volſcos invaſit peſtilentia, quan-

quanta nullibi nec apud Græcos, nec apud Barbaros fuiſſe memoratur, nulli parcens ætati, nulli conditioni, nulli ſexui, ſive in debiles incideret, ſeù in validos, cujus cladis magnitudo ſatis liquere poteſt ex nobili ejus gentis Urbe Velitris, quæ magna prius, & populoſa ſic tum exhauſta eſt, ut decima tantùm pars incolarum reliqua manſerit; cęteris omnibus extinctis, quare tandem, qui huic calamitati ſuperfuere legatis miſſis deſolationem Patriæ conqueſti ſe, & ſua dederunt in poteſtatem Populi Romani.

C O R A.

Proxima hinc verſus Ortum Solis æſtivi eſt Cora opidum hodiequè idem nomen ſervans, ſed diviſum in oppidum ſuperiùs, & inferiùs; Nonnullis dicta fuit Caura, & Saura. *Plinius lib.3. cap.5.* Corani, inquit, à Dardano Trojano Orti; *Martianus lib.6.* Coram condidit Dardanus, & *Solinus cap.8.* Quis ignorat conditam Coram à Dardanis. *Livius* Coram Volſcis adſcribit *lib.2.* ubi ait. Hac ira Conſules in Volſcum agrum legiones duxere; Volſcos conſilii pęnam non metuentes, nec opinata res perculit, armorum immemores obſides dant CCC. principum à Cora, atque Pometià liberos. Volſcorum fuiſſe opidum ſitus ipſe ſatis, ſuperque demonſtrat; ſub juriſdictione Romani Senatus modò eſſe perhibetur.

N O R B A.

Eſt opidum, quod vulgò dicitur Norma; Arcem teſtatur fuiſſe Volſcorum in pomptino agro *Livius lib.2. dicens*. Norbæ in montes novam Coloniam Romani, quæ arx in pomptino eſſet, miſerunt. Sub Norbà ſcaturit lacus Nymphæus, & hinc fluvius Nymphæus inter Antium, & Circejos in mare ſe exonerans, haud procul à lacu Nymphæo ſpectantur veſtigia Caſtri Nymphæi ſtantibus adhùc nonnullis muris.

S I G N I A.

Ultrà Norbam verſus Orientem eſt Signia, vulgò nunc Segni; nomen accepit à Signis, quæ illic in Caſtris fixerunt Romani milites. *Ex Dyoniſ. lib. 4.* Coloniam Tarquinius deduxit Si-

gniam haud equidem conſulta opera, ſed caſu fortuito, cum in eo campo milites hibernantes caſtra ità communiſſent, ut nihil ab oppido differrent: *Strabo lib.*5. vinum quod alvum maximè ſiſtit Signinum dictum. *Plin. lib.* 14. *cap.* 6. Vinum quod Signiæ naſcitur auſteritate nimia continendæ utile alvo inter medicamina numero. Signia Epiſcopali dignitate gaudet, ac nobilis eſt Civitas, & viris conſpicuis in omni ſcientiarum genere ſcatet.

S E T I A.

Opidum Volſcorum fuit, vulgò vocatur Sezze, & Terra eſt Latii paludibus pomptinis imminens. *Hinc Martial. lib.* 14. *Epigram.* 64. inquit.

Pendula pomptinos, quæ ſpectat Setia campos
Exigua vetulos miſit ab Urbe cados.

Colonia Romanorum illùc deducta, Vellejo teſte 8. anno poſt Urbem à Gallis captam. Inter cætera rariora vinum Setinum maximè celebratur, ut ſuprà audiſti ex *Martial.*, & *Plin. lib.* 14. *cap.* 6. Divus Auguſtus Setinum prætulit cunctis; & *Juvenal.* Lato Setinum ardebit in auro. *Livius in fine lib.* 7. Privernates Norbam æquè Setiam finitimas Colonias Romanorum incurſione ſubita depopulati ſunt.

S E R M O N E T A.

Porrò in eodem jugi dorſo, qua Velitras itur à Setia conſimili ſitu eſt opidum vulgari nunc vocabulo Sarmoneta: Id eſſe judicat Cluverius, quod *Plinius lib.* 3. *cap.* 5. nomine Sulmo inter ea antiqui Latii, cujus finis erat Circeus Mons, recenſetur, opida, quæ jam tùm interiiſſe, ait, ſine veſtigiis, nam ut Pelignorum olim caput Sulmo vulgò nunc vocatur Sarmona, ſit iſte Latii Sulmo eodem dicitur vocabulo, ſed diminuto Sarmoneta. *Virgil. lib.* 10. *Æneid.* Sulmone creatos Quatuor hic Juvenes, totidem quos educat Uſens.

P R I V E R N U M.

Ultrà Setiam verſus Tarracinam euntibus eſt opidum vulgari hodiè vocabulo Piperno, à quo ad duo circitèr millia paſſuum

circa

circa Amaſenum amnem, qua itur Anagniam ruinæ conſpiciuntur ingentium ædificiorum antiquæ Urbis; nomen hodierni opidi, tum ſitus dictarum ruinarum apertè indicant vetus hic fuiſſe Privernum. Frequens mentio fit de Priverno apud Auctores. *Livius lib.*8. Privernum profectus extemplò acie conflixit, haud magno certamine devicti hoſtes, opidum captum, redditumque Privernatibus, mox municipium factum oſtendit ibidem. Frontinus de Coloniis, ait Privernum opidum muro ductum, Colonia à militibus deducta eſt ſine Colonis. Feſtus inter Præfecturas connumerat, in quas ſolebant ire Præfecti, quos Prætor Urbanus quot annis in quæque loca miſerat legibus. Atque hactenùs opida Volſcorum dicta ſunt, quæ ſupernè ex dicto montium jugo Pomptino campo imminebant, nunc ipſe campus exponendus eſt.

SUESSA POMETIA VOLSCORUM.

In campo Pomptino à Velitris versùs Meridiem tendentibus erat Sueſſa cognomine Pometia ad diſcrimen Sueſſæ Auruncæ, quo ſe contulerunt incolæ Pometiæ, deſtructa à Tarquinio Superbo Sueſſa Urbe ampliſſima, de qua *Virgil. ſexto Æneid. verſus finem*.

Ponetios, Caſtrumque Inui, Bolamque, Coramque.

Pometia Civitas dicta fuit etiam Pontia, & Pomptia unde Pontinæ, aut Pomptinæ paludes denominatæ: Auctor de Viris Illuſtr. in Tarquinio Superbo, ait; Latinos, Sabinoſque domuit, Sueſſam Pometiam Volſcis eripuit. *Livius lib.*2. Eodem, inquit, anno duæ Latinæ Coloniæ Pometia, & Cora ad Auruncos deficiunt, *& lib. eodem*. Poſtero die ad Sueſſam Pometiam, quo confugerant hoſtes legionibus ductis intrà paucos dies opidum capitur; Ex dictis *Livii in hoc lib.* patet Pometiam haud procul Latii finibus fuiſſe ſitam ſcilicet propè Coram, atque Velitras. Itaque ab hoc loco tota iſta planities, quæ Velitris, Coræ, Norbæ, Sulmoni, Setiæ, atque Priverno ſubjacet ad Terracinam uſquè, qua pomptina erat palus, campus, ſeu ager pomptinus appellatus fuit, à cujus fertilitate præcipuè in pomis perſpecta Pometia nomen accepit olim.

MARCIUS COLLIS.

Sea Mons Marcius Volſcorum erat propè Lanuvium vulgò Ciuita la Vigna, vel ut aliis placet S. Gennaro, *Liv. lib.6.* Tertiam partem exercitus Camillus ad Volſcos duxit, nec procul ab Lanuvio ad Marcium (is collis dicitur) caſtra oppugnare eſt adortus. *Diodorus in fine lib.*14. Tribuni igitur Conſulares delectu militum habito, & copiis in apertum eductis ad Marcium, quod vocant caſtra poſuere ducenta ab Roma ſtadia ſcilicet 25. millia paſſuum, quæ ut ait Cluverius rectè congruunt in Livii locum haud procul à Lanuvio, quod opidum 20. milliaribus ab Roma abeſſe *cap.*4. oſtendit idem Auctor; editum fuiſſe locum in colle aliquo, ſeu monte circa Albani jugi radices patet ex Plutarchi verbis. Dictator poſtquam dictus eſt Camillus nunciatum legiones cum tribunis Conſularibus à Latinis, ac Volſcis obrideri, longo flexu Marcium montem exercitum circumduxit, caſtraque à tergo hoſtium clam eſt metatus. Fuit itaque hic collis unus ex iis, qui ex hac parte pomptinum campum includunt. Lanuvium ipſum aliquando ad Volſcos ſpectaſſe volunt nonnulli.

CORIOLA.

Circa idem Lanuvium ſimul Ariciamque, & Ardeam fuit Urbs plurali numero Latinis Corili, Græcis ſingulari Coriola dicta, & ipſa quondam una inter primarias Volſcorum habita. Opidani Coriolani dicebantur. Plutarchus in Cn.Marcio Coriolano. In Volſcorum gente principatum obtinebat Coriolanorum Urbs. *Dyoniſ. lib.6.* Sequenti die cum exercitu Coriolam petiit Urbem nobilem, & Volſcorum quaſi caput; in qua, & validæ erant copiæ, & firma mænia, reſque ad bellum neceſſarię iamdudum ab opidanis præparatæ; *Valer. Max.lib.*4. *cap.*3. Cn.Marcius, cui Corioli Volſcorum opidum captum cognomen adjecit; Coriolos, ſeu Coriolanum agrum Ardeatino, Arcinoque ab Oriente fuiſſe conterminum, nempè ab Lanuvio ad Antium verſus; qua Solonius campus eidem Coriolano agro fuit confinis ex Livio deducit Cluverius.

LONGULA, ET POLUSCA.

Circa Coriolos fuere Longula,& Poluſca opida Volſcorum *Liv. lib.*2. Alter Conſul [ſcilicet Poſthumius Cominius] ad Volſcorum bellum miſſus Antiates Volſcos fundit, fugatque compulſos in opidum Longulam perſequitur, mænibus potitur, indè protinùs Poluſcamitem Volſcorum cæpit tùm magna vi adortus eſt Coriolos. *Dionyſ. lib.*6. Poſthumius Cominius primos Volſcos adoriendos ratus primo impetu cæpit opidum eorum Longulam, & relicto ibi præſidio cum exercitu ad aliud Volſcorum nomine Polaſcam contendit haud procul ab Longula diſſitum: Hic quoque relicta modica præſidiorum manu ſequenti die exercitum ad Coriolos duxit Urbem admodùm nobilem, & Volſcorum veluti Caput. *Liv. lib.*2. de Marcio Coriolano loquens. Satricium, Longulam, Poluſcam, Coriolos novella hæc Romanis opida ademit; nam Poluſca, Poluſtia, hinc Poluſtini, Poluſcani, ab Longula Longulani; legitur. *Dionyſ. lib.*8. ſub veſperam demum caſtra poſuit ad opidum Longulam in terreno quodam tumulo ad arcendam vim idoneo.

S A T R I C I U M.

Haud procul à Longula, & Poluſca erat Satricium Volſcorum pariter opidum. *Livius lib.*4. Furius, ac Valerius ad Satricium profecti, quo non Volſcorum modò Juventutem Antiates ex nova ſobole ſelectam,ſed ingentem Latinorum, Sternicorumque conciverant ex integerrimis diutina pace populis; & poſtea; Senatus Satricium Coloniam duo millia Civium Romanorum deduci juſſit bina jugera, & ſemiſſem agri adſignati, ac deindè ab Antio Satricium, à Satricio Velitras, inde Tuſculum legiones ductas paulo poſt fuſi hoſtes cum Satricium, quod duobus millibus, indè aberat,non caſtra peterent ab equite maximè cæſi, caſtra, capta, direptaque. Ab Satricio nocte, quæ prælio proxima fuit, petunt Antium; *lib.* 28. Multa prodigia nunciabantur Terracinæ Jovis Ædem, Satrici Matris Matutæ ab Cęlo tactam; Satricanos haud minùs terrebant in Ædem Jovis foribus ipſis duo prolapſi angues. Ex allatis patet dicta Volſcorum opida Satricum, Longulam, Poluſiam unà cum Corilis ſita fuiſſe inter Veli-

tras,

tras, Lanuvium, Ardeam, Antium, Aſturamque flumen eo ſcilicet ordine, quo modo recenſui ità ut Satricium Velitris, & Lanuvio, Corioli Ardeæ, & Antio fuerint proximi, reliqua duo in eorum medio.

V E R R U G O.

Volſcorum fuit opidum in confinio Æquorum: *Diodor. lib.* 14. Ex Verrugine autem opido ab hoſtibus ejecti ſunt. *Liv. lib.* 4. Anno Urbis CCCX. Læti audiere Patres Volſcos, Æquoſque ad communitam Verruginem fremere. *Valer. Max. lib.* 3. *cap.* 2. C. Sempronio Atratino Conſule cum Volſcis apud Verruginem parum proſperè dimicante. *Liv. Anno Urbis CCCXXXII.* Verruginem in Volſcis eodem exercitu receptam, populationeſque, & prædas, & in Æquis, & in Volſco agro ingentes factas: Mox in Volſcis accepta clades amiſſo Verrugine præſidio. Fuit itaque opidum Volſcorum in confinio Æquorum inter Velitras, Coram, & Algidum Æquorum opidum.

E C H E T R A.

Eodem tractu in Æquorum ſimul, & Hernicorum confiniis alia Urbs Volſcorum clariſſima fuit Echetra, ſeù Ecetra. Hinc Echetrani; & Ecetrani. Stephan. Echetra opidum Italiæ in Volſcis opportuno loco ſitum. *Liv. lib.* 2. Decedentem Roma Ecetranorum Volſcorum Legati rebus ſuis timentes poſt Pometiam captam adeunt, his ex Senatus conſulto data pax, agerque ademptus. *Dionyſ. lib.* 4. Nondum finito Feſto Legati ab Auruncorum gente veniunt, hi in Senatum introducti repoſcebant Volſcorum Echetranorum agrum, quem Populus Romanus Echetranis ademptum colonis diviſerat in præſidium contrà eam gentem miſſis. *Dionyſ. lib.* 10. Captis nullo negotio caſtris Echetram exercitum duxit, quæ tunc clariſſima erat, & optimo loco ſita Urbs. *Livius lib.* 4. Cum Volſcis inter Ferentinum, atque Echetram collatis ſignis dimicatum. Echetra itaque ultrà Tuſculum, & Algidum ſupra Norbam, ſigniamque verſus Septentrionem inter Coram Volſcorum, & Anagniam Hernicorum, qua Volſci Æquis ſimul, & Hernicis fuere contermini, extabat, ait *Cluverius in hiſtor. Italiæ.*

AR-

ARTENA.

Tres Tabernæ, & Forum Appii.

Eodem tractu fuit, & Artena opidum. *Liv. lib.*4. Artena inde Volſcorum opidum ab tribunis obſideri cepta, mox diruta, & Arce, & Urbe Artena reductæ legiones ex Volſcis.

Intrà Volſcorum Regionem, & campum pomptinum Tres Tabernæ fuerunt, quæ apud Aſturam flumen fuiſſe deprehenduntur, ubi locus nunc vulgò Ciſterna. *Cic. lib.*2. *Epiſt.*12. ad Atticum Emerſeram commodè ex Antio in Appiam ad Tres Tabernas, cum in me incurrit Roma veniens Curio meus. *Acta Apoſtol. cap. ultimo*. Atque ità contendimus Romam, unde fratres cum de nobis audiviſſent, profecti ſunt nobis obviam ad Appii uſque Forum, & Tres Tabernas. Forum Appii ex Scholiis Horatii nomen erat oppidi, quod circa Nymphęum flumen inter Cloſtra, Aſturam, & Sulmonem modo Sermonetam ſitum fuiſſe opinatur Cluverius. *Plinius lib.*14. *cap.*6. Divus Auguſtus Setinum vinum prætulit cunctis, naſcitur ſupra Forum Appii. Hic autem ſitus egregiè congruit cum itinerariis, quæ 18. millia paſſuum ab eo habent Terracinam uſque, & Setia è montibus ei loco imminet. Locus ad Spondas dictus tria circitèr millia paſſuum ā Tribus Tabernis abfuit Romam euntibus. Alter locus ad medias dictus medio fere fuit itinere inter Forum Appii, & Terracinam, unde ei nomen quæſitum. Atque hactenùs loca in pomptino campo, & circa eum ſita à nobis explicata ſunt.

FRUSINO.

Septem millia paſſuum ab Hernicorum oppido Ferentino eſt oppidum perantiquum Volſcorum Fruſino. Volſcorum fuiſſe patet ex *Liv. lib.*10. ſcribente Fruſinates tertia parte agri damnati quod Hernicos ab eis ſollicitatos compertum; Fruſinates itaque non erant Hernici, quos ſollicitabant, ſed Volſci gens contermina Hernicis ab Auſtro. *Diodorus lib.*20. Romani Fruſinone expugnato agrum venundedere. Coloniam fuiſſe Frontinus ait, Feſtus verò inter Præfecturas numerat. Fruſinone natos fuiſſe Sanctos Pontifices Hormiſdam, & Silverium, qui exul in Iſula Pontia-

Digitized by Google

na obiit, ſacra hiſtoria edocet. Adeſt ibi Arx, ubi cum familia armata reſidet modò Gubernator Generalis Provinciarum Maritimæ, & Campaniæ, qui plures Civitates, ac Terras ſibi commiſſas regit.

FERENTINUM.

Haud procul à Fruſinone oppido eſt prænobilis, & Epiſcopalis Civitas Ferentinum inter Hernicorum oppida à Cluverio in deſcriptione Italiæ collocata. Volſcorum tamen fuiſſe colligitur ex *Liv. lib.4. circa finem dicente*. Ferentinum, quò magna multitudo Volſcorum ſe contulerat cepere, minùs prædæ, quam ſperaverant, fuit: Quod Volſci poſtquam ſpes tuendi exigua erat, ſublatis noĉte rebus oppidum reliquerunt. Captam à Romanis hanc Civitatem Hernicis donatam aſſerit *Cluverius cap. 6.*, ubi Volſcorum fuiſſe docet.

FREGELLÆ.

Fregellæ;arum numero plurali declinatur hæc Civitas,quam præterfluebat Liris ad Minturnas ſeſe effundens: Volſcorum fuiſſe tradit *Livius lib.8. dicens*. Fregellas Sidicinorum is ager, deindè Volſcorum fuerat, Colonia deducta, & ibidem. Non poſſe diſſimulare ægrè pati Civitatem Samnitum, quod Fregellas ex Volſcis captas, dirutaſque ab ſe reſtitueret Romanus populus; hinc Fregellanus Steph. Epitom. Fregellæ oppidum Italiæ, quod antiquitùs erat Opicorum, poſtea vero Volſcorum fuit factum. *Strabo lib.5.* Fregellæ nunc quidem vicus, ac olim Urbs celebris, & plerarumque modo dictarum anteà Caput: Hinc Auctor ad Herennium ò perfidioſæ Fregellæ quàm facilè ſcelere veſtro contabuiſtis. *Vellejus lib.1.*,ait. L.Opimus Conſul, qui Fregellas exciderat.

FABRATERIA.

Vulgò nunc Falvatera Volſcorum oppidum fuit teſte *Livio lib.8.* Cujus principio anni Legati ex Volſcis Fabraterni, & Lucani Romam venerunt, ſcilicet anno Urbis CCCCXIIII. ante Jeſum CCCXXIX. *Vellejus lib.1.* Fabrateria deducta Colonia eſt, & *Strabo lib.5.* Fabrateria, quam Trenus præterlabitur am-

nis;

nis; apud Lirim fluvium eam collocat Cluverius, eſt autem opidum nimis tenue.

A Q U I N U M.

Infrà Treni confluentem medio itinere inter Fabrateriam, & Aquinum Melphes fluvius in eundem confluit Lirim, (fuit autem Melphis fluvius ſatis notus ex Cluverio,& Frontino) ab Leva tamen ripa vulgò nunc Melfa dictus, & Aquinum Civitas epiſcopali dignitate inſignis, inſignior verò gloria S. Thomæ Aquinatis; Idiomate noſtro vocatur Aquino. Coloniam fuiſſe teſtatur Plinius, Tacitus, & Frontinus. *Strabo lib.5. ait.* Aquinum Urbs eſt magna, quam magnus præter fluit amnis Melphis, at nunc parva eſt Civitas, ac penè deſolata; ejus Epiſcopus in Terra Pontecurvi reſidere ſolet, ubi Seminarium, familia armata, & Vicarius Generalis eidem aſſiſtit.

I N T E R A M N A.

Sequitur hinc Aquinum Interamna ad differentiam Interamnæ in Umbria Lirinas dicta ab amne Liri. *Liv. lib.26.* Inde præter Interamnam, Aquinumque in Fregellanum agnum ad Lirim fluvium ventum. *Idem lib.10.* Samnites Interamnam Coloniam Romanam, quæ via Latina eſt, occupare conati. *Strabo lib.5.* Interamnium intra confluventes duorum amnium Liris, atque alterius,ſcilicet erat inter Caſinum, & Aquinum ad amnem Lirim; inde non eſt,quæ vulgò nunc dicitur l'Iſola, quod eſt opidulum longè extrà viam Latinam verſus Septentrionem, ait Cluverius.

C A S S I N U M.

Ultimum novi Latii, ſeù Volſci agri in via Latina fuit Caſinum oppidum multis memoratum. Frontinus, ait, Caſſinum muro ducta Colonia. Non conſtat, utrum Samnites novum hoc condiderint opidum, an ex Volſcis captum novo tantum hoc nomine Caſinum appellarint. In latere, ſeù ſinu montis, ubi vetuſtiſſimum fanum Apollinis S. Benedictus deſtruxit, & aram Sancti Martini excitavit, uti conſtat ex Dialogo S. Gregorij, anti-

quum illud fuit opidum Caſinum, ſub quo fuit Villa Terentii, ut Cicero, & Varro narrant. Exiſtit ibidem modo celeberrimum S.Patriarchæ Benedicti Cœnobium vulgari vocabulo Monte Caſino.

A T I N A.

Seu Atinum, ſuprà Caſinum, Aquinumque versùs Septentrionem circà Melphis fluvii fontes eſt antiqua in primis Volſcorum Urbs Atina, hodieque nomen id retinens; Atino. In edito,& nivoſo colle ſita eſt apud Appenninum montem,& Melpham fluvium agrum illius irrigantem. Nobilis olim fuit,& Epiſcopalis Civitas; Epiſcopatus dignitate orbata eſt tempore Innocentii Papæ Tertii. Atina muro ducta Colonia, quam deduxit Nero Claudius Cæſar, ait Frontinus,ubi agit de Coloniis. Apud paludes pomptinas malè collocat Servius; conditam fuiſſe volunt à Saturno nonnulli.

ARPINUM, ET ARCANUM.

Ab Atina verſus Solis occaſum inter Melphem, & Lirim, ſed propiùs hunc antiquiſſimum eſt ibidem oppidum Arpinum, vulgò Arpino, Ciceronis Patria. *Hieronymus in Euſebii Chronic. lib.2.* Cicero Arpini naſcitur matre Helvia, Patre Equeſtris ordinis ex Regio Volſcorum genere, quippe ad Appium Tullium clarum Volſcorum Regem generis principium referunt. *Saluſt. de bello Jugurt:* Is natus, & omnem pueritiam Arpini altus, ſcilicet C. Marius Septies Conſul, cujus Patria fuit. *Livius lib. 9. eodem*, inquit, anno Sora, Arpinum, Serennia recepta ab Samnitibus, *& lib.10. eodem*, ait, anno Arpinatibus Civitas data: Inter Arpinum, atque Aquinum prædium fuit Quinti Fratris nomine Arcanum. *Cic. in Epiſt.* In Arcano fui, mox pranſimus in Arcano. Apud Martyrologium Romanum 4. Kal. Junii. Arcani in Latio S. Eleutherii Confeſſoris, cujus hiſtoriam habet Eccleſia Aquinas, uti teſtatur Cluverius in hiſtor. Italiæ.P.Clavellus, quem citat *Theodorus à Valle lib.1.cap.3. hiſtor. Privern.* aſſerit Arpinum à Saturno conditum fuiſſe, ibique Priapum prò inſigni ab eodem relictum; verum hæc videant Arpinates.

SO-

S O R A.

Suprà Arpinum, & Ciceronis Villam, Fribenique confluentem apud dexteram Liris ripam ſitum eſt opidum antiquiſſimum, cui nomen etiam nunc manet Sora, unde Soranus. Epiſcopalis eſt, & prænobilis Civitas viris in omni ſcientiarum genere conſpicuis ſtatens. Eam ſuis Natalibus illuſtravit Cęſar Cardinalis Baronius Sacræ Hiſtoriæ Pater; Ducatus titulo inſignita eſt; illùc plures nobiles familiæ è Terracina ſe contulerunt tempore bellorum civilium inter Terracinenſes, ut ibi pacificè degerent, inter quas eſt Carrara gens. *Livius lib.* 7. Conſules Dictatoris exercitu ad bellum Volſcum uſi Soram ex hoſtibus incautos adorti cęperunt, quod fuit anno Urbis CCCCIX., ante Jeſum CCCXLIIII. *Idem lib.* 10. Sora agri Volſci fuerat, ſed poſſederant Samnites. Frontinus inquit, Sora muro ducta Colonia juſſu Cęſaris Auguſti. Hæc itaque ſunt loca præter alia nobis ignota, quibus Oſcorum, Volſcorumque Regio concludebatur; Horum deſcriptionem cumulatiſſimè exegit Philippus Cluverius in hiſt. Italiæ, cujus verba pluries mea feci in omnibus ejus doctrinam ferè proſequutus: Meæ enim videbantur partes priùs aliqua de Volſcis, eorumque præcipuis Urbibus ac locis, quàm quidquam de Anxure, ſeù Terracina eorundem Metropoli attingerem, de qua mox ſpeciatim nobis diſſerendum erit.

C A P. III.

De Civitate Terracina.

RÉcenſitis Volſcorum Urbibus, oppidis, ac locis, reliquum eſt, ut Terracinam ſcriptis ſpeciali cura exaratis prò viribus illuſtremus. Intra præfatam itaque Volſcæ Gentis Regionem in antiquo littorali Latio Romana Campania hoc tempore nuncupato haud multum elati collis ad radices propè mare verſus Orientem, & non procul à paludibus pomptinis, Ufens ubi fluvius in Tyrrhenum devoluitur, Terracina olim Volſcorum Caput, & Metropolis; nunc verò Epiſcopalis Civitas ſeſe ſpectandam præbet, media ferè inter Urbem Romam, & Neapolim, à quibus ſexaginta milliaribus diſtat, licet eam quinquageſimo

milliari ab Urbe ſemotam *lib. 3. bell. civil.* collocet Appianus, quod non videtur abſurdum;tale enim compendium faciebat Regina viarum Appia, quæ priùs extabat. Diſtat etiam Terracina à Priverno treſdecim,à Fundis milliaribus decem, & ex hac parte Status Eccleſiaſtici maritima loca claudit. Parùm autem aberat eadem Civitas ab eo loco, cui nomen Lautulæ, de quo *Livius lib. 7. verſus finem*: Cohors una cum haud procul Anxure eſſet ad Lautulas ſaltu anguſto inter mare,& montes conſedit ad excipiendos, quos Conſul aliis, atque aliis, ut ante dictum eſt cauſis, mittebat, *& lib.9.idem ait*: Obviam itum hoſti, atque ad Lautulas ancipiti prælio dimicatum eſt. Non cædes, non fuga alterius partis, ſed nox incertos, victi, victoreſque eſſent, diremit; hujus prælii certamen aggreſſurus, ita Dictator affatur milites. Locis, inquit, anguſtis, milites, deprehenſi, niſi quam victoriæ patefecerimus, viam nullam babemus. De eodem loco *Livius loco videtur lib. 22.*, ubi ait. Eo fortè die Minucius ſe coniunxerat Fabio miſſus ad firmandum præſidio ſaltum, qui ſuper Terracinam in arctas coactus fauces imminet mari, ne immunito Appiæ limite Pænus pervenire in agrum Romanum poſſet. Conjunctis exercitibus Dictator, ac magiſter equitum caſtra in viam deferunt, qua Hannibal ducturus erat; duo enim millia hoſtes aberant. Lautulas tranſeuntibus Cajetam versùs deſcendendo præfati collis propter radices occurrebant in planitie ſitæ Amyclæ Urbs celeberrima à Laconibus Sociis Caſtoris, & Pollucis condita Pythagoræ leges obſervans; quapropter cum ejus Cives animalia occidere nefas crederent, ſerpentum morſibus, qui ſcatebant ibidem, paulatim deſtructa fuit, & cum gens reliqua ſtupidi ingenii, & timida eſſet; nonnulli lepidi homines eam nuncio adſtantium hoſtium terrebant, quod cum falſum eſſe pluriès repererint ſtolido conſilio legem tulerunt, nequis in poſterum ſimiles rerum eventus ex ſuis annunciaret, ad quam cum omni rigore ſervandam etiam jurejurando ſe obſtrinxerunt: Non latuit hoſtes ſtolidæ legis ſanctio; Ab his enim invaſi, cum nemo eſſet, qui aut loqui, aut hoſtium adventum nunciare, aut ad pugnam animare auderet ad unum omnes Civitate deleta occubuerunt; & ſic Amyclæ tacendo perierunt, unde Satyricus Lucilius ait; mihi neceſſe eſt loqui, nam ſcio, amyclas tacendo periiſſe; & Virgil. tacitis regnavit Amyclis. Sed ut ad Urbem Terracinam,

Digitized by Google

nam, à qua digreſſi ſumus, revertamur, conditam eam vult *Ferrarius in ſuo Lexic. geographi. olymp.* 181., unde tamen hoc ipſe excerpſerit, ignoramus: Certè hæc antiquiſſima, ac prænobilis Civitas ſuæ originis auctorem, ſediſque Regiæ fundatorem Janum perantiquum Italiæ Regem ſemper agnovit, ac venerata eſt, qui Janus multas Civitates, uti docet Beroſus, in Italia ædificavit, & regnare cępit ex calculo nonnullorum anno mundi 2765. Ea proptèr factũ eſt, ut Cives Terracinenſes ejus effigiem uſque ad noſtram ætatem in pariete Vici vulgò Capo la lingua expreſſam detinere conſueverint; cæterum hujus rei locuples teſtis eſt Joh.Henricus in ſuo Mercurio Italico dicens. Antequam Terracinam in eas, Jani de oppido aliqua audi. Nonnulli volunt, inter quos eſt Schottus, originem duxiſſe à Spartanis, qui aſperas Lycurgi leges fugientes ad has plagas appulerunt, ibidemque ſedem ſuam fixerunt: Verum enim verò propriùs veritati accedunt, qui Janum hujus Civitatis auctorem faciunt, cum hæc non ſolum ſit, ac fuerit conſtans, & apud omnes per ſæculorum curriculos inveterata opinio, ſed etiam confirmata à cultu prænominati Jani, qui inter Deos relatus apud Terracinenſes colebatur in delubro ejuſdem nominis: Erat autem ſitum hoc Templum haud procul à Palatio Perilluſtris familiæ de Vecchis, ubi ſpectantur adhùc nonnulla minarum, magnorumque ruderum ex candido marmore conſtantium veſtigia, quorum aliqua extraxit inventa in ſubterraneis locis bonæ mem. Dominus Cęſarius de Vecchis, dum, me puero, fundamenta peramplæ ſuæ domus jecit. Corruit prædictum Fanum ea tempeſtate, qua Civitas Terracina igne, ferroque devaſtata fuit, & Templum Apollinis Antiquitate famoſum conſimile infortunium ſubiit; hinc Vicus ei proximus hactenùs appellatur vulgò il Tempio; neque prioris ævi Cives nomen Jani addiderunt, quoniam locus ille, vt dicitur, lippis, & tonſoribus notus erat. Dubium autem eſſe poteſt, quinam fuerit hic Janus Terracinen. Urbis auctor, & fundator, nam ferè omnes Nationes ſuos primos fundatores Janos nuncuparunt, cum tamen is Bifrons apud Anxurates exprimatur, haud difficile eſt, coniicere, eſſe eum eundem, qui prudentiſſimus, ac ſapientiſſimus Italiæ Rex habitus eſt, quique Saturnum à Jove Filio Regno expulſum, & exagitatum, navique in Latium advectũ hoſpitio ſuſcepit, ſuique Regni æquo animo participem fecit. Bifrons

frons verò (quod nonnulli inſcitiæ ergò vitio vertunt) fuiſſe fingitur,quatenus ſuæ excellentis ſapientiæ, ac palmaris prudentiæ dotibus,&, prçterita ſciret,& futura prçvideret. Confirmat,ac penè conſolidat meam conjecturã conglutinata apud Terracinenſes in ore ferè omnium traditio, quæ docet, Saturnum à Jano eorum fundatore excettum novo ſaxo, noviſque muris Civitatem Terracinæ ſibi aſſignatam condecoraſſe; Vnde quid mirum eſt ſi Priapum hortorum Deum habitum in nonnullis parietibus ejuſdem Civitatis inſculptum inſpicimus ? Id non aliundè proceſſit, niſi ex eo, quod Urbem Terracinen., quam fundaverat Janus, Saturnus excoluit, & tale ſignum in teſtimonium ſui regiminis, & ornatus appoſuit: Hinc P.Clavellus in lib.antiquit. Arpin. ideò aſſerit à Saturno ædificatum fuiſſe Arpinum, quia ibidem pro inſigni Priapus ſpectabatur, quem pro inſigni Idem Saturnus memoriæ ergò reliquit; quin immò hujuſmodi ſigna in Civitate Alatrina,& Atinen., quas Saturnum condidiſſe ferunt, olim etiam cernebatur, & ipſa ab eodem Saturno fundatore inſculpta fuiſſe aſſeverabant ex traditione illarum Cives, ut mihi ex juris fide dignis innotuit. Nihil moror itaque ſententiam illorum, qui ad Anxurem filium Jovis Pſeli exordia hujus Civitatis referunt, cum ſolidior ſit ratio militans prò præfatis Saturno, ac Jano, & Anxur filius Jovis Beli forſitan nunquam in rerum natura extiterit. Dicta fuit autem Terracina, ſeù Tarracina olim Trachina, uti auctor eſt *Strabo lib.6.* ab aſperitate loci utpotè ſaxoſi, in quo poſita erat, ſeù potiùs ut volunt aliqui ab aſperitate morum, quibus Lycurgi monitis, ac legibus efferati Lacædemones cum Volſcæ Gentis populis commixti eoſdem imbuerunt, ac præcipuè Terracinam Volſcorum Caput, & Metropolim, in cujus territorio Templum Deæ Feroniæ ibidẽ appellentes condiderunt. Nonnullis Terracena inſcribitur, quod vocabulum Terracena prò Terracinà reſtitui voluit Fulvius Volſinius falſa forſitan, ac prçpoſtera opinione ductus; fuit enim quidam lepidus homo, qui ideò Terracenam nuncupatam arbitratus eſt, quia priſcis temporibus apud ejus Cives uſus erat, at advenientibus exteris Gentibus, nonniſi in terra ſtratis cçna porrigeretur; poterant quippè Terracinenſes hos mores haurire à Spartanis; Lacedæmones enim verberibus expellebant Hoſpites indicio Ariſtophenis ex lege Lycurgi, uti refert *Thomaſinus in lib. de teſſeris hoſpitalitatis.*

Ve-

Veruntamen in hujus nomenclaturæ ætimologia, quoniam alia nobis non ſuppetit, ab auctoritate Strabonis non diſcederem. Olim etiam dicebatur Anxur eo, quia, Servio teſte, ibi coleretur Juppiter Anxurus ſub forma pueri raſi, & imberbis, Græcè enim ſecundum aliquos idem ſignificat Anxur, ac ſine novacula; imberbis autem pingebatur Juppiter Anxurus, quatenùs nondum barbam raſiſſet. Fulvius Volſinus ubique apud auctores ſcribendum cenſebat prò Anxur Axur: in nummo enim antiquo legitur Jovis Axur, ubi N. omiſſum eſt, ut in innumeris aliis paſſim inſcriptionibus antiquis; Niſi disertis litteris perſcriptum in antiquo lapide Colon. Anxurn. inveniſſet, cum quo convenit illud Græco nummi. Haud temere tamen cum Daſquejo noviſſimo Silii commentatore nugatoriorum poſterioris ævi Grammaticorum auctoritatem prætulerim auctoritati Plinii, qui Terracinam Urbem Volſcorum lingua Anxur dictam teſtatur. Anxur autem Volſcorum idiomate nil aliud ſignificare autumat *Andreas Bavius lib.4. Therm.*, niſi ſuperbum, idemque Statius, aliique auctores opinari videntur. *Domitius Calderinus in Comment. Martial.* Anxur ſuperbum dictum aſſerit eo, quia priſcis temporibus ſaxo conditus erat, at poſteà in æquiorem locum depoſita ſit Civitas. Veriſimilior tamen apparet illorum opinio, qui Anxur Volſcorum lingua idem ſonare ajunt, atque antiquam Urbem, ſicut meddix eodem idiomate magiſtratum ſignificat, adeò enim antiqua ſemper habita fuit Civitas Terracina, ut haud improbabile ſit, eam ità nominaſſe Veteres ut mentibus poſterorum inſculpta vel in nominis æthimologia reſideret ejus Antiquitas: Superbum autem vocarunt Anxurem eo, quia cum eſſet Urbs Volſcorum Domina, ac Superior aliis ſupercilio dominata eſt. Ab Urbe Anxure Juppiter, qui ibidem in veneratione erat, dictus eſt Anxurus, cujus uxor Juno Virgo ſub Feroniæ nomine, uti docet Servius, tribus milliaribus à Terracina colebatur in Fano ejuſdem Feroniæ nomine condecorato. Fuit ſiquidem Anxur, ſeù Terracina Civitas Volſcorum primaria, & uti probavimus cap. primo hujus libri eorundem Caput, ac Metropolis, quæ eminentiori loco, atque vaſtiſſima erat: Primum aſſerit Dalecampius in notis Plinii dicens. Terracina olim in altiſſimo monte erat, inde poſteà in æquiorem locum depoſita eſt, ut non ſolùm adhùc ſint veſtigia ædificiorum in Monte, ſed & mu-

murorum, & Kircherus de Latio novo, & veteri, ait, olim in ſalebroſi Montis vertiæ Urbs ſita erat, & undique circumdata mari, quæ tamen invecto paulatim limo, areniſque aggeſtis ſucceſſu temporis continenti accrevit; collegit hoc poſtremum Kircherus tum ex *cap.* 8. Solini, vbi inquit, Terracina Inſula anteà circumflua immenſo mari, nunc ævo nectente addita continenti, tùm ex Scholiis ejuſdem, in quibus ità legitur. Tarracina etiam Trachina dicta fuit olim Volſcorum Metropolis, & quemadmodum ipſa maris abſceſſu addita continenti, ità Rhegium maris acceſſu à continenti ſejunctum eſt: Quod autem Terracinam Inſulam faciat ſolinus, inveriſimillium apparet cum verſus Occidentem, & Septentrionem continuis montibus cingatur, quos mare amplecti non poterat, potiùs itaque inter Peninſulas collocarem adeò ut verſus Orientem, ac meridiem ſolum aquis Neptuniis allueretur; hinc ex hac parte tractus terrę arenoſi, ac parum fertiles exiſtunt: Vaſtiſſimam autem fuiſſe teſtantur ingentia minarum, ædificiorum, arcuumque cadaveroſa monumenta, quæ paſſim ſupra montis jugum, & circa ejuſdem radices viſuntur ità ut ſi coniecturæ locus daretur, illa ſuperiora non Urbem ipſam, ſed partem Urbis ſuperiorem conſtituiſſe crediderim hoc enim pacto præfata auctorum dicta conciliarentur, & à reliquis non diſcreparent. Quam dici autem Volſcæ Regionis populis hæc præclariſſima Civitas dominata ſit, & quænam facies eſſet ejuſdem in primis illis ſuæ infantiæ exordiis, & progreſſu temporis, quãdo Volſcorum ſceptris potita leges Gentibus imponebat, ignotum eſt. Cæterum per multos annos oppugnata Romanorum inſultibus reſtitit,ad demũ anno CCCXLIX. poſt Romam conditam ſicut reliquæ Civitates Romano Imperio caput ſubmittere, manuſque dare coacta eſt. Ejus expugnationem ità narrat *Livius lib.*4. *verſus finem*. Tabius, quod maximè petebatur ad Anxur appugnandum ſine ullà populatione acceſſit. Anxur fuit, quæ nunc Tarracinæ ſunt; Urbs prona in paludes ab ea parte Fabius oppugnationem oſtendit. Circummiſſæ quatuor cohortes cum C. Servilio Halà cum imminentem Urbi collem cępiſſent, ex loco altiore,quà nullum erat præſidium ingenti clamore, ac tumultu mænia inuaſere; ad quem tumultum obſtupefacti, qui adversùs Fabium Vrbem infimam tuebantur, locum dedere ſcalas admovendi; plenaque hoſtium juncta erant, & in mu-

muris dici cædes paritèr fugientium, ac reſiſtentium armatorum, atque inermium fuit. Cogebantur itaque victi, quia cedentibus ſpei nihil erat pugnam inire, cum pronunciatum repente, nequis præter armatos violaretur, reliquam omnem multitudinem voluntariam exuit armis, quorum ad duo millia, & quingenti vivi capiuntur, à cętera præda Fabius militem abſtinuit, donec collegæ venirent: Ab illis quoque exercitibus captum Anxur dictitans eſſe, qui cæteros Volſcos à præſidio ejus loci avertiſſent, qui ubi venerunt, oppidum vetere fortuna opulentum tres exercitus diripuere, eaque primum benignitas Imperatorum plebem Patribus conciliavit: additum deindè omnium maximè tempeſtivè principium in multitudinem munerum, ut ante mentionem ullam plebis, tribunorumque decerneret Senatus, ut ſtipendium miles de publico acciperet, cum ante id tempus de ſuo quiſque functus eo munere eſſet: Nihil acceptum unquam à plebe tanto gaudio traditur: Excurſum itaque ad Curiam eſſe, prænſataſque exeuntium manus, & Patres verè appellatos. Eademità narrat *Dalecampius in notis Plinii lib.4. cap.11.* Capto Anxure. Senatu conſulto ſtatutum eſt, ut militare ſtipendium ex ære publico ſolveretur, dictiquè hi milites auctorati: Et Ughelius in Epiſcop. Terracinen. [inquit] mos militibus ſolvendi ſtipendia è Terracinen. bello duxit originem; cum enim C. Servilii Halæ exercitus Terracinam cępiſſet Dux ſervatam prædam pro ſtipendio diviſit in milites; ſed clariùs totum id, ut mihi videtur exponit *Livius in calce lib.4. prædicti*, qui item *lib.5.* circa initium oſtendi, quomodo captum à Romanis Anxur iterùm recuperetur à Volſcis ità ſcribens. His tribunis dum cura omnium in Vejens bellum intenta eſt, neglectum Anxuri præſidium vacationibus militum, & Volſcos mercatores vulgò receptando proditis repentè portarum cuſtodibus oppreſſum eſt; minùs militum periit, quia præter ægros lixarum in modum omnes per agros, vicinaſque Urbes negociabantur. Tanto autem dedecori hoc fuit Romanis, ut nunquam ceſſaverint Urbem Terracinam obſidere, donec ejuſdem Caſtris potirentur, uti docet idem Auctor *eodem lib.5.* in hæc verba. Bellum multiplex fuit eodem tempore, & ad Vejos, & ad Capenam, & ad Falerios, & in Volſcis, ut Anxur ab hoſtibus recuperaretur, & paulò poſt. At in Volſcis depopulato agro Anxur nequicquam oppugnatum loco alto ſitum, & poſtquam vis

E irri-

irrita erat vallo, foſſaque obſideri ceptum. Tandem idem *Livius ibidem ait*. Anxur in Volſcis brevi receptum neglectis die Feſto cuſtodiis Urbis. Ægrè tulere hanc novam Terracinæ expugnationem Volſci, quapropter ferè totius Regni vires ad eam oppugnandam convertunt, uti videtur innuere *Livius lib. eodem dicens*. Et anno Tarquinenſes novi hoſtes exorti, quia multis ſimul bellis Volſcorum ad Anxur, ubi præſidium obſidebatur: Nihil tamen Volſcos profeciſſe conſtat: Manſit itaque ex hoc tempore Anxur ſub ditione Populi Romani, ſub quorum dominio ità habita eſt, ut ſemper ne quid mali ſuſtineret ab hoſtibus fuerit proviſum, legimus enim apud *Polyb. lib. 3. Hiſtoriar.* quemadmodùm in tertio fœdere inter Romanos, & Carthaginenſes icto à Romanis etiam cautum, ne Carthaginenſes injurias inferant Ardeatibus, Antiatibus, Circeis, Tarracinenſibus, cæteriſque Latii Ciuitatibus, quæ mari adjacent, & regionem Latinorum complectuntur: Pretereà anno poſt Romam conditam 425. ante Chriſtum 326. teſte *Liv. lib.* 8. L. Æmilio Mamertino, & C. Plautio Deciano Coſs. illam Romani Coloniam effecerunt; quorum poſteà etiam Municipium fuit, ſi *Tacito lib.4. hiſtor.*, ubi de Helvidio Priſco, atque *Juſt. Lipſio ejus comment.* credimus. Certè *Livius lib. dicto ait*. Eodem anno Anxur trecenti in Coloniam miſſi ſunt, bina jugera agri acceperunt, & Vellejus Paterculus, inquit, poſt triennium Terracinam deducta Colonia: Coloniæ autem Romanæ fuerunt, uti ait Thomas Demſterus, oppida, quo Populus Romanus Cives ſuos ad incolendum deduxit, quarum duo genera, aliæ jus privatum Civium Romanorum habuerunt, quod jus conſiſtebat in jure privatæ libertatis, connubiorum jure patritio, item teſtamentorum, tutelarum &c. jura verò publica Civitatis Romanæ non habebant: Aliæ verò nec publica nec privata jura Civitatis Romanæ habuerunt, verùm, qui eo adſcripti erant nomine quidem Cives Romani, re verò Coloni erant. Municipium oppidum erat, ut Feſtus docet, jure Civium Romanorum donatum, & ut præfatus Demſterus ait, municipium id genus hominum dicitur, qui cum Romam veniſſent, neque Cives Romani eſſent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendũ una cum Romanis Civibus præterquam de ſuffragio ferendo, aùt magiſtratu capiendo: Quo autem tempore Terracina municipium facta ſit, ignoramus; probabile tamen eſt id acci-

accidiſſe temporibus Reipublicæ Romanæ, poſtquàm verò dominium Latii, Orbiſque Terrarum ad Romanos Imperatores devolutum eſt, in eodem ſtatu perſeveraſſe haud incredibile apparet, à quibus etiam variis, magnificiſque ædificiis condecoratam eſſe conſtat: Horum exempla ſecutos Dites, Equiteſque Romanos prædiis,villiſque conſtructis eam ſeceſſibus ſuis frequentaſſe non præterit. Porrò innumerabiles illæ ædificiorum ruinæ, quæ vel per planitiem agri Terracinen., aut propter viam Romanam ſpectantur nihil aliud ſunt, niſi cadaveroſa monumenta arcuum triumphalium, ſepulchralium, vel peryſtiliorum Viam Appiam, aut Romanorum Villas, & prædia oxornantium. Terracinam celebratam eſſe ſeceſſibus Romanorum equitum, atque Imperatorum auctor eſt *Martialis lib. quinto Epigram. primo ad Domitianum Imp.* dicens.

Seu placet Æneæ nutrix, ſeu filia Solis,
Sive ſalutiferis candidus Anxur aquis.

Quibus verſibus innuere videtur Martialis ea loca ſeceſſibus ſuis frequentaſſe Domitianum Imper. Frontinus etiam Terracinenſes ſeceſſus celebravit, vt idem *lib.* 10. *Epigram.* docet ſcribens.

Anxuris æquorei placidos, Frontine, receſſus,
Et propjus Bajas, littoreamque domum.

Et paulò ante ad Fauſtinum ait.

O nemus, ò fontes, ſolidumque madentis arenæ
Littus, & æquoreis ſplendidus Anxur aquis.

Svetonius autem *cap.39.* in vita Tiberii Imperat. hæc alia narrat. Paucos poſt dies juxtà Terracinam in Prætorio cui Speluncæ nomen erat inibi cenante complura, & ingentia ſaxo fortuito delapſa ſunt ſupernè, multiſque convivarum, & miniſtrorum eliſis præter ſpem evaſit. Et in vita Galbæ Imperat. eidem ait: Sergius Galba Imper. M. Valerio Meſſalà, Cn. Lentulo Coſs. natus eſt 9. Kalend. Januarii in Villa colli ſuppoſita propè Terracinam ſiniſtrorſum Fundos petentibus: *Cicero autem lib. 7. epiſt. famil. cap.23. ad Fabium Gallum ſcribit.* Iſta quidem ſumma ne ego multò libentiùs emerim diverſorium Terracinę, ne ſemper hoſpiti moleſtus ſim omninò Liberti mei video eſſe culpam, cui planè res certas mandaram: Quem locum ità commentatur Paulus Manutius ly Terracinæ inquiens. Vetus nomen Anxur fuit, recentiùs Tarracina. Horatius tamen præter conſuetudinem dixit.

E 2 *Im-*

Digitized by Google

Impoſitum ſaxis latè candentibus Anxur.

Verſus commoditatem quærens ex antiquo nomine. Priùs igitur nomen mutavit, deindè etiam locum, ſed infrà ætatem Horatii, nam cum dixit.

Millia tum pranſi tria repimus, atque ſubimus
Impoſitum ſaxis latè candentibus Anxur.

Perſpicuè demonſtrat ſitam in Monte Terracinam fuiſſe; ex Porphirio ſubjungit hæc, meritò repſimus, inquit, & impoſitum ſaxis, quoniam illis temporibus adhùc Terracinenſis Urbs in altiſſimo Monte erat, indè poſteà in æquiorem locum depoſita eſt, ut non ſolum ſint adhùc veſtigia ædificiorum in Monte, ſed & murorum; quo autem ſenſu Porphirii verba intelligenda ſint, recole, quæ ſuperiùs ſcripſimus ſuper verbis Dalecampii, qui idem aſſerit. Verùm hæc à fundatione Civitatis Terracinæ uſque ad Nativitatem Domini dixiſſe ſufficiat; reliqua in profundo tenebricoſiſſimi vorticis demerſa poſteris expiſcanda relinquimus.

CAP. IV.

POſteà verò quam Divini Numinis erga humanum genus Miſericordia Orbem Terrarũ in profunda Idololatriæ nocte ſepultum, moribuſque profanis obcæcatum illuminare, & ſpecialitèr Terracinam opera Principis Apoſtolorum Petri ab Ethnica cæcitate ad ſuæ Cattholicæ fidei lumen evocare dignata eſt, tractu temporis ex dominio Reip: Romanæ, Romanorumque Imperatorum ceſſit in manus Summorum Pontificum, à quibus pluriès erepta fuit, ac tandem recuperata, & in eorundem poteſtatem redacta, uti nunc perſeverat gaudens omnibus gratiis, privilegiis ac beneficiis, quibus fruuntur cæteræ Pontificis Civitates. Converſa itaquè ad Chriſtum Civitas Terracina à Principe Apoſtolorum Petro, qui circa ann. Domini 46. teſte Baronio, S. Epaphroditum primum Epiſcopum ibi conſecravit, & ab Apoſtolo Gentium Paulo, ut piè creditur, Evangelica prædicatione illuſtrata, adeò Chriſtiana Pietas adolevit ibidem, ut plurium Sanctorum Martyrum cruore ſolum inſperſum erubeſcere viderit, & converſionem plurium populorum ad Orthodoxam fidem à ſuis filiis perpetratam audierit: Erat quippè tùm ſtatus hujus Civitatis florentiſſimus, & ampliſſimus, & quamvis honore priſcæ domi-

na-

nationis non parum eſt diminuta, neque amplius perinde, ac in primis ſuæ infantiæ exordis perſonam imperantis, ſed utpotè Municipium Romanum ſervientis Civitatis perſonam gereret, erat nihilominùs totius Campanæ Provinciæ Caput, & Præſides Romani ad ejuſdem guberniũ miſſi reſidebant in ea; quarè confluentibus ex locis finitimis undequaque ad eam populis viros omnibus numeris abſolutos numerabat, & veri juris, germanæque juſtitiæ libra trutinans acta ſubditorum mulctabat impios: At quoniam ejus Rectores ne primoribus quidem labiis adhùc guſtaverant lac Sacrum Evangelicæ doctrinę, cum jam tunc Eccleſia Dei flebiliter jactaretur in ſuis primis incunabulis, mirũ eſſe non debet, illos aliquando ſæviiſſe adverſus Sanctarum Virginum innocentiam. Erat etiam præfata Civitas portu magnifico inſtructa, ſuperbiſſimis ædificiis, ac Villis ſplendidiſſimis exornata, neque domus ſurgebant levibus innixæ fundamentis, neque illarum parietes cæmento fragili, calciſque arenoſæ ope commiſſi, conglomeratique extabant, uti teſtantur plurima veterum murorum veſtigia, in quibus aut lapides majores, aut lateres præduri bene, rationeque compacti obſervantur. Vitioſa ethnicæ ſuperſtitionis Fana, adhuc Idololatria regnante, plura extulit Terracina, quorum ſeptem numeravimus, nempe Jovis Anxuris, Jani, Apollinis, Minervæ, Feroniæ; Deæ Majæ, & Deæ Fortunæ. Dum verò tantis ornamentis exculta gloriatur præfata Civitas, & ſuperbire videtur; ecce tibi ab extremis finibus Scythiæ veluti eructata à faucibus Orci barbara, & inhumana Gothorum gens, qui ſanguinem Romanum, Romanorumque Municipiorum Diis litantes tanquam ferociſſimi belluarum alumni, Duce Alarico, Italiam penetrant, & Romanam Urbem, quæ Pænum ſuſtinuit, expugnant, diripiuntque Pontifice Zoſimo; tanto autem odio ferebantur adverſus nomen Quiritum, ut exardeſcentes inſtar voraciſſimi ignis poſteà quam opima quæque Urbis exederint, in totum Latium eis obnoxium graſſari non dubitaverint, & incredibili irruptione omnia ſuſdeque vertentes Viam Appiam, ſepulcrales lapides, & magnifica quæque Veterum monumenta fœdè vaſtaverint, novo mortis genere mortuorum ſigna delentes, at quia his omnibus Terracina ſcatebat, eam miſerrimum in modum deformarunt ſplendida quæque in ſolum demittentes, igne, ferroque Urbem ipſam corrumpentes, & cuncta ferè obliterantes; ex quibus damnis

nis adeò jacere cæpit, ut penè à ſplendore Civitatis dejecta in peſſimum ſtatum abierit; Et quamvis poſt exiccatas paludes pomptinas opera Decii Patritii Theodoricus Gothorum Rex eam novis muris, noviſque ædificiis excoluiſſe dicatur, nihilominus beneficiis majora detrimenta fuerunt, quæ ſemper ultrà proceſſiſſent, niſi barbaram gentem Juſtinianus magnus Imp: virtute Beliſarii Ducis acerrimi ex Italia exterminaſſet, quà ſuper re ità leges *lib.1. cap.11. de bello Gothico apud Procopium*. Gothi verò, qui apud Romam circumiectiſque in locis degebant, & vehementer mirati anteà fuerunt, adeò ceſſare Theodatum, ut hoſti appropinquanti ſe, &.congredi nollet, non leviter ſuſpicantes eum Juſtiniano Auguſto Gothorum res ultrò prodere, nequè aliud curare, niſi ut in otio, fortunis abundanti vitam traduceret, ubi nuntius venit captam eſſe Neapolim, horum omnium culpam in ipſum palàm coniicientes, in locum coniere, qui Roma 280.ſtadiis diſtat, & à Romanis Regeta dicitur. Is caſtris commodiſſimus viſus eſt, quod multa habeat equorum paſcua, ac rigetur fluvio, quem indigenæ Decennovium ideò appellant, quia decurſis XIX. milliaribus, quæ ſtadia conficiunt CXIII. in mare influit ad Urbem Tarracinam monti proximam Circæo, ubi cum Circè egiſſe Ulyſſem ferunt; & *lib.2. cap.2.* ejuſdem belli in hęc alia verba incurres. Circiter ſolſtitium æſtivum Euthalius quidam Byzantio Tarracinam venit ſtipendia militibus ab Imperatore debita ferens. Veritus autem ne in via, ſi in hoſtes incideret ab illis vita pariter, ac pecunia ſpoliaretur, ad Beliſarium ſcribit tutum det iter Romam. Ille centum perſpectæ fortitudinis viros è ſcutariis ſuis delectos cum Prętorianis duobus haſtatis Tarracinam deſtinat pecuniam comportaturos; nec intermittit prælii mox copiis omnibus ineundi ſpeciem prębere Barbaris, ne qua hoſtium manus vel commeatum, vel cujuſpiam aliùs rei cauſa digrederetur, & paulò poſt *cap.4., & 5.* ejuſdem libri hęc alia deprehendes. Magnam equitum partem in vicinas munitiones emittit [ſcilicet Beliſarius] præcipiens ut ſi qua hoſtium manus illac commeatus in caſtra importare velit, crębris inde factis excurſibus, & inſidiis ubique ſtructis id nunquam patiatur, ſed omni opere prohibeant: quo & Urbs minori quàm antè prematur penuria, & obſideri potiùs Barbari, quàm Romanos obſidere videantur: Martinus verò, ac Trajanus noctu caſtra hoſtium prę-

ter-

Digitized by Google

tergreſſi poſt ſuum Tarracinam adventum Antoninam [Belliſaſarii vxorem] cum paucis in Campaniam miſerunt, & vicinis montibus occupatis cęperunt ità inde erumpere, ut Gothos ea pervagantes loca, ſubitis repreſſerint incurſibus. Thraes autem Equites DCCC. quibus præerat Joannes Vitiliani tyranni nuperi ex Sorore Nepos Martinum quidem, ac Trajanum apud Tarracinam ſe offenſuros,& cum ipſis inde profecturos rebantur: verum ubi proximè ventum eſt, eos Romam paulò ante revocatos abiiſſe intellexerunt. Patet ex relatis eo temporis Terracinam recuperatam à Gothis fuiſſe ſub manutentione Juſtiniani Imperatoris, id, quod confirmat Sabellicus *Æneid.*8. *lib.* 3. *cap.*353. ſuperiùs factum ità complectens. Romę Belliſarius recreatis ab ea adverſa pugna animis, quam ſub regiis caſtris infelici eventu commiſſam ſuprà eſt demonſtratum aſſiduis pręliis hoſtem ſollicitare, nec tamen de ſumma rei vna acie decernere ſuorum paucitati diffiſus. Interim Tyberina navigatione intercluſa data eſt opera, ut naves Tarracinam uſque commeatum conveherent; inde Appia via, aùt Hoſtienſi Romam defertur. Vitigis ut hanc quoque ſpem Romanis adimeret nova caſtra ad quintũ lapidem inter Appiam, & Latinam communivit,qua duo diverſi aquarum fontes coibant; unde fames multò major, quam anteà obſeſſam Civitatem [ſcilicet Romam] invaſit, nec diù tolerari potuiſſet, niſi milites noctu jam maturis ſegetibus furto aliquid frumenti ex agris corripuiſſent, cum annona arctior eſſet, tùm gravis peſtilentia Civitatem affligebat, quęrebantur Romani apud Belliſarium,qui ipſius fidem ſecuti in eas calamitates incidiſſent. Cives ſuos Ravennę à Barbaris interfectos, Urbem ignominiosè obſideri, ſe liberis, uxoribus, & omnibus, quæ mortalibus chariſſima ſunt, privatos, arctiſſima obſidione teneri, bello,fame,peſtilentia miſera Civium corpora conſumptum iri. Rogare Ducem ut ſe in hoſtem ducat, inermeſque, ſi ità libeat, armatis hoſtibus obiiciat, ſatiùs forè ſibi honeſtam mortem occumbere prò patria dimicantibus, quàm ad ſęvos cruciatos ſervari. Caſtigavit Dux prudentiſſimus Romanorum deſperationem, juſſitque bono animo eſſe, fore ut brevi à Juſtiniano commeatus adeſſent, atque ità Civibus expectare juſſis ad impediendos hoſtium commeatus ex ſuis Ducibus aliquot Tibur, Tarracinam, Albam cum ſuis equitibus dimiſit, ut omnia hoſtibus itinera redderet infeſta. Ejectis

ab Italia Gothis, mox in Longobardorum manus dominium Latii faceſſivit, ſub quorum ditionem Terracinam quoque abiiſſe non præterit. Hinc apud Platinam tempore Joannis Papæ Quarti legitur, quomodo Gundiberta Theodolindæ Reginæ filia, & Rodoaldi Longobardorum Regis uxor ſuę matris Pietatem imitans, ſicut illa Mogontiæ, ità hæc Terracinæ Templum S.Joannis Baptiſtæ conſtruxerit, multoque auro, & argento ditaverit: Cum autem Longobardorum dominatio circà ann. 886. penitùs excidiſſet, & Terracina ſub poteſtatem Summorum Pontificum redacta eſſet, paulò poſt iterum à novo hoſte invaditur, uti docet Baronius ad annum 795. num.17. ità ex codicibus ſcribens: Adrianus Papa apud Carolum Regem Neapolitanos, & Græcos accuſat, quod conſilio Archidis Beneventanorum Ducis Terracinam invaſerint: Eadem tradit *Auguſtinus Oldoinus in addit.ad Ciacc. lib.1.pag.151. epiſtolis,* Adrianus Primus apud Carolum Neapolitanos, & Gręcos accuſat, quia ſuadente Archide Beneventanorum Duce Terracinam invaſerant; à Carolo auxilia poſtulat, ut ipſam, & alia ad B. Petrum ſpectantia in Neapolitano Regno recipere valeat: Anno 844. uti auctor eſt Hieronymus Bardus in ſua Chronologia Terracinæ Sol tenebroſiſſimis umbris futurorum malorum prænunciis offuſus apparuit, & paulò poſt quam plurimas clades à Saracenis paſſa eſt Italia, de quibus Chron. Caſſin.ità: Sergio Papa Secundo in Sede Apoſtolica præſidente, à quo Ludovicus Imp. eſt coronatus ingens Sarecenorum multitudo ab Africa claſſe Romam devecta Eccleſias Sanctorū Apoſtolorum Petri, & Pauli ex integro deprædati ſunt, multoſque illic interficientes per Appiam viam iter aggreſſi ad Fundanam Civitatem venerunt, quam cum cepiſſent, & incendio cremaviſſent, cunctoſque illius Cives partim captioni, partim gladio deſtinaviſſent, univerſa quoque per circuitum vaſtaviſſent ſecus Cajetani applicantes Caſtra metati ſunt. Hoc autem accidit anno Chriſti 846. cumque proximi Patriæ eſſent, apparuit eis Sanctus Petrus, & D.Benedictus, cujus cęnobium diripere nequivere, in navicula, & interrogaverunt eos de prędis,qui omnia confeſſi ſunt, unde mox procella oborta eos obruit, adeò ut aliqui pro nuncio ſolùm remanſerint. His autem cladibus Terracina non caruit, quas ità innuit *Carolus Sigonius lib.5.* Quippè Saraceni prędę libidine ſtimulati ex Africa claſſem Romanis littoribus

bus intulerunt, & procurſu ad Urbem facto opimas Apoſt. Petri, & Pauli ſuburbanas Baſilicas nemine vim propulſante diripuerunt, ac pretioſis omnibus earum ornamentis ablatis ipſas etiã Baſilicæ Vaticanæ valvas argenteas aſportarunt; Appia via inde digreſſi Fundos petiere, oppidoque ſuccenſo, & Civibus aut morte, aut ſervitute mulctatis propè Cajetã conſedere, & paulò poſt *eodem lib. pag. 220. ait*. Litteræ ad Imperatorem, & Reginam ſcriptæ adhùc leguntur. Romam reverſi omnia littora noſtra Fundis, & Terracinæ teneri à Saracenis invenimus. Exegit è finibus Italiæ hanc barbaram Gentem Carolus Tertius Imp. ante annum milleſimum æræ Chriſtianæ. Poſt Saracenorum expulſionem ab Italis oris Terracinam, quæ plurimas calamitates paſſa erat ſub illorum tyrannide, Silveſter Papa Secundus juſtis de cauſis adductus Darferio Comiti conceſſit, qua ſuper re extat in Archivio Terracinen. diploma ſequentis tenoris.

SILVESTER EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto in Domino Filio Darferio Comiti, tuiſque Filiis, & Nepotibus.

Quoties illa à nobis tribui ſperantur, quæ juſtè, & legalitèr conveniunt, animo noſtro decet libenti concedere, & petentium deſideriis congruum impertire ſuffragium: Ideoque, quia poſtulaſti à nobis quatenùs prò tuo fideli ſervitio, quod erga nos, noſtroſque anteceſſores Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Pontifices obedientèr exhibere conſueſti; maximè quia ob militare obſequium, quod nobis, noſtriſque ſucceſſoribus cum devota reverentia exhibere promiſiſti; noſtro dono, noſtraque magnificentia donamus, & largimur tibi, tuiſque Filiis, & Nepotibus jure: & nomine beneficii ideſt Civitatem Superiorem, & inferiorem, quæ vocatur Terracina cum omnibus turribus, & muris ſuis, ſeù cum omni diſtrictione ſua, atque comitatu Terracinen. in integrum cum terris, & ſilvis, campis, & paludibus, ripis, aquis, & piſcariis ſuis necnon cum omni diſtrictione ſua, & cum omni publica functione, quæcumque de prædicta

Civitate, ſeù Comitatu ad noſtrum Palatium pertinent, quod eſt inter affines incipientes à capo d'acqua quomodò venit per campum de agapito, & inde mittit in Drogam, & inde mittit in flumen, quod eſt juxtà Sanctum Donatum, & per ipſum flumen vadit in mare ad duodecim milliaria, & ab alio latere de ipſo portaturo, & vadit ad ipſa ſaxa, & uſque ad ipſum Sonninum, & vadit in portellas, & uſque in lacum, & per ipſum lacum vadit juxtà flumen Sanctæ Anaſtaſiæ, & inde vadit in mare ad duodecim milliaria. Hæc omnia juris noſtræ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, cui Deo auctore deſervimus emiſſa hac noſtra præceptione tibi ad tenendum, & perfruendum concedimus tuis inclinati precibus. Et quoniam Sanctę Romanæ Eccleſiæ Pontifices nomine penſionis per certas indictiones hæc, & alia nonnulla attribuiſſe nonnullis indifferentèr conſtat, cum lucris operam darent, & ſub parviſſimo cenſu maximas res Eccleſiæ perderent. Id genus doni totum in meliùs commutamus, uti per ea, quæ per hanc noſtræ pręceptionis paginam concedimus ſub nomine beneficii, & ſtipendia militaria ſunt. Hoc quippè genus penſionis dignum ducimus, & milites in pace obſequio, in bello armis prò honore, & ſalute Sanctę Romanę Eccleſię decertent. Sed ne res Eccleſiaſticæ in poſſeſſionem, vel proprietatem alicujus tranſire poſſint ſub nomine penſionis ab hac pręſenti quarta decima indictione conſtituimus, ut actionariis Sanctę Romanę Eccleſię tres auri ſolidi difficultate poſtpoſita perſolvantur: Ideſt in menſe Januario, quod ſi in primo anno perſolvi non potuerit, in ſecundo anno primi, & ſecundi anni penſio perſolvi debebit. Inclinati pręcibus tuis per hujus pręceptionis ſeriem predicto Comitatu Terracinen. cum omnibus ad eam pertinentibus, ut ſuprà legitur. Statuentes Apoſtolica cenſura ſub Divini judicii obteſtationem, & anathematis interdictum, ut nullus hominum, aut Regum, nullus marchio, nullus Princeps, nullus Epiſcoporum, nulla laicalis perſona, nulluſque hominum in quolibet ordine, vel miniſterio conſtitutus audeat moleſtè cauſis ejuſdem Comitatus incumbere, aut de rebus, & poſſeſſionibus, quæ ei pertinere videntur quoquo modo auferre, aut alienare præſumat, ſed potiùs auctoritate ad jus, & dominium ipſius perpetuis temporibus perſeverent. Si quis autem, quod non optamus, nefario auſu pręſumpſerit hęc, quę à nobis prò ſtabilitate jam dicto Comitatu Statuta ſunt, tran-

tranſgredi, ſciat ſe anathematis vinculo innodatum, & cum diabolo, & omnibus ipſius ęterni incendii atrociſſimo ſupplicio deputatum. At verò qui pro intuitu cuſtos, & obſervator extiterit omnimodam benedictionis gratiam omniumque ſuorum peccatorum abſolutionem, & indulgentiam, & cęleſtis vitę beatitudinem cum Sanctis, & electis Dei à miſericordiſſimo Domino Deo noſtro conſequi mereatur. Scriptum per manum Iohannis Scriniarii Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in menſe Januario indictione quarta decima.

Bene

Valete.

Dat. VII. Kal. Januarii per manum Johannis Epiſcopi, & Bibliothecarii Sanctæ Sedis Apoſtolicę Anno Pontificatus Dñi Silveſtri Sanctiſſimi Papæ Anno Secundo Imperante Domino Otto à Deo Coronato Magno, & pacifico Imp. anno quinto in menſe, & indictione ſupradicta: Hoc Pontificium diploma præ manibus habuit Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Dominus, Dominus Laurentius Corſinus Theſaurarius Generalis Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis Papæ XI. cum Terracinam profectus vetus Archivium ejuſdem Civitatis inviſeret; ipſe autem quia propiùs aderam, hæc obſervavi.

CAP. V.

POſt milleſimum à partu Virginis è manibus ſucceſſorum Darferii Comitis in manus Summorum Pontificum prolapſa Civitas Terracina Deſiderio Abbati Caſſinen. ab Alexandro Papa Secundo tribuitur, uti docet *Chron. Caſſin. lib. 3. cap. 36. inquiens*. Conceſſit etiam prædictus Papa Alexander perſonalitèr noſtro Deſiderio Civitatem Terracinenſem cum pertinentiis Suis, cujus redditibus utitur (nota tamen) Deſiderio, inquit, non Caſſinen. Abbati, & Monaſterio. Eadem ità narrat *Carolus Sigonius lib. 9. pag.* 354. Alexander Caſſinum reverſus hominem Dęmoniacum poſt precationem Divinam verbo imperioſo ſanavit, & Aquinum prætergrediens pede captam mulierem nactus maxima cum adſtantium admiratione curavit aqua, qua poſt ſacrificium manus abluerat potui miniſtrata, & Terracinæ oppido Abbati Caſſinenſi donato Romam reverſus proximo anno Kalen.

Martii ad Cęleſtia Regna migravit anno 1073. Eadem die, qua obiit Papa Alexander ob perſpectæ Sanctitatis meritum electus fuit Pontifex Gregorius Septimus, qui Majeſtate ſua Urbem Terracinenſem honoravit teſte *Oldoino in addit. ad Ciaccon.* his verbis: Egreſſus Gregorius VII. ab Urbe diverſa loca luſtravit Albanum ſcilicet, Caſinum, Capuam &c. inde reverſus eſt Caſinum, tandem Caſino recedens Romam reverſurus Villam Argenteam ſitam inter Caſinum, & Terracinam adiit, deindè Terracinam, & hinc Pipernum pervenit. *Eadem Baronius tomo* 11. *ad annum* 1073. *pag.*434. ità exponit: Caſino recedens reverſurus Romam Gregorius Villam Argenteam adiit ſitam inter Caſſinū, & Terracinam, ubi dum eſſet reſcripſit pro Iſmaldo Abbate, qui Hieroſolymis rediens ſuam occupatam invenit Abbatiam ab intruſo; indè verò recedens Gregorius Terracinam ſe contulit, ubi quarto nonas Decembris ad Lincolnienſem in Anglia Epiſcopū ſcripſit, qui miſerat homicidam Presbyterum ad Apoſtolicam Sedem prò diſpenſatione dicendi Miſſam, quam omninò idem Pontifex denegavit. Hæc autem Epiſtola ſub *num.*34. *legitur penes* 10.*tom.Conciliorum pag.*33. & eſt ſequentis tenoris.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Remedio Lincolnienſi in Anglia Epiſcopo ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LAtorem præſentium, quem fraternitatis tuæ litteræ homicidio maculatum nobis denunciaverunt, nulla Sanctorum Patrum auctoritas concedit ulteriùs Sacris Altaribus miniſtrare, nec nos decet conſtitutioni illius, quod abſit, aſſenſum prębendo Canonum Statutis contraire. Tua tamen Religio, ſi eum pro commiſſo crimine perſpexerit dignum Deo exhibere fructum pęnitentiæ hoc ſibi miſericorditèr provideat, ne ſtipendiis Eccleſiaſticis careat, atque paupertate puſillanimis factus Divina poſtponat præcepta: licet namque Sacerdotium nullo pacto unquam mereatur recipere, dignum tamen eſt conſequi eum ali-

aliquod beneficium ab Apoſtolica Sede. Abſolutionem prætereà peccatorum tuorum, ſicut rogaſti auctoritate Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli fulti; quorum vice, quamvis indigni fungimur, tibi mittere dignum duximus, ſi tamen bonis operibus inhærendo, & commiſſos exceſſus plangendo quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum Templum exhibueris. Quod autem precatus es, nos tibi jubere, quatenùs poſſis ſcire, undè nobis ſerviendo merearis placere, hoc potiſſimum præcipimus, tuis videlicèt juvari orationibus, ut compotes ſimul mereamur gaudiis perfrui perennibus. Data Terracinæ 4. Nonas Decembris indictione duodecima.

Hic idem Pontifex lethali morbo correptus antequam ſpiritum Deo redderet, interrogatus à Cardinalibus, quinam ei ſubrogari deberet in Sede Apoſtolica, ait. Legite Deſiderium, & ſi ille recuſet Hugonem Lugdunenſem, aut Othonem Oſtienſem, & expiravit. Igitur poſt obitum Gregorii Septimi renunciatus fuit Pontifex Deſiderius priùs Abbas Caſſinas, mox Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, qui Victor Tertius appellatus eſt, ſed poſt quatriduum, teſte Ciacconio in vita ejuſdem, Victor Roma egreſſus Ardeam, & Terracinam adiit, ibique Pontificem eſſe nolle profeſſus Crucem, clamydem, & cętera Pontificia ornamenta depoſuit, & Caſinum reverſus eſt: *& Chron. Caſſin. lib. 3. cap. 67.* eadem ità refert. Electus Victor poſt quatuor dies Roma egreſſus venit Ardeam, ibiquè per triduum remoratus abiit Terracinam, ab inde Crucem, & clamydem, & cętera Pontificatus inſignia ità dimiſit, ut eis ulteriùs uti nullo unquam modo perſuaderi potuerit, decernens potiùs omni vitæ ſuæ tempore in Divina vocatione vitam finire, quàm tanti ordinis faſcibus graviſſimis colla ſubmittere; nihilominùs plurium, ac præcipuè Rugerii Comitis Calabriæ obteſtationibus diù fatigatus, ne res Eccleſiæ in præceps abire ſineret, urgente Clementis Antipapæ protervia, manus dedit, jugumque ſuave B. Petri ſubiit, at poſt quindecim menſes, & dies viginti quatuor non ſine opinione veneficę mortis ex hac mortali vita ad immortalem deceſſit. Unde, uti tradit Ciacconius in Vita Urbani Secundi: Anno Domini 1088. mortuo Victore Tertio ante diem ſextum Idus Martii Cardinalibus ex diverſis regionibus prętò Terracinę fuerunt, poſterò autem die omnibus in Epiſcopio convocatis. Tuſcu-

ſculanenſis Epiſcopus, quid Gregorius primùm, quid deindè Victor de conſtituenda Eccleſia cenſuiſſent, expoſuit, atque indicto priùs tridui jejunio, precibuſque ad Deum fuſis, ut Paſtorem gregi daret, qualem, illa tempora exigebant. Dominica die, quæ fuit 3. Idus ſummo mane in eadem Baſilica conveniunt, ac tres Epiſcopi Portuenſis, Tuſculanenſis, & Albanenſis, qui comitiis præerant, conſcendunt ambonem, & facto ſilentio Othonem Oſtienſem Epiſcopum renunciavere electum Pontificem; Quem cum una voce omnes probaſſent, atque Albanenſis Urbanum Secundum appellaſſet tùm raptus ab omnibus, & purpurea Clamyde indutus ad aram maximam S. Petri, & Levitæ Cęſarii Terracinæ adductus, ibique Pontificio in ſolio collocatus eſt. Urbano Secundo ſucceſſit Pontifex Paſchalis Secundus, qui præſentia ſuæ Majeſtatis Terracinam quoque illuſtravit, qua de re *Ciacconius ad annum* 1088. *pag.* 886. ubi de Joanne Cardinali, inquit; Ad hunc ſcilicet ad Joannem Cardinalem Tuſculanum, & ad Leonem Cardinalem Vercellenſem ſunt Paſchalis Secundi litterę datæ Terracinæ, quibus Paſchalis rationem reddit eorum, quæ in captivitate fecerat in gratiam Imperatoris, eoſque acritèr reprehendit, quod contrà ſe obloqueretur; clariùs eadem ex codice Vatic. refert *Baronius ad Annum MCXI. tom.* 12. *ubi ait*. Paſchalis autem Papa Secundus, qui paulò ante ab Urbe receſſerat Campaniam verſus, ubi Terracinam pervenit, & quidquid ab eis tentatum in Urbe eſſet, audiſſet, has ad eos litteras dedit.

PASCHALIS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Venerabilibus Fratribus Joanni Tuſculano, & Leoni Vercellenſi Epiſcopis, & Cardinalibus in unum congregatis conſortium, & pacem in Chriſto.

ID quod in perſonam noſtram, immò in Patrem veſtrum præter ipſius Eccleſiæ judicium, atque præſentiam vos egiſtis, & ſi vobis ex zelo Dei viſum ſit, non tamen, ut mihi videtur, canonico tramite inceſſiſtis. Non enim charitas, ſed æmulatio id dictaſſe perſpicitur. Quocunque tamen modo id factum ſit, nos

tamen

tamen confiſi de miſericordia Divina pro animę veſtræ ſalute cogitamus,& commiſſum; quod prò fratribus, atque filiis pro excidio Urbis, & univerſæ Provinciæ fecimus emendare curabimus, ut quod terreni in me quoque correxiſſe, oſtendatur Eccleſiæ. Vos autem prò Eccleſia in Eccleſia agite, ut illum Eccleſiæ Dei zelum, quem habetis, & habere oſtenditis ipſa experiatur Eccleſia. Valete in Domino. Datum Terracinæ tertio Nonas Julii.

Hęc Paſchalis Secundi epiſtola, quà conceſſionem inveſtiturarum Imperatori factam,ſe caſſaturū promittit, legitur ad verbum *tomo* 10. *Conciliorum pag*. 651. *ſub numero epiſtol*. 23. Paſchalem Secundum Gelaſius Papa Secundus in Pontificatu excepit, qui ab Henrico quinto Imp: exagitatus profugus Terracinam confugit,& inde Cajetam teſte *Ciacconi in ejus Vita pag*.932.*ad annum* 1118.,ubi loquitur ità: Gelaſius Secundus Imperatorem fugiens Ardeam ſe recepit, inde Tarracinam, & poſteà Cajetam patriam ſuam, ubi honorificentiſſimè exceptus eſt, & *Sigonius lib*.10.*pag*. 413.*de eodem ait*:Gelaſius Secundus animo conſternatus per noctem ad amicos refugit, primà verò luce per Tiberim ad mare delatus cum adverſa tempeſtate conſcendere non liceret terreſtri itinere uno Hugone Cardinali Comite ætate, viribuſque confectus Ardeam ſe recepit, inde ad mare deſcendens tertio die Terracinam, quartoque Cajetam pervenit: Eadem fere tradunt Baronius,aliique Scriptores, quos brevitatis gratia non allego. Per idem tempus, ſeù ut alii volunt anno 1144. Lucio Secundo regnante cum Ruggerius Siciliæ Rex à Pontifice id, quod optabat, obtinere non poſſet furore percitus Terracinam aggreditur, & ut notat Anonimus; Rex iterùm ad hunc locum veniens cum Papa loquitur, & diſcordans à Papa recedit. Rex partem Campaniæ cum Terracina cæpit, & Berulas obſedit. Capta fuit etiam Terracina (credo à Romanis) ſub Eugenio Papa Tertio anno 1150. indict: decima tertia, quà de re Chronicon Foſſe novæ. Eugenius Papa Ferentinum venit menſe octobris,& multos Archiepiſcopos ordinavit, Terracina capta eſt ſexto Kal. Decembris; recuperavit illam tamen præfatus Pontifex docente *Vghelio in addit. ad Ciaccon. his verbis*: Non ſolum virtute claruit Eugenius Tertius, ſed aliis operibus glorioſam poſt ſe memoriam reliquit, recuperavit enim Tarracinam: Setiam, Narniam, & Arcem Fummonis, quæ à dominio B. Petri jam diù alienata fuerant. Egregia

gia Eugenii memoria adhùc extat Terracinæ in Arce in media Turri in pariete meridiem verſus, de quà alibi. Quamuis Civitas Terracina per hæc tempora pluriès direptionem paſſa ſit, nihilòminus Majeſtate Romanorum Pontificum florere non deſiit, quos ab Urbe exactos ſinu ſuo, velnti tutiſſimo aſylo recepit, uti potiſſimum legitur de Alexand.III. de quo *Sigonius lib.13. pag.505. inquit*. Rolandus novem dies cum ſuis in arce per Senatores obſeſſus manſit, demum emiſſus ad Ciſternam Neronis inter Ariciam, & Terracinam proceſſit, ibique 12. Kal. Octobris in magna Cardinalium, Epiſcoporum, Abbatum, Cleri, populique, qui convenerant, frequentia clamydem ritè induit, ac conſecratus Alexandri Tertii nomen accepit, & inferiùs *pag.512. ait*. Quare Alexander cum ſe concilium in Italia habere adverſus Fridericum Imp. Victoremque non poſſe cerneret, ſimulque occultas Romanorum ſævientium inſidias vereretur, ac nimiùm Friderici potentiã extimeſceret in Franciam ad conventũ habendum proficiſci conſtituit: Itaque poſt 13. Kal. Maii, quo die ipſum Verulis fuiſſe invenio relicto Romæ Julio Cardinali legato Terracinam ſe recepit; eadem clariùs exponit Ciacconius in ejus Vita dicens: Alexander Tertius cum concilium contrà Fridericum, & Victorem habere non poſſe cerneret in Franciam proficiſci conſtituit, itaque poſt 13. Kal. Martii relicto Romę Julio Cardinali Legato Terracinam ſe recepit, inde conſcenſis Guilielmi Siculi triremibus Genuam adiit, ubi cum honore exceptus eſt, & obviam effuſa univerſa Civitas. Bis autem Terracinam ſe recepit Alexander Tertius, uti teſtatur Baronius *tom.12. ad annum 1159. ità ſcribens*. Intereà Dominus Alexander cùm fratribus ſuis Terracinam deſcenderat volens cognoſcere, quid acturi eſſent in facto Eccleſiæ, & inferiùs ad annum 1161 ait: Et quoniam Imperialis perſecutio adverſus Eceleſiam circà Urbem in tantùm excreverat, quod omne patrimonium B. Petri prẹter Civitatem Urbevetanam, Tarracinam, Anagniam, atque munitionem Caſtri ab Aquapendente uſque in Ceperanum per Teutonicos, & Schiſmaticos violentèr occupatum fuerat, & detentum; conſilium habuit cum Eccleſię fidelibus, ut ad partes Gallię cum fratribus ſuis per mare tranſitum fieret, ordinato itaque in Urbe Vicario Domino Julio Præneſtino Epiſcopo, & diſpoſitis aliis, quæ videbantur Eccleſiæ neceſſaria intraturus mare cum fratri-

bus

bus ſuis Tarracinam perrexit, ubi galeas Regis Siciliæ optimè præparatas,quas illic ad ejus ſervitium deſtinaverat, invenit. Eadem affirmat Bollandus die 4. Maii in Vita S. Monicæ inquiens. Terracina in Latio in ora maris Tyrrheni ad paludes pomptinas de Pontificis ad illam acceſſu agit Baronius ad annum 1159. num.34. ex M, S. Vatic., & iterùm anno 1161. num. 5. Idem Bollandus poſtmodùm hanc hiſtoriam apponit: Vualterus Canonicus Regularis Aroaſienſis peregrinum ſe ſimulans relicto Abbate Fulberto pedes ad Dominum Papam Terracinæ per multa pericula pervenit, ut ipſe narrat. Eo die, inquit, venimus Piſam, ubi cum per aliquot dies maneremus, dixi Domino Abbati. Videtis, quia proficimus. Aſſumam igitur mihi ſæcularem habitum, & ibo pedes ad Curiam. Vos autem manete hic, donèc redeam, quod ſi fortè Dominus Papa ad partes iſtas applicaverit, occurrite ei, & eſtote ſolliciti pro negotio. Quod cum ille multum diſſuaderet, & diceret per tot inſidias neminem facilè poſſe tranſire,me iterùm mortis periculo ſcientèr committere. Vix tamen invitus aſſenſum præbuit. Aſſumpto itaquè pauperrimo habitu ſignum Dominicæ Crucis ei adfixi, ut vel ſic inimicorum inſidias illæſus poſſem pertranſire. Inde vale dicens ſolus diſcedens pauperum peregrinorum turbis me commiſcui, ut qui eſſem facilè non poſſem cognoſci. Multotiès tota die ſeminudus, & per Urbes nudis pedibus ambulavi calvis à tergo rejectis, ut mendicum ſimularem. Nuſquàm enim, & nunquam tutus eram periculis in Civitate, periculis in ſolitudine, in labore, & ærumna, in vigiliis multis, in fame, & ſiti, in frigore, & nuditate: Sed per Dei miſericordiam, qui ſalvos facit ſperantes in ſe inſidiis impiorum ità elapſus ſum, ut Roma pertranſiens Terracinam ad Domini Alexandri [Papæ Tertii primo ſui Apoſtolatus anno, qui Adriano ſucceſſit, & Rolandus priùs vocabatur, cujus dignitati Fridericus Imperator obſtitit, & Victorem creavit, unde ſchiſma] Curiam ſanus, & incolumis pervenirem, cui cum cauſam mei adventus expoſuiſſem, reſpondit ſe vacare non poſſe cauſis examinandis. quia jam navigium ſuum paratum erat ad veniendum in Galliam. Dum eſſet Terracinæ præfatus Pontifex reſpondit litteris Regis Francorum per hujus tenoris epiſtolam, quæ legitur tomo 10.Conciliorum pag.1314.

ALEXANDER EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Cariſſimo in Chriſto Filio Ludovico Illuſtri Francorum Regi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Litteras celſitudinis tuæ tanto benigniori animo, & majori mentis alacritate ſuſcepimus, quotiens eas tranſmittere te contigit, & in ipſis aliquid poſtulare, quanto excellentiam tuam ſinceriori affectione diligimus, & quanto pro multa, & ampla devotione circa Sacroſanctam Romanam Eccleſiam, & perſonam noſtram à tua ſerenitate exhibita petitiones tuas cogimur ampliùs exaudire. Sancta ſiquidem, & Reverenda Romana Eccleſia per ſinceriſſimum tuæ devotionis fervorem in hoc neceſſitate tantum emolumentum, & exaltationem, tantumve eſt commodum conſecuta, quod tàm in te, quàm in omni poſteritate tua à noſtra, noſtrorumque ſucceſſorum memoria nulla poſſit oblivione deleri, & ab animo noſtro nulla temporis diuturnitate convelli. Indè utique fuit, quod litteras ſuper negotio Flaviniacenſis Eccleſię à tua nobis excellentia deſtinatas multo gaudio, & animi jucunditate ſuſcepimus, & preces tuas, quæ in eiſdem continebantur, quantum cum Deo potuimus, curavimus exaudire. Venerabilibus ſiquidem fratribus noſtris H. Belvacenſi, & M. Pariſienſi Epiſcopis cauſam ipſam commiſimus audiendam, & remoto appellationis obſtaculo fine canonico terminandam. Eapropter Serenitatem tuam rogamus, & volumus eſſe ſollicitam, ut ſi aliquis, quominùs prolata ſuper eadem cauſa ſententia obſervetur, voluerit impedire, eum omninò prohibeas, ne hoc præſumat ex conceſſa tibi deſupèr poteſtate compellas. Datum Terracinæ 3. Kal. Decembris.

Porrò magnam iniicit admirationem frequens honor, quo per hæc tempora venerabili Majeſtatis ſuæ preſentia Terracinam condecoraſſe legimus Summos Pontifices, non minorem tamen incuteret ampliſſimus ille ſtatus hujus Civitatis, ſi adhùc perſiſtens ſe noſtris oculis obiiceret, cum vel ipſamet ruinarum veſtigia viatorem animo ſuſpenſum, ac mente perculſum ſoleant detinere. Erat quippè tùm hæc Civitas populo frequens, portu magni-

gni-

gnifico inſtructa, viris conſpicuis exornata, opibus affluens, & quinque ſuburbiorum cincta corona. Hinc ſeptem numerabat Parochias, Monaſteria plura, Eccleſias multas, & Presbyteros beneficiis ornatos ferè ad numerum ſeptuaginta, & ampliùs, ut colligitur ex antiquis monumentis Eccleſiarum ejuſdem Urbis; ſex Portas extitiſſe videmus adhùc, & Caſtrum ſpeciale cum Synagoga ab Hæbreis inhabitatum fuiſſe ſcimus ex epiſtolis S. Gregorij Magni, aliiſque ſcripturis Terracinen. Ipſa autem Civitas diſtincta erat in ſuperiorem, & inferiorem: Inferior Civitas jam deſolata ſtantibus adhùc aliquot muris tribus patebat portis, Romana, quæ viſitur Romam verſus, & per eam neceſſariò ſubeundum erat, [nam alia via non aderat] iter agentibus, præſidiumque ibi erat militum data opera eo ferè modo, quo nunc uſus tenet in porta Civitatis Cajetę, à qua parum differre videtur; Marina, quæ extat verſus mare, & porta S. Chriſtophori, quæ reſpicit ad meridiem contrà campum Arenarum. Erat ibidē Eccleſia Parochialis, & Baptiſmalis S. Mariæ, aliàs S. Ioannis Baptiſtæ de Puſterula, cujus adhùc extant veſtigia una cum columnis marmoreis, & Campanili lateritio; inſerviebant autem illi plures Canonici cum Archipresbytero. Superior Civitas ſatis, ſuperque exculta hoc tempore duas priùs numerabat Parochias nempè Eccleſiam S. Laurentii, & Cathedralem, quæ ſola Parochialis remanſit. Tribus autem portis aperiebatur, quæ adhùc exiſtunt, & ſunt; Porta Nova, qua itur ad montes, & Conventum S. Dominici; Porta Albina, aliàs Levina, quæ ducit ad Conventum S. Franciſci, & oram maris; Porta Maja, aliàs Sancti Laurentii, qua Romam proficiſcimur: Dicta autem fuit Maja à Fano Deæ Maje, quod haud procul ſurgebat, & adhùc veſtigia viſuntur propè Hortum admodum Rev. Domini Cęſarii de Fatigatis Canonici Terracinen. & emeriti Medicinæ Doctoris, appellata fuit S. Laurentii ob eandem ferè cauſam, ſcilicet ob Templum ejuſdem proximum præfatæ portæ. Ex quinquæ autem ſuburbiis duo erant cincta muris, reliqua verò tria eiſdem carebant, unde non murata nuncupata fuere. Ex non muratis primum erat poſitum extrà portam novam, alterum extra portam Romanam inferioris Civitatis, cujus Parochia Eccleſia S. Sebaſtiani aſſeritur. Ultimum verò ex non muratis ſitum erat extrà portam S. Gregorii, quæ excipit advenas Roma venientes ut ducat ad

Burgum Cepollati, & inde intrà Civitatem Terracinæ per portam Majam, ſeù S.Laurentii; ejus Parochia erat Eccleſia S.Mariæ Baſilicæ Novæ, quæ communis erat Burgo non murato Portę Novæ; parùm enim ab eo aberat præfata Eccleſia. Horum autem omnium Burgorum cadaveroſa monumenta ædificiis, domibuſque jacentibus viſuntur adhùc. Burgus Cepollati extrà Portam Majam conſiſtens eſt muris circumdatus, ſed domibus in plana demiſſis à paucis inhabitatur, quia paucæ ſunt domus; eſt ibi tamen Hoſpitale Peregrinorum duplex, unum prò Sacerdotibus, alterum prò ſęcularibus, adeſt etiam pro re frumentaria duplex Horreum Montis Abundantiæ ad pauperum uſum, & agricolarum commodum erectum. Viſitur adhùc Porta S.Gregorii, per quam ſubeundum eſt, ſi Terracinam ingredi lubet. In media ſuperficiè parietis ejuſdem extat diadema Pontificium cum ſuis clavibus pendentibus inſculptum in tabula marmoris candidiſſimi, inferiùs verò conſpicitur è directò ſignum Crucis elaboratum vulgò alla Moſaica; utrumque ſignificare Urbem Pontificiam, & Cattholicam credimus. Hujus Suburbii Parochialis Eccleſia erat Templum S. Nicolai, cujus ad hanc uſque diem ſigna eminent. Alter ex Burgis muratis ſpectabatur extrà Portam Albinam, cujus duæ erant Portæ, & pluribus domibus ornabatur, at modo ſola Eccleſia S. Mariæ Annunciatæ cum ſuis propriis ædibus exiſtit, quæ olim fuit Parochia hujus directi Suburbii.

CAP. VI.

DUm his, aliiſque ornamentis exculta Civitas Terracinæ exultat; novi inſurgunt hoſtes, nempè Frajapanes, qui quia ejus opes inhiant, & facultates in nefandiſſima ſcelerum genera prolabentes contrà ipſam, ejuſque Cives graviter debaccando graſſantur: Hiſtoriam hujus rei exponit ſcriptura vetus chartæ pergamenæ, quæ ſervatur in Archivio Terracinen., & eſt tenoris hujuſmodi.

Cum ab Eccleſia Romana temporibus Domini Celeſtini Secundi Papæ Frajapanibus tantummodò redditus Terracinæ, quos Eccleſia in ea habere conſueverat, conceſſi fuiſſent, fidelitatem, & donationem ſibi reſervavit, uſquè adeò, quod quando ipſi Frajapani Terracinam veniebant Cives ejuſdem Civitatis non

per-

permittebant eos intrare, & hoſpitari intrà Civitatem, ſed imponebatur eis neceſſitas hoſpitandi in Eccleſia Sancti Nicolai, quæ eſt juxtà portam Civitatis extrà ipſam Civitatem: Verum ſi volebant intrare in Civitatem propter ventilationem, & terminationem cauſarum permittebant eos ſine armis cum duobus, aut tribus Sociis intrare, nec etiam aliquam potentem perſonam cum armis in Civitatem permittebant intrare; ne Eccleſiæ Romanæ, & ſibi aliqua poſſet moleſtia irrogari, & hoc uſque ad mortem Eugenii Papæ actum eſt: Poſt mortem verò prædicti Domini Papæ ſive negligentia eorum, qui cuſtodiebant portas Civitatis, ſive eorum doloſitate adepti ſunt Traverſam, & ex tunc impoſuerunt nobis neceſsitatem, fidelitatem, & dominium eis facere; deindè omnia arma abſtulerunt, hæredes per teſtamenta in morte ſolita conſtituere prohibuere. Communia quædam ſcilicet Saſſonas, quę in dominio Conſulum pro communi utilitate deputata erant ex tunc nobis invitis . . . .
rebus communibus, quęcunque gravamina nobis inferre poterant inferebant, hoc modo; de ſilvis contrà morem auferebant nobis glandatitium. Vela . . . .
irreſcæ, quæ erant communes auferebant piſcatoribus certam quantitatem pecuniæ, & piſcium. Vadum, portorium pontis, quod erat conceſſum militibus . . . .
. . . . abſtulerunt, ſi verò aliqui Cives noſtri onerabant naves de ſuis mercimoniis, quæ traſferebant, ſicut ab extraneis vectigal ab eis extorquebant. His autem omnibus communibus ereptis, alia cæperunt contrà nos excogitare gravamina, & ad patrimonium ſingulorum parare inſidias. Siquis decebant ſine liberis hæreditatem ejus ſæpiùs occupabant, conſanguineis, & hæredibus inſtitutis teſtamentum defuncti nullum ſuffragium afferebat. Sed tanquam inteſtatis, & nullo quaſi ſucceſſore relicto bona ejus auferebant. Si autem aliquis inteſtatus decebat, nullus conſanguineus, niſi ſolus filius ad ejus ſucceſſionem venire poterat. In diſcuſſione cauſarum non permittebant cauſam judicio terminari, niſi priùs ab utraque parte prò arbitrio ſuo aliquod extorquebant altera verò parte ignorante: His exactis mandabant cauſam ſæpiùs prò voluntate eorum terminandam, & tunc iterùm exigebant à litigantibus juxtà morem Civitatis cum quadam ſpeciali Silva bannum C. ſol. eſſet conſtitutum, ne in ea arbores ex-

co-

coriarent occaſione illius Silvæ ceperunt prædictum bannum auferre hominibus habentibus proprietatem in aliis tenimentis, quod incidebant arbores in tenimentis ſuis. Verum cum hæc, & infinita alia gravamina nobis inferrent habitis in dilectione magna, & in maxima libertate à Romana Eccleſia detentis cepimus Domino Adriano Papæ hæc, & alia intolerabilia gravamina exponere, & ejus ſuffragium impetrare. Qui cum eſſet multis vexationibus Romanorum laceſſitus, & aliis variis Eccleſiæ, & maximis occupatus negotiis, nullum nobis potuit afferre patrocinium. Ipſo itaque decedente, & Domino Alexandro ſuccedente, quanta fuerit Romana Eccleſia ſchiſmatis procelloſitate fatigata totus mundus novit; unde in gravaminibus noſtris nullum ab Eccleſia potuimus obtinere ſubſidium. In hac itaque ſchiſmatis perturbatione prædicti Frajapanes ſecuritate accepta, ut eorum tyrannides licentiùs, & congruentius ſuper nos exercerent, & ſuffragia Romanæ Eccleſiæ à nobis ulteriùs nullatenùs poſtularentur, & ut mentes omnium Civium timore ſuppliciorum conſternerentur, Terracinam venerunt, & occaſione querelæ Domino Papæ Adriano expoſitæ. . . . . . .

. . . omnes nobiliores, & potentiores Civitatis ad ſe accerſiri juſſerunt altero, de altero ignorante; & ſui unumquemque in carcerem detrudi fecerunt dicentes, oportet ut vos tanquam proditores in perſonis puniamini. Nec aliquis poterit vos eripere de manibus noſtris, quin de vobis ſumamus. . . . . .
quia voluiſtis nobis auferre Terracinam, & eam Romanæ Eccleſiæ reddere, modo veniat Dominus Papa, & omnes Cardinales, & liberent vos de ſuppliciis, & de manibus noſtris. Deinde omnia eorum bona proſcripſerunt, uxores eorum, & filios de propriis domibus turpiter, & violentèr nulla ratione. . . . .
. . . . tate inſpecta dejecerunt; deinde ad ignominiam, & terrorem totius populi nobiliorem, & majorem Civitatis exocularunt, & nudum vix genitalibus tectis per totam Civitatem in conſpectu omnium trahere fecerunt dicentes, quicunque de hoc muſitaverit, & fleverit eandem pęnam incurret. Vnde cum nobilis eſſet de Civitate, & in ignominiam, & detrimentum Civitatis talia paſſus eſſet, multi, qui lacrymas comprimere non poterant, bonorum amiſſionem paſſi ſunt. Cæteros, qui in captionem remanſerant omnibus bonis proſcriptis de Civitate

cum

cum familiis ejecerunt ſub tenore juramenti, & proteſtatione eis prçcipientes, ut nunquam in Civitatem ſine eorum mandato redirent. His autem ità de Civitate ejectis minutatim cæperunt à ſingulis Civibus bona eorum extorquere, proùt qualitas patrimonii uniuſcujuſque vix poterat tolerare; dicentes unicuique; vos voluiſtis nobis auferre Terracinam, & reddere Papæ. His talitèr tranſactis uſquè adeò mentes Civium erant timore conſternatæ, quod nullus audebat auxilium Domini Papæ in ſui protectione invocare, & quicunque auxilium Romanæ Eccleſiæ invocaret reus erat, proditor erat, proſcriptus erat. Poſt deceſſum verò Domini Alexandri Papæ, & Domino Lucio ſuccedente, in quanta fuerit Eccleſia Romana cum Romanis perturbatione totus mundus novit, quomodo Frajapanes fuerint actores, & principales illius turbationis contra Eccleſiam; Hoc credimus Romanæ Eccleſiæ fore manifeſtiſſimum. Verum cum Dominus Lucius Lombardiam occaſione illius perturbationis ſeceſſiſſet, Frajapanes obtentu ſervitii in ea perturbatione Romanis exhibito, & intuitu certæ quantitatis pecuniæ à Senatu Neptunum receperunt, ob id Terracinam venientes pro prædicta quantitate pecuniæ cæperunt à nobis adjutorium petere. Nos autem eis lib. quinquaginta dare promiſimus. Quare ipſi indignati dixerunt noluimus quinquaginta, quinquaginta, & totiens dixerunt quinquaginta quotiens uno anhelitu dicere potuerint. Verum nos ſuper hoc conturbati cognoſcentes eorum inconſideratam avaritiam, diximus: Nos nulli dabimus noſtra, niſi à nobis fuerint violentèt extorta. Cæperunt ipſi deindè aliam viam excogitare quomodo poſſent nobis bona noſtra auferre; dicentes, quod quidam majores Civitatis erant proditores, quia voluerunt reddere Terracinam Domino Lucio Papæ, & præcipiebant populo, ut eos tanquam proditores caperent, qui cum ſe legitimè, & more obtimo à prædicto crimine defenderent, & à populo ſuper id non fuiſſet paritum, cæperunt dicere, quia omnes erant proditores. Cæterum cum pro his maxima inter ipſos, & nos fuiſſet orta ſeditio, & diutiùs agitata tandem ex interpoſitione quorundam advenientium nobilium placuit, ut in præſentia eorum lis fuiſſet conteſtata, & diutiùs tractata, per potentiam eorum ſtetit, quod lis non potuit ſortiri effectum. Verum cum à prædictis Cardinalibus non potuiſſemus ſuffragia reportare, Frajapanorum con-

concuſſionibus, & vexationibus laceſſiti prout melius potuimus cum eis hoc modo duximus componendum. Prò habenda plena eorum gratia dedimus eis ducentas lib., & ipſi juravere nobis, & nos ipſis ſecundum quod in publico inſtrumento apparet, ſalva fidelitate Domini Papæ, & Romanæ Eccleſiæ. Verum cum nos in pace cum eis eſſe putaremus, ſperantes quod omnis indignatio à cordibus eorum ſeceſſiſſet; protinùs ad Imperatorem, & ad filium ejus Regem Henricum acceſſerunt, qui tunc Eccleſiam perſequebantur, eis dominium fecerunt, & hoc credimus Romanæ Eccleſiæ fore manifeſtiſſimum. Deindè quando idem Rex venit in depopulationem Campaniæ, & Maritimæ. Frajapanes accepta poteſtate ductionis exercitus partem exercitus ſuper nos induxerunt;nos tanquam inimicos dijudicantes.Majoribus autem Civitatis dejectis, & in carcerem poſitis, reliquos prò voluntate eorum fidelitatem, & dominium ſibi jurare fecerunt; fidelitate Domini Papæ, & Romanę Eccleſię penitus abjurata. Poſt proſcriptionem verò eorum, qui dejecti fuerant, & qui in carcerem poſiti erant durioribus pęnis, & ſuppliciis more teutonico afficiebant, in eculeo ſuſpendebant, ità quod quidam viventes debiles facti ſunt. Cęterum cum Domino Clementi Papæ noſtra gravamina latentèr eſſent expoſita, dixit, adjuvet vos Deus, quia iſti Frajapanes ſunt infideles Eccleſiæ, & adeò à Romanis ſum prò eorum dapnis reſtaurandis vexatus, quod ad præſens nullum vobis poſſum præſtare ſuffragium. Ab illo namque tempore bona noſtra pro arbitrio eorum nobis auferebant, & in Uxoribus, & Sororibus, & Filiabus noſtris ea committebant, quę propter ignominiam pudet nos dicere. Prętereà quando deficiebant eis ſumptus terram noſtram, tanquam terram inimicorum equitabant, & predicta auferebant. Hoc ſępiùs fecit Henricus Frajapanus, & Leo Frajapano; & ſi illi, qui beſtias amittebant, de eis conquerebantur, ſumpta occaſione Frajap. prędas auferebant, ipſi pejus faciebant, & nobis nihil reddebant. Si quando cum vicinis prò noſtris tenimentis guerram habebamus, ab eis nullum habebamus adjutorium, immò potiùs ad noſtram lęſionem, & jacturam ſtudebant, & ſi tempore guerrę in terra noſtra adeſſent oportebat nos eis neceſſaria, & ſolidos ſicut extraneis militibus dare, & nunquam tempore donationis eorum de bonis nobis ablatis aliquod unquam per ipſos potuimus recuperare,

nec

nec etiam duas beſtias. Si quis etiam litem habebat cum aliquo, & deſperatam habebat cauſam, ſi id, quod poſſidebat, offerebat Curiæ, is, qui petebat jus ſuum, deindè non poterat, conſequi.

His, aliiſque de cauſis quibus, viribuſque enervata Civitas Terracina à novo hoſte invaditur; Anno enim MCCIV. Gualterius Comes Brennenſis cum Comite Jacobo Tricaricenſi, & Comite Rogerio de Theate confęderatus ipſe tunc temporis Tarracinam occupat ex Chron. Riccardi de S. Germano. Hoc autem tempore Terracinam infeudatam fuiſſe familiæ Frangipanæ auctor quidam aſſerit, deducens id ex publico Inſtrumento relato à Zazzara in famil. Frangip. quod eſt ſequentis tenoris.

Univerſis Balivis, ſeù Procuratoribus ſuis tàm præſentibus, quàm futuris in Civitate Terracinen. conſtitutis.

Petrus Frajapanis Romanorum Conſul Almæ Urbis, & Maria de monumento quondam Henrici Frajapanis Uxor ſalutem, & ſincerum amorem.

NOveritis, quod intuitu Jeſu Chriſti, & benedictæ Matris ejus ad preces Vener. in Chriſto Patris Noſtri Ugonis Oſtienſ., & Velitern. Epiſcopi damus, concedimus, ac perpetuè confirmamus quantum ad nos, & hæredes noſtros pertinet liberum paſſagium, atquè tranſitum S. Monaſterio Montis Mirteti ſuprà Nympham per Terracinen. Civitatem, quare devotioni veſtræ mandamus, quatenùs ab ipſo Monaſterio de cætero tàm prò perſonis, quàm prò rebus ſuis in eundo, & redeundo nihil pęnitus exigatis, quia volumus ut ipſum Monaſterium perpetuo prò ſuis nihil ſolvére teneatur. Ad hujus autem rei memoriam, & robur perpetuæ firmitatis hoc ſcriptum ſcribi fecimus, & noſtris ſigillis juſſimus communiri. Datum Romæ Idibus Martii Pontificatus Honorii Papæ Anno V.

Verum enim verò, quomodo dominati fuerint Frajapanes patet ex relatis à me ſuperiùs. Gregorius Nonus immediatus Honorii ſucceſſor Symmachi ſanctionem prædiorum Eccleſiæ alienationem prohibentem ſuo diplomate confirmavit, & loca quædam ſpecialioris inhibitionis vinculo adſtringendo ſpeciali

H expreſ-

expreſſione notavit. In Maritima Aquam putridam Oſtiam, Coram, Ciſternam, & Terracinam in prohibit.ſexta alienandi terras S.Sedis Apoſtolicæ abſquè conſenſu S. R. E. Cardinalium edita anno ſalutis 1234. ſub Dat. Laterani 17. Kal.Februarii uti refert Jacobus Choelius; has autem cōſtitutiones renovavit Pius Quartus Conſtit.104., & Pius Quintus Conſtit.36. Innocentius Papa Tertius has litteras Terracinen.dedit.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis filiis Conſulibus, & populo Terracinen.ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

NE Otto dictus Imp., qui tanquam Leo rugiens circuit quærens, quem devoret contrà vos quidquam valeat machinare; decet prudentiam veſtram circumſpectè in omnibus vos habere, ut non tàm ipſius conatibus, quàm verſutiis occurratis. Quocircà devotioni veſtræ præſentium auctoritate mandamus, quatenùs in fide veſtræ ſoliditate, in qua vos novimus radicatos firmitèr ſtabiles perſiſtentes Civitatem veſtram, & vos ſtudeatis armis, & aliis neceſſariis munire, ut torrentis impetus, qui ſi fortè influxerit, citò defluet, vobis nocere non poſſit. Nos autem, qui de vobis utpotè ſpecialibus Apoſtolicæ Sedis filiis curam gerimus diligentem ad profectus veſtros talitèr intendemus, ut de noſtra poſſitis meritò ſpeciali gratia gloriari. Datum Lateran. 3. Nonas Octobris Pontificatus Noſtri Anno tertiodecimo, ex quibus colligi poteſt, Terracinam non fuiſſe datam in feudum familiæ Frangipan., verùm ab eadem tyrannicè occupatam, & tyrannico dominio detentam, quia Summi Pontifices variis exagitationum turbinibus vexati non poterant opem ferre ſibi fideliſſimæ Civitati; Cur enim Gregorius Nonus alienationem Terracinæ prohibet, ſi jam alienata erat per feudum familiæ Frangipanæ? & cur Innocentius Tertius timens Ottonis vires, & verſutias Terracinenſibus, & non familiæ Frangipanæ, cui infeudata aſſeritur, utpotè potentiſſimæ eam commendat? ſed quidquid de tali infeudatione dicatur, quia nihil intereſt, indicto ea ſuper re ſilentio ulteriùs progrediamur.

CAP.

CAP. VII.

INnocentio Papa Quarto Eccleſiam Catholicam regente, plurimùm emicuit ſincera fides, & probata ſinceritas Civitatis Terracinæ erga Sedem Apoſtolicam: Quippè qui Romani Pontificium jugum excutientes,& dominium Latinarum Urbium ſibi aſſerere conantes,Terracinam,quia Summo Pontifici audiens erat, nequè ullo modo induci poterat, ut mandatis Senatorum Urbis obtemperaret, oppugnare deſtinant; quamobrem exercitus, & arma parantur; His auditis prælibatus Innocentius, ut fideliſſimę Civitati occurrat,totam Provinciam Maritimę,& Campaniæ in ejus ſubſidium litteris Apoſtolicis excitat, quæ ſunt tenoris hujuſmodi, & ſervantur in Archivio Terracinen.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis filiis univerſis Poteſtatibus, Conſiliis, & Communibus Civitatum, Caſtrorum, & aliorum locorum per Campaniam, & Maritima conſtitutis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

INtelleximus plurimùm admirantes, quod dilectus filius Nobilis Vir Senator Urbis, & Populus Romanus minimè provido ducti Conſilio, indicto adverſus dilectos filios Cives Terracinen. hoſtili exercitu appetitum voluntatis potiùs, quàm rationis ſequentes judicium ad impugnationem ipſorum, & Civitatis Terracinen., quæ ſpecialis eſt patrimonii B. Petri procedunt, cauſam, & occaſionem hoſtilitatis hujuſmodi exindè prętendentes, quod eorum ſe nolunt ditioni ſubiicere quodquè nova, inſolita quoquè, ac omninò indebita, quæ ipſis imponunt, oportare negant ſubjectionis onera,vel veriùs ſervitutis,ab exactionum jugo, quibus ipſos impetunt ſua colla excutientes amore propriæ libertatis, in qua felici ſemper vixere tranquillo ſub dominio Romanæ Eccleſiæ, cujus etiam utporè ſuæ matris, ac Dominæ Imperio ſtant, & cadunt. Credidimus autem affectionis

paternæ dulcedine amaritudinis tantæ conceptibus obviare, & cauſam leniter tollere, de qua gravis turbationis occaſio inter Patrem, & Filios, ac ſcandali materia vehementis inter Dominum ſuboriri, & ſubditos formidatur. Sed cum iam liquidò clareat, quod in nullo apud eos noſtra profecerint monita, & quod pernicioſi conceptus jam in partus dolorum, & nequitię prodeant, de quo meritò non poſſumus non dolere, dignè nimirùm contrà eos, qui ubera maternæ lenitatis deſpiciunt, fiuntquè Patris precibus implacabiles, mater iraſcitur, ac paternus amor commovetur. Cum igitur in hujuſmodi Terracinen. cauſa, quæ communis eſt vobis, ac ipſis libertatis defenſio, ſicùt aliàs vobis ſcripſiſſe meminimus, veſtra propria res agatur ad ipſius defenſionem, ac proſecutionem laudabilem eo potentiùs conatus veſtros in unum colligere convenit, ac viribus indefeſſis inſiſtere, quo evidentiùs nobis, ac Romanæ Eccleſiæ in ipſorum oppugnatione irrogatur injuria. At ſi Romanorum in hac parte, quod abſit, prævaleat improbitas ſervitutis incurretis opprobia durioris. Quocirca Univerſitatem veſtram rogandam attenti duximus monendam paritèr, ac hortandam per iterata vobis ſcripta ſub debito fidelitatis, ac pena, quam per alias litteras noſtras vobis expreſſimus, diſtrictè vobis percipiendo mandantes, quatenùs in auxilium dictorum Terracinen. juxtà priorum litterarum noſtrarum tenorem ſuper hoc directarum vobis, ſic potentèr, ac viriliter procedatis, quod noſtro, & aliorum fidelium Sedis Apoſtolicæ adjutorio inimicorum robora conterantur, ac hoſtilibus ab eis propulſis inſultibus in fidei, ac fidelitatis ſuæ, quam laudabilitèr amplexantur, & ſervant, conſtantia perſiſtere valeant inconcuſsè. Ad hæc vobis ſub pęna, ac debito fidelitatis prædictis diſtrictiùs inhibemus nè publicum, vel privatum ſubſidium in Romanorum exercitum deſtinetis, nec aliquatenùs contrà prędictos Terracinen. aſſiſtatis eiſdem ſcientes, quod ſi ſecùs fieret, quod non credimus, & pęnam impoſitam auferemus à vobis, & aliàs contrà vos graviùs procedemus. Dat. Aſiſii quarto Idus Junii Pontificatus Noſtri Anno decimo. In eandem ſententiam ſcripſit Innocentius Quartus Baronibus univerſis Campaniæ, & & Maritimæ, ut ſequens epiſtola teſtatur.

IN-

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis filiis Nobilibus Viris univerſis Baronibus per Campaniam, & Maritimam conſtitutis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

INtelleximus plurimùm admirantes, quod dilecti filii Nobilis Vir Senator Urbis, & Populus Romanus minùs provido ducti conſilio, indicto adversùs dilectos filios Cives Terracinen. hoſtili exercitu appetitum voluntatis, potiùs, quàm rationis ſequentes judicium ad impugnationem ipſorum, & Civitatis Terracinen., quæ ſpecialis eſt patrimonii B. Petri procedunt; cauſam, & occaſionem hoſtilitatis hujuſmodi exindè prætendentes, quod ſuæ ſe nolunt ditioni ſubjicere, quodquè nova inſolita queque, ac omninò indebita, quæ ipſis imponunt, portare nolunt ſubjectionis onera, vel veriùs ſervitutis; ab exactionum jugo, quibus ipſos impetunt, ſua colla excutientes amore propriç libertatis, in qua felici ſemper tranquillo vixere ſub dominio Romanç Eccleſiç, cujus juriſdictionis, & juris ſunt iidem Cives, & Civitas, cujus etiàm utpotè ſuç matris, & Dominç Imperio ſtant, & cadunt. Credidimus autem affectionis paternç dulcedine amaritudinis tantç conceptibus obviare, & cauſam leniter tollere, de qua gravis turbationis occaſio inter Patrem, & filios, ac ſcandali materia vehementis inter Dominum ſuboriri, ac ſubditos formidatur. Sed cum jam liquidò clareat, quod in nullo apud eos noſtra profecerint monita, & quod pernitioſi conceptus jam in partibus dolorum, & nequitiç prodeant, de quo meritò non poſſumus non dolere; dignè nimirùm contrà eos, qui ubera maternç lenitatis deſpiciunt, fiuntque Patres precibus implacabiles; mater iraſcitur, & paternus amor commovetur. Cum igitur in hujuſmodi Terracinen. cauſa, quç communis eſt vobis, & ipſis libertatis defenſio, ſicut aliàs vobis ſcripſiſſe meminimus, veſtra propria res agatur, ad ipſius defenſionem, & proſecutionem laudabilem eò potentiùs conatus veſtros in unum colligere convenit, & viribus indefeſſis inſiſtere, quo evidentiùs nobis, & Romanæ Eccleſiç in ipſorum oppugnatione irrogatur injuria; & ſi

Ro-

Romanorum in hac parte, quod abſit, prȩvaleat improbitas ſervitutis incurretis opprobria durioris. Quocircà univerſitatem veſtram rogandam attentiùs duximus, monendam paritèr, & hortandam per iterata vobis ſcripta ſub debito fidelitatis, & pȩna, quam per alias litteras noſtràs vobis expreſſimus diſtrictè nobis prȩcipiendo mandantes, quatenùs in auxilium dictorum Terracinen. juxtà priorum litterarum noſtrarum tenorem ſuper hoc directarum vobis, ſic potentèr, ac virilitèr procedatis, quod veſtro, & aliorum fidelium Sedis Apoſtolicȩ adjutorio inimicorum robora conterantur, ac hoſtilibus ab eis propulſis inſultibus, in fidei, & fidelitatis ſuȩ, quam laudabilitèr amplexantur, & ſequuntur, conſtantia perſiſtere valeant inconcuſsè. Ad hȩc nobis ſub pȩna, & debito fidelitatis prȩdictis diſtrictiùs inhibemus, ne publicum, vel privatum ſubſidium in Romanum exercitum deſtinetis, nec aliquatenùs contrà prȩdictos Terracinenſes aſſiſtatis eiſdem ſcientes, quod ſi ſecùs fieret, quod non credimus, & pȩnam impoſitam auferemus à vobis, & aliàs contrà vos graviùs procedemus. Dat. Aſſiſii 5. Idus Junii Pontificatus Noſtri Anno decimo. In ſpecie prȩfatus Pontifex prò eadem cauſa Terracinen. miſit litteras Landulpho de Ceccano, quȩ ſunt ſequentis tenoris.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio Nobili Viro Landulpho de Ceccano, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

EX litterarum ſerie, quas nuper Dilecti Filii Rector, Conſilium, & Commune Terracinen. nobis deſtinare curarunt, collegimus, quod Nobilis Vir Senator, & Populus Urbis per ambaxatores proprios requiſiverunt ab ipſis, ut jurarent ipſius Senatoris ſervare mandata, parlamentum eis, & exercitum facerent, necnon ad Urbem accederent prò exhibenda ibi eorum, & perſonis ſpecialibus ratione, alia eis ſubjectionis ſervitia, & onera imponentes, quibus ſuæ ipſos intendunt juriſdictioni ſubiicere, & à devotione, & fidelitate avellere Eccleſiæ matris ſuȩ, ſub cujus ipſi dominio gaudent in optato commodo libertatis,

per

per eoſdem ambaxatores pęnas graves nihilominùs comminantur, ſi Terracinen. prędicti pręmiſſa prętermitterent adimplere. Verum, quia tua res agi conſpicitur, paries cum proximus ardet, attendentes, quod tantę peſtilentię morbus, ut cancer per totam Patriam irremediabilitèr ſerperet, ſi ſuis non obſiſtatur principiis, ne in ipſorum Terracinen., tuaquè diſpendia invaleſcat, cauſam eorum in hac parte non ſolùm prò ipſius devotione Eccleſię, ſed proprię conſideratione utilitatis, & conſervandę tibi libertatis amore, propriam reputare debes, eamque cum ipſis, ut tuam unanimi voto, & pari congreſſu defendere, ac concertare virilitèr prò eadem cum igitur eorundem Terracinen. ſic intendamus ſuper hoc juvare conſtantiam, quod nullorum moleſtiis deprimi valeant, ſuæquè devotionis integritas, puritas fidei, fidelitatis ſinceritas grata ſemper ſuſcipiant incrementa. Nobilitatem tuam rogandam, & hortandam attentè duximus, ac monendam per Apoſtolica tibi ſcripta ſub debito fidelitatis, & pœna quingentarum marcarum argenti diſtrictè præcipiendo mandantes, quatenùs ſi adverſus Terracinen. præfatos Romanorum congregatur exercitus, vel iidem exiverint contrà eos hoſtilitèr, ut minantur. Nullo alio à nobis expectato mandato in ſuccurſum potentèr accedas ipſorum eiſque ob reverentiam Apoſtolicæ Sedis,& noſtram totis viribus, & conatibus aſſiſtas ſciens, quod, & nos propter hoc adverſus eorundem inſolentiam Romanorum totam circumadjacentem magnificè Patriam concitabimus, ac alias in tuum, & Terracinen. prædictorum auxilium,ſi neceſſe fuerit, potentis militiæ manu curabimus deſtinare. Talitèr itaque ſuper hoc mandatum, ac præceptum Apoſtolicum impleas, quod dicti Terracinen. tuo roborati ſuccurſu ardentiùs ſemper in ſolita fidelitatis firmitate perſiſtant, & in manus non incidant alienas. Quod ſi circà hujuſmodi ſuccurſum tàm utilem, tàmque neceſſarium tibi, & toti patriæ fueris, quod minimè credimus, negligens, & pœnam à te procul dubio exigemus, & accipiemus prædictam, & alias contrà te gravitèr procedemus.Dat. Aſſiſii tertio non.Maii Pontif.noſtri Anno decimo.

In eandem quoque ſententiam prædictus Antiſtitum Pater ſcripſit Nobilibus Viris Berardo de Ceccano, Bartholomæo de Supino, Berardo de Pileo Conrado de Sculcula, necnon Dominis

nis de Sermineto, Dominis de Pophis, Dominis de Ceperano, atque aliis multis. Litterę autem ſcriptæ originalitèr ſervantur in Archivio Civitatis Terracinæ, quas brevitatis ergo prætermittimus: Prætereà idem Pontifex has in forma Brevis litteras Anagninis direxit.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis filiis Nobilibus Viris Poteſtati, Conſilio, & Communi Anagninen. Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

EX litterarum ſerie, quas nuper Dilecti Filii Rector, Conſilium, & Commune Terracinen. nobis deſtinare curarunt, collegimus, quod nobilis Vir Senator, & populus Urbis per Ambaxatores proprios requiſiverunt ab ipſis, ut curarent ipſius Senatoris ſervare mandata: parlamentum eis, & exercitum facerent, necnon ad Urbem accederent prò exhibenda ibi communi, & perſonis ſpecialibus ratione, alia eis ſubjectionis ſervitia, & onera imponentes, quibus ſuæ ipſos intendunt juriſdictioni ſubiicere, & à devotione; & fidelitate avellere Eccleſiæ matris ſuæ, ſub cujus dominio gaudent in optato commodo libertatis per eoſdem Ambaxatores pænas graves nihilominùs comminantes, ſi Terracinen. jam dicti præmiſſa prætermitterent adimplere. Verum quia veſtra res agi conſpicitur, paries cum proximus ardet attendentes, quod tantæ peſtilentiæ morbus, ut cancer per totam Patriam irremediabilitèr ſerperet, ſi ſuis non obſiſtatur principiis, ne in ipſorum Terracinen. veſtraque diſpendia ullatenùs invaleſcat, cauſam eorum in hac parte non ſolùm prò ipſius devotione Eccleſiæ, ſed propriæ conſideratione utilitatis, & conſervandæ vobis libertatis amore propriam reputare debetis, eamque cum ipſis ut veſtram unanimi voto, & pari conſenſu defendere, ac concertare virilitèr prò eadem. Cum igitur eorundem Terracinen. Sic intendamus ſuper hoc juvare conſtantiam, quod nullorum moleſtiis deprimi valeant, ſuæque devotionis integritas, puritas fidei, & fidelitatis ſinceritas grata

ta ſemper ſuſcipiant incrementa Univerſitatem veſtram rogandam, & hortandam attentè duximus, ac monendam per Apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandantes, quatenùs ſi adverſus Terracinen.Prȩfatos Romanorum congregentur exercitus,vel iidem exiverint contrà eos hoſtilitèr, ut minantur, nullo alio à nobis expectato mandato in ſuccurſum potentèr accedatis ipſorum, eiſque ob reverentiam Apoſtolicæ Sedis, & noſtram totis viribus, & conatibus aſſiſtatis. Scientes, quod & nos propter hoc adverſus eorundem inſolentiam Romanorum totam circumadjacentem magnificè concitabimus Patriam, & aliàs in veſtrum, & Terracinen. prædictorum auxilium, ſi neceſſe fuerit, potentis militiæ manu curabimus deſtinare.Talitèr itaque ſuper hoc mandatum, ac prȩceptum Apoſtolicum impleatis, quod dicti Terracinen. veſtro roborati ſuccurſu tàm utilem,tamque neceſſarium vobis, ac toti Patriæ, fueritis, quod minimè credimus, negligentes,& pænam à vobis procul dubio exigemus, & accipiemus prædictam, & aliàs contrà vos graviter procedemus. Dat. Aſſiſii tertio Nonas Maii Pontif. Noſtri Anno decimo.

Alias ejuſdem tenoris litteras dedit præfatus Innocentius Alatrinis, Verulanis, Veliternen., Signinis, Pipernenſibus, Coranis, Setinis, & Nymphanis, quas omnes ſervatas invenimus in Archivio Terracinen. cum ſuis plumbeis. Bullis, in quibuȩ ex una parte impreſſæ aderant imagines SS.Pauli, & Petri, ex altera verò inſculptum nomen Innocentius Papa Quartus: Antequàm hujuſmodi litteras exaraſſet dictus Pontifex miſit epiſtolam Senatori Urbis,cujus audi argumentum, & materiam.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio Nobili Viro . . . Senatori Urbis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

IN admirationem deducimur, quod ſicut nupèr ad audientiam noſtram pervenit à dilectis filiis . . . . . Rectore, Conſilio, & Populo Terracinen. fidelibus Romanæ Eccleſiæ per Ambaxatores proprios requiſiſti,quod tua jurarent ſervare man-

I data,

data, quodquè tibi, & Populo Romano parlamentum, & Exercitum facerent, ac accederent ad ſolitos ludos Urbis, ibique communi, vel ſpecialibus perſonis redderent rationem, eis nihilominùs graves pænas per Ambaxatores comminando prędictos; ſi hæc omitterent adimplere, ſuper quo non poſſumus non turbari cum Terracinen. Civitas ſpecialis B. Petri, & Apoſtolicæ Sedis exiſtat, ejuſque Cives ut peculiares Romanæ Eccleſiæ filii ei ſoli fidelitatis debito teneantur, & nequaquam, quod unquam talia Urbi fecerint, vel in talibus ei ſervierint in memoria hominum habeatur. Et quidem ſi hæc debita meditatione penſaſſes à prædictis Civibus fidelibus noſtris hujuſmodi nova ſubjectionis ſervitia nullatenùs exigiſſes, quæ non ſine gravi noſtra, & Apoſtolicæ Sedis injuria expetuntur. Illa etiam, quæ nobis promittit de tua nobilitate devotio, te nequaquam hortatur ſic habenas laxare Senatoriæ Poteſtatis, ut prò tui, vel Romanorum ampliatione honoris, Chriſti offendas Vicarium, ipſumque in ſuis fidelibus in honores. Illa quoque Catholicæ Fidei puritas, quæ in tuis ſemper actibus debet radiare, propriæquè amore ſalutis, & famæ minimè tibi ſuadet, ut pro dilatando Urbis, vel ſuæ juriſdictionis dominio in terminos injurioſè proſilias alienos. Quocircà nobilitatem tuam rogandam attentè duximus, & monendam per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenùs mandatum, ſeù petitionem, vel exactionem, quæ prædictis Terracinen. circà præmiſſa feciſſe dignoſceris ob reverentiam Apoſtolicæ Sedis, & noſtram non differas propter receptionem præſentium revocare, ipſoſque, vel Civitatem ipſam nullis hujuſmodi occaſione, vel alia infeſtes moleſtiis, nec facias, neque permittas ab aliquibus moleſtari; ſciturus, quod quantumcumque perſonam tuam ſincera complectamur in Domino charitate; ac ipſius Urbis diligamus honorem, nequaquam diſſimulare gravamina ipſorum potuimus, quin eis, quos inter cęteros Sedis Apoſtolicæ devotos, & filios ſpeciali affectione proſequimur adversùs quoſcumque conatus aſſiſtamus potentèr auxilijs opportunis. Datum Aſſiſii non. Maii Pontif. Noſtri Anno decimo.

Non omiſit interim Summus Pontifex Terracinenſes hortari, ut conſtantes in fidelitate Sedis Apoſtolicæ adverſus Romanorũ ferocientium inſultus perſiſterent, eiſdemque quidquid molitus erat favore ipſorum denunciat his litteris.

INNO-

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis filiis Rectori, Conſilio, & Communi Terracinen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

EX ſerie litterarum veſtrarum, quas affectione paterna, & ſolita benignitate recepimus intellecta fidelitatis veſtræ conſtantia, integritatem devotionis, & fidei commendamus non immeritò puritatem, quæ dum diligenti animi meditatione revoluimus dignum ſollicitudini veſtræ occurrit, ut arcus ad vos feriendum extenti reflectantur in ſe noſtris propenſioribus ſtudiis, & ſpicula in vos miſſa minarum in nocumentum minantium recutiantur, ſicut ſignificantibus vobis accepimus, Nobilis Vir Senator, & Populus Urbis vos, & Civitatem veſtram, quæ ſemper ſub dulci, & benigno dominio Eccleſiæ Romanæ in libertatis optato tranquillo floruit, ſuæ ſubicere juriſdictioni conantur, præſtari juramentum de ſervandis ipſius Senatoris mandatis, ac parlamentum, exercitum, & quædam alia ſubjectionis obſequia fieri ſibi à vobis per Ambaxatores proprios expetendo, & comminando nihilominùs graves pęnas, ſi eorum ſuper hiis juſſibus non paretis, ſuper quibus veſtra data ipſis reſponſio tanto gratior noſtris inſonuit auribus, quantò plenioris devotionis erga matrem veſtram dictam Romanam Eccleſiam affectu clareſcit, & ſinceritate irradiat fidei purioris. Et quidem noſtri, noveritis, conſtantèr eſſe propoſiti veſtris, & Civitatis veſtræ potentèr cunctis obviare periculis, nec aliquo modo permittere quorumcumquè deprimi vos moleſtiis, quos inter cęteros filios Apoſtolicæ Sedis ſpecialis dilectionis brachiis amplexamur. Ut autem quid ſuper hiis ad veſtrum intendimus auxilium liquidò pateat, ecce univerſis Civitatum, Caſtrorum, aliorumque locorum Campaniæ, Maritimæquè Poteſtatibus, Communibus, Baronibus quoquè Nobilibus, ac aliis Eccleſiæ jam dictæ fidelibus noſtris ſub certis pęnis damus litteras in mandatis, ut ſi Romanos adverſus vos, & Civitatem veſtram exercitum congregare contingeret, vel aliàs hoſtilibus vos impetere inſultibus totis viribus in ſuccurſum veſtrum conſurgant, vobiſquè aſſiſtant potentèr ſubſidiis

opportunis, contrà quos etiam Romanam totam prò vobis, veſtraque defenſione circumadjacentem concitabimus Patriam, omniumque vires Eccleſiæ prædictæ fidelium commovebimus, ſicut vobis viderimus expedire. Quocircà Univerſitatem veſtram affectuosè rogamus per Apoſtolica vobis ſcripta firmitèr præcipiendo mandantes, quatenus eam, qua cepiſtis prò libertatis amore, ac devotione paritèr prædictæ Romanæ Eccleſiæ matris veſtræ in petitionibus Romanorum reſiſtere, conſtantiam minimè deſeratis, ſed in ea firmis animis laudabilitèr perſiſtentes nullis deiiciamini minarum terroribus, quia non ſemper feriet, quocumque minabitur arcus; & ecce dilecto filio Magiſtro Jordano Subdiacono, & Notario noſtro Campaniæ, Maritimeque Rectori injunximus viva voce, ut quando conſtiterit, quod Romani contrà vos parent exercitum, vel in Civitatis Terracinen., aùt ſui diſtrictus depopulationem, vel depreſſionem hoſtilitèr exeant, vel veniant, in ſuccurſum, & munimen veſtrum per ſe, vel per alium cum magna, de qua jam cogitavimus, quam etiam paratam ſtatim habebimus, militum acceleret comitiva, cui quidquid ſuper hiis miſerit, & mandaverit, credatis, & intendatis firmitèr, ſicùt nobis, & ne Romanorum ipſorum incurſus vos immunitos, aùt imparatos inveniat, diligentèr explorare curetis, & nobis etiam celeriter intimare. Si Romani jam dicti contra vos exercitum faciant, & ſi adverſus vos hoſtilitèr exeant, ut minantur, quia mox cum id nobis inſinuatione veſtri, vel aliàs innotuerit, potentis ad vos militiæ manum preter alia, quæ pervenient vobis vicinorum, & aliorum auxilia curabimus, ſicut prædictum eſt properè deſtinare. Ad hæc noveritis, quod præfato Senatori dure ſuper hoc ſcribimus ſibi motum noſtri animi exponentes injungendo eidem, quod ab impetitionibus veſtris ſuper hoc præmiſſis, & aliis gravaminibus penitùs conquieſcat cum nequaquam velimus veſtras preſſuras, vel moleſtias ſubſtinere. Dat. Aſſiſii tertio non. Maii Pontif. Noſtri Anno decimo.

Hæ omnes litteræ, ut diximus, ſervantur originalitèr in Archivio Civitatis Terracinæ; cunctas tamen non tranſcripſi, quia brevitati ſtudui; Ex duabus ultimis datis Senatori Urbis, & Civibus Terracinen. præter chartam originalem adeſt quoque exemplar.

CAP.

CAP. VIII.

INnocentio Quarto ſucceſſit Alexander Quartus, qui cum Romani adhùc perſiſterent in ſententia oppugnandi Civitatem Terracinæ, eiſdem Apoſtolicas litteras direxit tenoris ſequentis, quarum exemplar ſervatur in Archivio Terracinen., & tranſcripſit Joannes Parlator de Setia Notarius.

ALEXANDER EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis filiis Nobilibus Viris Joanni de Sabello, & Anibaldo Nepoti noſtro, & Conſilio Urbis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

INtellecto nuper, quod vos prętextu cujuſdam iniqui ſtatuti juramento firmati contrà Civitatem Terracinen. noſtram, & Sedis Apoſtolicæ ſpecialem proponebatis exercitum congregare, ac hoſtilitèr procedere contrà illam: Nos, qui prædictam Civitatem, utpotè nobis, & fratribus noſtris utilem, placidam, & devotam inter alias Civitates Campaniæ, & Maritimæ multis ex cauſis benevolentia proſequimur ſpeciali, propter quod ejus injurias,& moleſtias proprias reputamus, vos monendos, rogandos attentè duximus, & hortandos noſtris vobis ſub certa forma dantes litteras in mandatis, ut penſantes providere, quod moleſtando illam noſtri cordis ſubſtantiam pungeretis, attendentes etiam,quod ejus offenſas nequaquam poſſemus æquanimitèr tolerare ob reverentiam prædictæ Sedis, & noſtram ab hiis deſiſtentes omninò, & omnis vobis moleſtandi prædictam Civitatem, imò potiùs vos in illa, via, & materia præcluderetur à nobis, vos univerſos, & ſingulos juramento, quoad hæc aſtricti eſſe dicebamini, auctoritate Apoſtolica duximus abſolvendos. Sed ſicut ad audientiam noſtram non ſine ammiratione, & animi turbatione pervenit; Vos filii Senatores Vicerectori, Conſilio, & Communi prædictæ Civitatis nuper per veſtras injunxiſtis litteras,vt infrà certum terminum in eiſdem veſtris contentum litteris per Syndicum ad hoc ſpecialitèr conſtitutum in

ve-

veſtra præſentia compareret Communi Urbis, & quibuſdam Civibus Romanis tàm de prædicto Communi, quàm etiam de nonnullis Civibus præfatæ Civitatis conquerentibus coram vobis in judicio reſponſuris, comminantes eiſdem, quod ſi veſtrum in hac parte mandatum nullatenùs adimplerent adverſus eos, & Civitatem prædictam juxtà prædicti ſtatuti formam hoſtilitèr procedere curaretis. Cum igitur præfata Terracinen. Civitas nullum alium præter nos, & Romanæ Eccleſiæ Superiorem, & Dominum recognoſcat, nec Cives Terracinenſes teneantur coram vobis, ſeù quibuſcumque aliis judicibus, ſed tantummodò coram nobis, noſtriſque Officialibus de ipſis conquerentibus reſpondere, cum etiam nunquàm hactenùs in foro Urbis aliquibus duxerit reſpondendum, neque nos pati quomodolibet intendamus, quod in eis juriſdictionem aliquam vindicetis: Univerſitatem veſtram ſic iterùm, ſic attentiùs monemus, rogamus, & hortamur attentè per iterata vobis ſcripta mandantes, quatenùs hęc provida deliberatione penſantes conſiderantes etiam, quod in vexatione prædictæ Civitatis, quàm, ſicùt aliàs vobis ſcripſimus, Nos, noſtrique fratres dicti propter multas commoditates, & utilitates, quas ex illa Curia noſtra conſequitur, & aliàs etiam præcipuo proſequimur dilectionis affectu, nobis, eiſdemque fratribus gravem inferetis injuriam, & offenſam, ab hujuſmodi, & quibuſcumque aliis ejuſdem Civitatis, ſuorumque Civium moleſtiis, ſi noſtram, & memoratæ Sedis caram habetis gratiam non obſtantibus Statutis, & juramento prædictis, à quibus vos abſolvimus, penitùs deſiſtatis, & cum Vicerector, Conſilium, Commune, & Cives Terracinenſes prædicti obtulerint ſe paratos exhibere in judicio coram nobis, tàm prædicto Communi Urbis, quàm etiam quibuſcumque Civibus Romanis, & perſonis aliis de illis conquerentibus juſtitiæ complementum, ſi forſitàn Syndicus, vel quæcumque alia perſona dictæ Urbis voluerint ſuper quibuſcumque cauſis agere contrà illos veniat coram nobis, qui libentèr eis de prædicto Communi, quàm de quibuſvis Civibus Civitatibus prædictæ plenariam fieri juſtitiam faciemus. Talitèr igitur hujuſmodi preces, & mandata noſtra implere curetis, ut devotionem veſtram exin meritò commendantes condignas vobis propter hoc gratias referamus, ſcituri prò certo, quod ſi ſecùs, quod non credimus, ageritis, id nullatenùs poſſemus in patien-

tientia ſuſtinere. Dat. Anagniæ 3.non. Aprilis Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

Sub eodem Pontifice Anno tamen Pontificatus ejus tertio via publica, quę eſt ad Fontanellas propè, & infrà Terracinam dilatata eſt, prò cujus rei memoria tale venditionis inſtrumentum invenimus.

In nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti; Anno Dominicę Incarnationis MCCLVII. indict. prima Menſis Octobris die 22.,& Anno tertio Pontif. Domini Alexandri Quarti Papę in Sacratiſſima Sede B.Petri Apoſtoli. Hac die in præſentia mei Scriniarii, & teſtium ſubſcriptorum ad hoc ſpecialitèr convocatorum Magiſter Gregorius Petroli Judex, & Scriniarius Terracin. non vi coactus, nec dolo malo inductus, ſed de ſua bona, pia, & libera voluntate vendidit, ceſſit, tradidit Domino Petro Pironto, & Domino Nicolao Naſo Vicerectoribus Terracinen. prò parte, & nomine Communitatis. Terracin. in perpetuum palmos undecim de canna prò via publica de orto ſuo poſito ad Fontanellā juxtà viam publicam, & juxtà ortum Marię Uxoris Petri Seniorilis, & juxtà flumen menſurando ab orto dictę Marię Uxoris Petri Seniorilis verſus Orientem prò quibus vndecim palmis dictus venditor recepit à dictis emptoribus Vicerectoribus de pecunia dictę Communitatis libras quatuor, & dimidium bon. pretii Senatus renuncians exceptioni non numeratę, ſeù non receptę pecunię, & receptioni vltrà dimidiam juſti pretii, & omnis juris auxilio, quo venditionem hanc poſſet infringere; & ſi quod plùs valet eis nomine Communitatis prędictę inter vivos irrevocabilitèr donavit dans eis licentiam, & liberam,& perpetuam poteſtatem ipſos undecim palmos de canna metiendi, poſſidendi, utendi, fruendi, vendendi, donandi, alienandi, & de eis faciendi quidquid prędictę Communitati Terracinen. perpetuò placuerit facere, & promiſit prò ſe, ſuiſque hęredibus, & ſucceſſoribus prędictis Vicerectoribus nomine jam dictę Communitatis hanc venditionem ratam, & firmam habere, atque tenere perpetuò, & contrà non venire. Immò prędictos undecim palmos de canna de prędicto orto ab omni homine ſub pæna dupli dictę pecunię ante litis initium defendere, omnequè damnum, & expenſas, quod, & quos jam dicta Communitas fecerit, vel ſubſtinuerit in judicio, vel extrà, integrè reficere, & reſarcire; & pęna ſoluta hęc venditio in

in ſua nihilominùs perpetua permaneat firmitate. Prętereà jam dicti Domini Petrus Piruntus, & Dominus Nicolaus Naſus prò parte, & nomine prędictę Communitatis Terracinen. promiſerunt jam dicto Magiſtro Gregorio Petroli, & hęredibus, & ſucceſſoribus ſuis ſub pæna dupli prędictarum quatuor librarum, & med. necnon obligaverunt eidem bona prefatę Communitatis facere fieri expenſis ejuſdem Communitatis murum à coſſa pontis uſque in viam publicam largum duorum palmorum de canna, & altum ſicut eſt alter murus orti Dominæ Floreſiæ, & murus orti filiorum quondam Domini Matthęi de Balena, qui orti poſiti ſunt in eodem loco, ità tamen quod ipſe murus non mittatur, vel fabricetur in ipſis undecim palmis de canna, qui ſunt prò via, ſed in terra orti prędicti Magiſtri Gregorii Petroli.

✠ Signum ſubſcriptorum, qui hoc inſtrumentum fieri, & ſcribi per manum Gregorii de Balena Scriniarii rogarunt menſe, die, & indict. ſupradictis.

✠ Ego Petrus de Roſa rog. teſtis.

✠ Ego Nicolaus de Balia rog. teſtis.

✠ Ego Leonardus de Paulo rog. teſtis.

Ego Gregorius de Balena S.R.E., & Civitatis Terracinen. Scriniarius hoc inſtrumentũ ſcripſi, complevi, & abſolvi.

Erat autem adeò nota per hæc tempora fides inconcuſſa, & probata ſinceritas Civitatis Terracinę erga Sedem Apoſtolicam, ut Urbanum Quartum immediatum memorati Alexandri Papę ſucceſſorem traxerit in ſummam admirationem, quod nonnullos ex plebeis Terracinen. nomen dediſſe militiæ Principis Manfredi Eccleſiæ perſecutoris, audierit, propterea in hanc formam exaratas litteras miſerit Poteſtati, & Communi Terracinen.

URBANUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis Poteſtati, Conſilio, & Communi Terracinen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

RES incredibilis, res nova, & inſolita, & ab antiquæ Campanæ fidelitatis actibus aliena ad noſtrum nupèr pervenit auditum, quæ licet nequeat incredulitatem noſtræ mentis aſcen-

aſcendere, animum tamen noſtrum amaritudine, noſtroſque ſen-ſus gelido quodam ſtupore replevit. Intelleximus etenim, quod nonnulli milites, & pedites de Campania volentes ponere maculam in veteri animo jam inveterata gloria Campanorum in Regnum Siciliæ ſtipendia Manfredi quondam Principis Tarantin. contrà Romanam Eccleſiam eorum matrem,& Dominam,ipſiuſve fideles, & devotos Eccleſiæ ſuſcepturi, accedere præſumpſerunt, ex quo, ſi hoc verum eſſet, Patria veſtra gravi reſpergeretur infamia, totaque illa Regio, quæ ſtabili ſemper fidelitate præfulſit, videretur jam propter illorum nefarias præſumptiones, ne dicamus, proditorias infidelitates contagiis offuſcari, & ideò nos nolentes tantæ temeritatis exceſſum in illis, ſi qui hoc attemptaverunt, jam vel deinceps attemptaverint relinquere impunitum Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta ſub debito fidelitatis, quo nobis, & Eccleſiæ prædictæ tenemini, & pœna mille marcarum argenti diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenùs omnes illos de Civitate veſtra, qui ad prædictum Regnum talitèr acceſſerunt, aùt de cætero acceſſerint cum occulti, vel ignoti vobis eſſe non poſſint perſonalitèr capere, ac ſub arcta tenere cuſtodia, quouſque de ipſis alitèr diſponamus, & domos ipſorum ex toto diruere,necnon bona eorundem omnia confiſcare omni dilatatione, difficultate, ac excuſatione ceſſante ſicut noſtram, & Apoſtolicæ Sedis caram habetis gratiam ſollicitè procuretis; procedentes eodem modo contrà Barones, & alios Nobiles ſimilis culpæ reos quantum ad domos, & bona eorum, quæ in veſtra Civitate, vel diſtrictu veſtro conſiſtunt, quorum etiam perſonas, ſi eos ad terram veſtram venire contingat, nihilominùs capiatis, ſcituri prò certo, quod ſi noſtrum non impleveritis efficacitèr in hac parte præceptum meritò vos, quorum fidelitatem in hoc experiri ſpecialitèr volumus, tantæ illorum nequitiæ conſcios, ſeù participes reputabimus, & prædictam pœnam ſolvi nobis plenariè facientes, & eſſe Venerabili Fratri noſtro . . . . . Epiſcopo Terracinen. litteris noſtris injungimus, ut ipſe diligentiam, vel negligentiam veſtram ſuper hoc nobis ſtudeat fidelitèr intimare. Datum apud Urbem veterem 2.Kalend.Martii Pontificatus Noſtri Anno tertio.

Colligitur ex dictis, quod non ſolùm Civitas Terracina, ſed etiam tota Provincia Campaniæ ſincera, ſolidaque fidelita-

K te

te verſus Sedem Apoſtolicam enituerit, atquè adeò memoratus Urbanus de præfato caſu amare condolet. Cęterum hujus celebris, ac nobilis Provinciæ merita miris extollit laudibus Bonifacius Octavus in Bulla quadam data Anagniæ 4.Kal.Octobris Anno primo ſui Pontificatus, quæ ſervatur in Archivio Terracinen., & ità loquitur.

BONIFACIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmana Mater Eccleſia, quæ viſceribus pietatis exuberans, & circa ſtatum ſolertèr invigilans ſubditorum ſe illis in favore munificam, & in gratiis exhibet liberalem, pręclara Campaniæ, Maritimæquè Provincię merita ſolertèr attendens, & ſedula conſideratione diſcutiens dignè circà ipſam ſpecialis zelo dilectionis afficitur; atquè illam intima proſequitur charitate, ſinceris amplectitur brachiis ad ſtatum ejus felicem, ac proſperum invigilantibus ſtudiis intendendo. Hæc eſt enim Provincia, quæ filios benedictionis, & gratiæ generat, quæ gratitudinis, & obedientiæ producit alumnos, & in qua ſemper ergà Eccleſiam ſupradictam fidei conſtantia viguit, claruit devotionis integritas, ſplenduit reverentiæ plenitudo. Hæc eſt profectò Columna fidelitatis immobilis ſuper firmam petram fidei conſtituta, quæ nullius unquam concuti potuit inſurgentis fremitu tempeſtatis. Hæc eſt Provincia, quę ſemper ipſi Eccleſiæ virilitèr, & conſtantèr in neceſſitatibus aſſiſtit, perſonarum pericula dampna rerúm, & laborum onera non evitans, cujuſque prompto, & potenti auxilio cęteras ſibi ſubjectas regit, dirigitque Provincias ipſarum compeſcit exceſſus, auſus temerarios reprimit, illicitos motus fręnat. Hic eſt utiquè prędilectus, & delitioſus ortus Eccleſię, in quo ipſa reperit, quod delectat, colligit, quę blandiuntur affectui, guſtat, & percipit dulces fructus. Ideoque ipſius Eccleſię benignitas meritò ad eandem Provinciam benevolum extendit intuitum, & de ſtatu ejus ſollicita redditur, ut ſubductis noxiis, ſubſequentibus proſperis in pacis pulchritudine ſedeat,

Digitized by Google

deat, & in requie opulenta quieſcat &c. reliqua ne verboſè agerem, omiſi. Sed ut revertamur Terracinam exempta fuit hæc Civitas ab onere mittendi Cives ſuos ad exercitus, qui prò tempore fiebant per Rectores Provinciæ contrà Rebelles, in cujus rei teſtimonium ex Archivio Terracinen. ſequentia proferimus.

In nomine Domini Amen. Anno ejuſdem 1273. indict. prima Pontif. Domini Gregorii Papæ Decimi Auno ſecundo Menſe Maii 24. In præſentia mei Uberti Notarii, & teſtium ſubſcriptorum ad hoc ſpecialitèr vocatorum, & rogatorum. Cum Thomas Scardafatii Syndicus Communis Terracenæ prò parte ipſius Cōmunis propoſuiſſet coràm Nobili, & Magnifico Viro Domino Uberto de Vicecomitibus dicto Nigro, Campaniæ, Maritimæque Rectore, quod Civitas Terracinen. ab ipſo Domino impetita ſuper exhibitione procurationis ab ipſo Rectore petitæ, ac ſuper mittendo ad exercitus, qui prò tempore fiunt per Rectores Provinciæ contrà aliquos ipſius Provinciæ Rebelles. Idemque Syndicus allegaſſet, quod Civitas prædicta erat à prædictis exempta ex antiqua conſuetudine eis hactenùs obſervata, & de præmiſſis erat in poſſeſſione libertatis, vel quaſi propter quæ dicebat idem Syndicus Civitatem eandem ad prædicta nequaquam teneri memoratus Dominus Rector certificari volens de præmiſſis, & eidem Civitati facere juſtitiæ complementum, commiſit diſcreto Viro Magiſtro Petro de Saxo Canonico Verulano Notario ſuo, & ei oraculo vivæ vocis mandavit expreſsè, ut ad Civitatem eandem, & ad loca alia convicina perſonalitèr ſe conferens inquireret de præmiſſis receptis articulis, ſi quos exhibere voluerit Syndicus prædictus, & probationes ad eos, & de hiis Syndico dictæ Civitatis conficeretur publicum inſtrumentum. Actum eſt hoc Fruſinon. in domo Joannis Scoti in Curia regiſt. præſentibus Venerabili Patre Domino Fratre Franciſco Epiſcopo Terracinen., Domino Homodeo Blanco . . . .

Ego Ubertus de Adamis Civis Placentinus, & dicti Dñi Rectoris Notarius huic interfui, & meum ipſius Dñi Rectoris conſcripta ſcripſi, & meum ſignum feci. Quid indè ex hac ordinatione evenerit, ignoramus, quia nil aliud notitiæ reperimus, ſcimus tamen, quod ipſe idem Ubertus prænominatus eandem Civitatem liberaverat ab onere prædicto per totum tempus ſui regiminis, uti teſtatur ejus Epiſtola tenoris ſequentis.

K 2 Uber-

Digitized by Google

Ubertus de Vicecomitibus dictus Niger Campaniæ, Maritimæquè Rector.

Nobilibus Viris Conſulibus, Conſilio, & Communi Terracinen. ſalutem, & ſinceræ dilectionis affectum.

DEvotionis veſtræ merita nos inducunt, ut vos favore benevolo proſequentes preces veſtras in hiis, quę cum honeſtate poſſumus libenti, animo ad exauditionis gratiam admittamus. Veſtris igitur precibus inclinati vobis præſentium auctoritate promittimus, quod vos tempore noſtri regiminis ad excitus aliquos venire nullatenùs compellemus. Nec volumus vos propter hoc pęnis aliquibus ſubjacere. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras per Ubertum Notarium ſcribi fecimus, & noſtri ſigilli appenſione muniri. Dat. Nymphę die 14. Maii primę indict.

Succeſſit pręfato Rectori Guido Codeporcus, qui Terracinam Vicarium ſuum miſit, & ſuper eadem materia talia decrevit.

In nomine Domini Amen. Anno Domini 1274. in pręſentia mei Notarii, & teſtium ſubſcriptorum. Diſcretus Vir Dominus Philippus Vicarius Generalis, & Judex Magnifici Viri Domini Guidonis Codeporci Campanię, Maritimæquè Rectoris veniens perſonalitèr Terracinam de mandato Comitis antedicti rogavit, & requiſivit efficacitèr Jordanum de Fomon. Vicarium in Terracen., & Populum Civitatis pręd ictæ coadunatum, proùt moris eſt in Palatio Domini Epiſcopi, ut, cum idem Comes intendat contrà Commune Anagniæ hoſtili modo incedere ad ipſorum Anagninorum prò exceſſibus aliquibus contumaciam edomandam, iret in ſubſidium prædicti Magnifici Comitis paratis omnibus, quæ ad hoſtem faciunt, & . . . . Agnoſcens igitur Deum, & juſtitiam, & volens prædicti Communis Terracin. libertatem, atque immunitatem, quam de non veniendo ad exercitum habent, & actenus habuerunt, conſervare illęſam, & ex antiquo privilegio, & conſuetudine, quam ſe habere, judice aſſerebant, ſub illa proteſtatione admiſſa ad prædictum exercitum rogavit, & voluit eos venire, ut ipſorum iter, & motus, quem non ex debito, ſed potiùs ad honorem, & reverentiam Romanę Eccleſiæ faciunt ſollicitè, & devotè prædictæ eorum immunitati, &

ti, & libertati non obſit in poſterum, ut ex hoc ad ſimilia de cętero non cogantur. In cujus rei memoriam prædictus Dominus Philiphus fieri fecit per me Notarium Ioannem de Fruſinon. hoc publicum Inſtrumentum faciens idem Inſtrumentum roborari ſui ſigilli munimine ad cauthelam præſentibus, & rogatis teſtibus Domino Philippo Piozolo, Domino Petro de Berardo, Domino Paulo Pirunto, Domino Joanne de Valena, Magiſtro Antonio, Judice Matthęo de Berardo, Judice Petro de Piozolo, & Judice Philippo de Balena.

Et ego Joannes de Fruſin. S.R.E. Notarius publicus prædictis omnibus interfui, & de mandato dicti Domini Philippi Judicis ejuſdem Communitatis, & ad preces Jordan. de Fumon. Vicar. pot. Tarrac. prędicta omnia ſcripſi, & in hanc publicam formam redegi, & ſignum proprium mei Notarii feci.

Has autem litteras idem Rector dedit pręfato Communi Terracinen.

Guido Codeporcus Campanię, Maritimęque Rector.

Nobilibus Viris, & amicis chariſſimis, Poteſtati, Judici, Conſilio, & Communi Terracenæ, ſalutem, & proſperitatis augumentum.

Quia nos Guido Codeporcus Campanię, Maritimæque Rector rogari fecerimus Poteſtatem, Conſiliũ, & Commune Civitatis Tarracen. per diſcretum Virum Dominum Philippum de Sartinano Judicem, & Vicarium noſtrum ob reverentiam Romanæ Eccleſiæ contrà Commune Anagnin., quos rebelles nobis, immò potiùs Romanæ Eccleſiæ reputamus, venirent una nobiſcum, & hoſtes prò ipſorum Anagninorum, & exceſſuum eorundem contumacia, & propterbia edomanda. Ipſi Terracinen. tanquàm filii obedientiæ, & Romanæ Eccleſiæ fideles noſtris precibus inhærentes, licet ex antiquis privilegiis, & antiqua conſuetudine diù obtentis, eorum patres, & prædeceſſores, & ipſimet habuerint, & obtinuerint immunitatem, & libertatem de non veniendo ad hoſtem, ſeù exercitum, & eadem nunc gaudeant libertate, ac poſſeſſione vel quaſi pacifica ut ipſi aſſerebant, deliberaverunt libertate unanimi ſe paratus ad dictum ho-

hoſtem accedere ſub illa proteſtatione, quod eorum immunitatati, & libertati, quam de non veniendo ad exercitum, hinc non obſit in poſterùm, quam prædictus Judex, & Vicarius noſter admiſit; ideò volentes gratioſis, & fidelibus Eccleſiæ gratioſum beneficium non obeſſe, Deumque, & juſtitiam agnoſcentes, quia ex eorum privilegiis, & conſuetudine jus immunitatis, & libertatis habent, & obtinent ſicut dicitur de non veniendo ad hoſtem prędictarum immunitatum poſſeſſione gaudentes vobis Syndico Communis Tarracenæ prò parte, & nomine dicti Communis recipienti promittimus, & Inſtrumentum facimus ad cauthelam, & conſervationem juris Communis veſtri prædicta deliberatio Communis adventus in prædictum hoſtem per prædictum Commune facta de veniendo ad exercitum, ut dictum eſt ſupra prędictæ Communis veſtri immunitati, & libertati non obſit in poſterum, ut ex hiis de cætero prædictum Commune ad ſimilia non cogatur, confirmantes nos nihilominùs, quod per prædictum Dominum Philippum Judicem, & Vicariū prędicto veſtro Communi ad conſervationem prædictarum immunitatum, & libertatum per Inſtrumentum publicum eſt promiſſum, de quibus omnibus fieri fecimus hoc publicum Inſtrumentum, & noſtri ſigilli apprenſione muniri. Dat. Ferentini ſub Anno Domini 1274. Pontificat. Domini Gregorii X. Papæ Anno ejus tertio indict. ſecunda menſis Auguſti die 27.

Hæc ſunt, quæ nobis occurrerunt ſuper dicta materia, & immunitatis argumento, qua fruebatur Terracina, & hactenùs, ut credo, fruitur, cum enim ſit Urbs maritima maritimis expoſita inſultibus, & piratarum excurſionibus, nil abſurdi apparet, ipſam obtinuiſſe à Sede Apoſtolica tale privilegium; quod temporis injuria periiſſe putamus.

CAP. IX.

ADhùc Civitas Terracina extraneis concuſſa eſt turbinibus interna Civium pace fruens, & quodammodò exultans, mox inteſtinis bellis exagitata civilium diſſidiarum cæpit flere ruinas, ſub Nicolao enim Quarto Terracinenſibus in arma, & ſeditiones verſis teſte Raynaldo tom. 14. Anno 1299. adeò vorax diſcordiarum incendium excitatum eſt Terracinæ, ut ſi non abſum-

Digitized by Google

abſumpſerit, certè peſſum dederit, quia verò faces tanto incendio ſuppoſuerat familia de Ceccano, illam Nicolaus Quartus ab acceſſu præfatæ Civitatis prohibuit bulla tenoris ſequentis.

NICOLAUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis Poteſtati, Conſilio, & Communi Terracinen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

INter cętera noſtræ ſollicitudinis ſtudia illud convenit eſſe potiſſimum, ut ad ſtatum pacificum, & tranquillum fidelium Romanæ Eccleſiæ ſubjectorum vigilantibus ſtudiis intendamus, ut ſubmotis impedimentis quibuslibet favente divina clementia in pacis pulchritudine ſedeant, & quieſcant in requie opulenta. Sanè quantis, & quàm gravibus turbationibus, & periculoſis diſſidiis procurante humani generis inimico incentore malorum veſter, veſtręquè Civitatis ſtatus jam non modici temporis ſpatio fluctuant non ſolùm in vicino, ſed etiam in remotis innotuit clamore valido divulgante. Cum itaque nolimus, ſicut nec debemus talia æquanimitèr ſubſtinere, ac intellexerimus, quod nonnulli de domo Ceccanen., & Anibalden. de Urbe ad ſuſcitanda hujuſmodi pericula, turbationes, & ſcandala cauſam potiſſimè duxerint impendendam ad terram veſtram cum gente non modica perſonalitèr accedendo, proùt in partibus ipſis eſſe dicitur manifeſtum. Nos intendentes in hac parte, ut expedit providere, cauſamque ſubducere ſupradictam, ut ea ceſſante, ceſſare contingat effectus, Univerſitati veſtræ ſub pęna mille marcharum argenti, quam & ipſo facto nos incurrere volumus, ſi ſecùs duxeritis præſumendum auctoritate Apoſtolica diſtrictiùs inhibemus, ne aliquem de dicta domo Ceccanen., & Anibalden. memoratis, vel eorum gentem Civitatem Terracinen. ingredi quomodolibet permittatis abſque Apoſtolicæ Sedis ſpeciali licentia, & mandato. Prò certo ſcituri, quod ſi contrà noſtram inhibitionem venire præſumpſeritis, nos ad ad exactionem prędictæ pęnæ, & alias etiam contrà vos, & Civitatem veſtram ſpiritualitèr, & temporalitèr proùt qualitas facti ſuaſerit, & expedi-

pedire viderimus actore Domino procedemus. Dat. apud Urbem veterem 4. Kal. Junii Pontif. noſtri Anno quarto.

Servantur hæ litteræ Apoſtolicæ originalitèr, (quarum etiam adeſt exemplar) in Archivio Terracinen. De familia autem Ceccanen. per hæc tempora vivebat Joannes de Ceccano, qui non ſolùm diſtrictum Terracinen. turbavit, verùm etiam totam Campaniam, Maritimamquè ſuſdeque vertit, fidem faciente præfato Raynaldo tomo eodem ad annum *1299.*, ubi ait. Quamvis deleti Columnenſes, Præneſtequè exciſum eſſet, non tamen ditio Pontificia tumultibus vacavit, Joannes enim de Ceccano, qui ipſis adhæſerat graviores in Campania, & Maritima ſeditiones in Pontificem excitavit. Fuerat ſępè Annibaldorum familia, è qua Joannes oriundus erat Eccleſiæ partibus infenſa; ſub Clemente enim Quarto contrà Carolum prò Corradino ſteterat, prò quo facinore à Clemente damnati exilio, bonis multati, ſervituti expoſiti, poſterique Sacerdotiorum obtinendorum jure deturbati, ſed cum eæ pænę in ipſos exercitæ non fuiſſent Joannes Anibaldi filius turgidus animis Campaniam, & Maritimam invadere eſt meditatus, ac Tarracinenſibus ſub Nicolao Quarto in arma, & ſeditiones verſis Jo: Annibaldus Urbis ingreſſu à Pontifice prohibitus eam armis oppreſſit, mortuoque Nicolao Quarto in Bruſortem Campanię, & Maritimę Pręſidem rebellavit, inſtructiſque inſidiis, dum Carolum Regem Ungariæ ad Sedem Apoſtolicam euntem ſequebatur cępit, ſeptemque Pipernates captos ex arboribus laqueo ſuſpenſos pręforavit.

Cęterùm diſſenſiones Civium Terracinen. aliquandiù duraſſe, & nimium invaluiſſe conſtat, ſiquidem. Bonifacius Octavus, ut familias Terracinenſes inter ſe diſſidentes componeret, in plures deliberationes devenit, pluraque ſalubritèr ordinavit per Bullam editam Anno primo ſui Pontif. quę ſic habet.

BONIFACIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

QUantis, & quàm gravibus, quamque periculoſis lacerata diſſidiis, quaſſata turbinibus, convulſa diſpendiis, & diris

diris vulneribus ſauciata malorum, pacis æmulo ſuperſeminante zizanias jam lapſu temporis longioris extiterit, & adhùc proh dolor! exiſtere Terracinen. Civitas dinoſcatur. Quot etiam, & quàm orrenda, quamque immania ſcelera, quot cędes hominum, animarum pericula, damna rerum, aliaque varia, & diverſa diſcrimina ſint hujuſmodi occaſione diſcordiæ ſubſecuta, facti evidentia edocet, famæ divulgat aſſertio, & validi clamores inſinuant plurimorum; Ideoquè felicis recordationis Nicolaus Papa Quartus prędeceſſor noſter volens tantis obviare periculis, ac ſuper hujuſmodi morbo tàm noxio, ne tractu temporis incrementa ſuſciperet, celeris, & oportunæ medelæ remedium adhibere, ac intendens inter Nobiles Viros de Domo Piruntorum ex parte una, & Valerios, Sanguinnos, & Davinos ex altera prędictæ Civitatis Concives reformare concordiam, materiam præcidere jurgiorum, pacemque dare perpetuam Civitati, & Civibus prelibatis Apoſtolica auctoritate providit, præcepit, & diſtrictè mandavit, ut majores, & capita partium prædictarum una cum quadraginta perſonis de ipſis, & ab ipſis partibus nominandis, de quibus poſſet veriſimilitèr dubitari, ne per illos hujuſmodi pacis reformationem impediri contingeret, ſingularitèr ſinguli pacem ad invicem facerent: Ad quam inviolabitèr obſervandam quælibet perſonarum ſe, ac bona ſua ad pęnam mille florenorum auri, unus videlicet alteri ſpecialitèr obligaretur, quod contrà pacem ipſam nullo unquam veniret tempore tàm ex facto ſuo principalitèr, quàm in favorem alterius partium earundem. Et ſuper hoc ab ipſis partibus Piperni, vel Setiæ, aut in aliqua Civitate, ſeù loco Campaniæ Romanæ Eccleſiæ immediatè ſubjecto ſufficientes, & idoneæ cautiones fidejuſſoriæ præſtarentur; & ut pax ipſa ſub cauthela procederet firmiori volens memoratus prædeceſſor malitiis, quæ in hiis doloſè intervenire aſſolent, obviare, omnes, & ſingulas venditiones bonorum quorumlibet per eaſdem perſonas ſimulate; vel alio quolibet colore præſumptas, ut in bonis eiſdem ratione exceſſuum, ſi quos fortè commiſerint, puniri de facto non poſſint, auctoritate Apoſtolica revocavit, volens ut in eiſdem obligationibus Uxorum, & Nurium accederet conſenſus expreſſus. Quod ſi quiſquam ex quadraginta prædictis fortaſſe contemneret facere dictam pacem, ſeque, ut prędicitur, obligare ab incolatu prædictæ Civitatis Terracinen. ejuſque terri-

ritorii eſſet perpetuò forbannitus, ſibique nequaquam pateret reditus ad eandem, niſi priùs pacem faceret ſupradictam, ac obligationem, & cautionem hujuſmodi exhiberet. Si autem quiſquam ex quadraginta præfatis ſcientèr forbannitum aliquem receptaret in dicta Civitate, vel ejus Territorio publicè, vel occultè, qui nollet pacem facere, aut factam poſtmodùm violaret, ipſum ad pęnam ſimilem prænominatus prædeceſſor voluit teneri obnoxium, ad quam ex facto proprio teneretur. Si verò de domo alicujus ex eiſdem quadraginta perſonis ea præſente quivis familiaris, domeſticus, aut Vaſſallus ipſius, ſeu aliquis extraneus egrederetur armatus, qui aliquem ex alterutra partium lęderet ità, quod ex lęſione ipſius excitaretur in Civitate prælibata ſeditio, turbatio fieret, violaretur pax facta, & partes ipſæ, quod abſit, prioris odii venena reſumerent, dictarum quamlibet perſonarum ad eandem pęnam mille florenorum ſolvendam manere voluit obligatam. Mandavit etiam præfatus prædeceſſor firmitèr obſervari, ut ſi aliquam ſingularem perſonam unius partis rixas cum alia perſona partis alterius habere contingeret, illaque delictum committeret, pęna debita puniretur. Si quis autem ex alterutra partium prædictarum hujuſmodi pacis, & concordiæ ſine manifeſto, & evidenti facto temerarius violator exiſteret eo ipſo bonis ſuis omnibus mobilibus, & immobilibus, quæ in Civitate, ac Territorio Terracinen. obtineret, voluit dictus prædeceſſor eſſe privatum. Quia verò quondam Anibaldus, & Petrus Tranſmundi de Anibalden. Cives Romani, ac Filii, & Nepotes eorum, ac Nobiles Viri Anibaldus de Ceccano, & Joannes ejus filius, ac ipſorum filii, & nepotes dicebantur fuiſſe cauſa, ſeù fomentum diſſidii, & turbationis Civitatis ejuſdem propter ipſorum auxilium, & favorem præfatis partibus præſtitum in diſcordia confovendis, & ſæpefata Civitas ex hujuſmodi guerrarum turbinibus erat in multis periculis conſtituta eis, & eorum cuilibet ſub excommunicationis, & confiſcationis bonorum ſuorum omnium, quæ in terris Eccleſiæ obtinerent pęnis, quas ex tunc in eos, & ipſorum quemlibet præfatus prædeceſſor protulit, ſi mandatis ejus in hac parte contemnerent obedire, diſtrictè precepit, ne ipſorum aliquis Civitatem Terracinen. prædictam quavis occaſione, vel cauſa, ſive colore quæſito ingredi attemptaret. Vaſſallis quoque, ac familiaribus eorundem ſub eiſdem pę-

nis

nis dictus prædeceſſor duxit diſtrictiùs inhibendum, ne quiſquam eorum in alicujus partis, ſivè ſingularis perſonæ, aut præfati Communis damnum, injuriam, vel favorem Civitatem ingrederetur eandem. Quod ſi aliqua ex partibus antedictis, vel ſingularis earum perſona prædictos Anibaldum, & Petrum, ac Nobiles, & filios, nepotes, familiares, ac Vaſſallos eorum, aut aliquem eorundem contrà hujuſmodi præfati prædeceſſoris inhibitionis tenorem in Civitatem receptaret eandem publicè, vel occultè omnibus bonis ſuis, quæ in Terracina, & diſtrictu obtineret illius eſſet eo ipſo privata; proùt in litteris prædeceſſoris ejuſdem ſuper hoc confectis præmiſſa, & alia etiam pleniùs, & ſeroſiùs continentur. Verùm partes prædictæ, ac perſonæ ſingulares earum non ad obedientiæ bonum, non ad humilitatis virtutem, aut devotionis effectum ſuos animos coaptantes, quìn potiùs noxiæ ſequentes arbitrium voluntatis, & contrà hujuſmodi proviſionem, præcepta, & mandata ſalubria prædeceſſoris ejuſdem temere verò euntes mala, quàm plurima inter ſe invicem, ac enormia, & ſceleſta committere auſu damnabili præſumpſerunt, per quod jactura gravis, & periculoſa diſſentio circumpoſitis partibus ſupervenit Nobilibus Viris Nicolao Petri Tranſimundi de Anibalden. de Urbe, ac ejus fratribus, & Joanne de Ceccano, ſuiſque filiis ſupradictis, ac Vaſſallis, & familiaribus ejuſdem Joannis cauſam, & occaſionem præſtantibus in præmiſſis. Rectores quoque Civitatis ejuſdem, & Officiales eorum in ipſarum partium, & Civitatis periculoſa diſcrimina non ſunt veriti ſuos conatus nefarios exercere propter quod ejuſdem Civitatis ſtatus uſque adeò nubilo turbationis obductus, & diſſentionum agnoſcitur fluctibus periculoſis impulſus, quod niſi per Apoſtolicæ Sedis circumſpectam prudentiam, quæ veluti pia mater fidelibus filiis neceſſitatis in tempore plenis adeſſe præſidiis, & opportunis ſubvenire favoribus non deſiſtit, verendum occurrit, ne dicta Civitas, quæ multis utique hactenùs viris decorata prudentibus, conferta divitiis, & delitiis affluens exiſtebat, in exterminium collabatur extremum. Unde nos hujuſmodi ſui periculoſi ſtatus conſcii, & anguſtiarum, ac tribulationum ejus quamplurium non ignari cum ante promotionis noſtræ primordia opem, operamque ſollicitam duxerimus impendendam, ut Civitas ipſa ejus omninò ſedata diſcordia tranquilli ſtatus, &

L 2 proſpe-

proſperi lętis ſucceſſibus potiretur. Demum quælibet partium prædictarum per ſe, ac etiam Commune Civitatis ejuſdem ſibi ſalubritèr conſulentes ſuper præmiſſis omnibus, & ſingulis præmiſſorum in nos tanquam in Arbitrum Arbitratorem, determinatorem, laudatorem, diſpoſitorem, deciſorem, ordinatorem, Communem Dominum, & Amicum, ac amicabilem compoſitorem altè, & baſsè compromittere curaverunt, proùt in Inſtrumentis publicis ſuper hoc confectis pleniùs, & ſerioſiùs continetur. Nos autem licet arduis, & diverſis, variiſque negotiis, quæ temporis qualitas, & diſſidioſus mundi curſus ingerunt, occupati, & multi modis agendis impliciti, quia tamen more laudabili pii Patris, quem non prætereunt incommoda filiorum grandi deſiderio ducimur, ut Cives, & Civitas ſupradicta de tantis periculis eruti, erepti diſpendiis, tribulationibus; & anguſtiis liberati ad pacis tranquillæ dulcedinem, & quietis votivæ lętitiam perpetuis futuris temporibus permanſuram per noſtram curioſam ſolertiam reducantur, compromiſſa hujuſmodi non parcendo laboribus, tædia non vitando benignè duximus aſſumenda. Volumus igitur, & tàm hujuſmodi compromiſſorum virtute, quàm etiam auctoritate Apoſtolica providemus, præcipimus, & mandamus diſtrictiùs, ut majores, & Capita partium ſupradicta cum quadraginta perſonis juxtà formam expreſſam ſuperiùs de ipſis, & ab ipſis partibus nominandis inter ſe pacem ad invicem faciant, & reforment, & ut eam inconcuſsè, ac inviolabilitèr perpetuis temporibus ſecuturis obſervent, quælibet perſonarum ipſarum ſe, ſuaque bona omnia ubilibet conſtituta ad pænam mille florenorum una perſona alteri obliget, quod contrà pacem prædictam nullo unquam tempore venient tàm ex facto proprio principalitèr, quàm in favorem, & auxilium alterius partium prædictarum, & ſuper hoc ab eiſdem partibus in aliqua Civitate, vel loco Campaniæ, vel Maritimæ immediatè ſubjecto Romanæ Eccleſiæ ſupradictæ ſufficientes, & idoneæ præbeantur fidejuſſoriæ cautiones ità quod fidejuſſores hujuſmodi de Civitate Terracinen. prædicta, ſeù de aliqua dictarum partium non exiſtant, & ut firmiùs, ſolidiùs, & cautiùs in hujuſmodi negotio procedatur, & doloſis fraudibus, ac fucatis obvietur malitiis perverſorum omnes, & ſingulas venditiones rerum, & bonorum quorumlibet per jam dictas perſonas ſimulatè,

tè, vel fictè aut alio quolibet quæſito colore, vel adinuentionibus malitioſis quibuſcumque præſumptas, ut in prædictis bonis occaſione, vel ratione exceſſuum, ſi aliquos fortaſsè commiſerint, puniri de facto non valeant, auctoritate Apoſtolica revocamus volentes omninò, ut in hujuſmodi obligationibus conſenſus Uxorum, & Nurium expreſſus accedat. Et nihilominus ſi qua ex perſonis eoſdem per ſe, vel alium, aut alios contrà hujuſmodi formam pacis quomodocumque, ſeù qualitercumque venire præſumpſerint omnia bona ſua per eam, ſicut pręmittitur perſonę alteri obligata Romanę Eccleſię totalitèr applicentur priùs de bonis ipſis parti alteri prędictam pacem ſervanti, cui hujuſmodi obligatio facta fuerit, ſatisfacto. Ac inſupèr memorata perſona, quę pacem ipſam violare tentaverit ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat, ſitque de Civitate Terracinen. prædicta, ejuſquè territorio, & diſtrictu perpetuò forbannita, nec valeat niſi per Romanum Pontificem eadem relaxari ſententia, neque illius forbannitio revocari. Et quia Civitatis prędictę dominium ſuę turbationis, & ſcandali, ac diſpendioſi diſſidii cauſam dedit, proùt ex evidentia facti cognovimus, & maiorum pręgravium ſceleſta commiſſione ſecuta evidentiùs innoteſcit. Nos proùt ex debito paſtoralis tenemur officii ſuper hiis volentes ſalubris adhibitione providere remedii, ac tantis malis, tantiſque periculis ſtudiis opportunis appoſitis obviare attendentes etiam quod ceſſante cauſa ceſſare conſuevit effectus. Cupientes quoque non ſolum Civitati, & Civibus antedictis, ſed toti etiam Patrię ſtatum per hoc dare pacificum, & tranquillum tàm ex ipſorum compromiſſorum viribus, quàm etiam ex generalis juriſdictionis vigore, quam in ipſis Civitate, & Civibus obtinemus, ac etiam de Apoſtolicę plenitudine poteſtatis prędictam Civitatem Terracinen., & Commune ipſius generalitèr, & ſpecialitèr dominio, & regimine Civitatis ejuſdem, ac poteſtate omnimoda eligendi Rectorem, ſeù Poteſtatem, aut Conſules Civitatis, & Communis prędictorum quocumque alio nomine cenſeantur uſque ad decennium continuum, & per idem decennium ſi nos interim mori contingeret, cui regimen Terracinen. Civitatis Cives Civitatis ejuſdem commiſerunt ad vitam, omninò privamus, & volumus, ac decernimus per idem tempus, ut prędicitur, eſſe, & manere privatos, dictaque dominium, & regimen per idem tem-

tempus ad Romanam dumtaxat Eccleſiam pertinere, ità quod per ipſam Eccleſiam dictis Civitati, & Communi, ſeù Civibus Poteſtas, aut Rector per idem decennium deputetur. Decennio verò prædicto finito, & perſona noſtra de hac luce ſubtracta regimen Civitatis ipſius, ſicut & alias de jure, vel conſuetudine competit ad ipſum Commune liberè revertatur, niſi prò commodo ipſorum, Civitatis, & Civium Sedi Apoſtolicæ, & ipſis Communi, & Civibus aliter de ipſo regimine videretur. Et ne contingat Civitatem eandem cum Romana Eccleſia Paſtore vacare dinoſcitur, Rectoris gubernatione carere, volumus, & præcipimus, ac etiam ordinamus, ut ipſius Eccleſiæ vacatione durante, ſi tunc Poteſtatem, ſeù Rectorem Civitas prælibata non habeat, Rector Campaniæ, & Maritimæ, qui prò tempore fuerit regimen ipſius exerceat Civitatis, donec per Sedem ipſam aliud extiterit ordinatum. Si verò prædictæ Romanæ Eccleſiæ vacatione durante Rectorem Campaniæ non eſſe, vel de eſſe contingeret duo Conſules Cives Civitatis ipſius à Civibus ipſis electi concorditèr regimen ipſum exerceant quouſque per Sedem eandem aliud contigerit ordinari. Omnia inſuper bona mobilia, & immobilia, ſeſeque moventia, quæ Venerabilis Frater Noſter Franciſcus, Avellinen., olim Terracinen. Epiſcopus in Civitate, ac Diœceſis Terracinen., & Territoriis, ac Diſtrictibus earundem quocumque modo, vel cauſa, ſeù titulo acquiſivit Romanæ Eccleſiæ, ſuoque dominio, ſive juri applicamus. Non obſtantibus quibuſcumque contractibus, donationibus, & in dotem dationibus, necnon alienationibus, obligationibus, permutationibus, ac ſummiſſionibus factis perſonis quibuslibet generalitèr, vel ſpecialitèr de bonis prædictis, vel aliquibus eorundem. Per hoc autem nequaquam intendimus juri ipſius Terracinen. Eccleſiæ, ſi quod ſibi in bonis ipſis, aut eorum aliquibus poteſt quoquo modo competere aliquod præjudicium generari, quin immò illud eidem Eccleſiæ reſervari volumus integrum, & illæſum. Prata verò, ſeù terras, quæ inter Civitatem Terracinen., & Pipernum ſupradicta conſiſtunt volumus ſemper ſic eſſe, & manere penitùs indiviſa, proùt per bonæ memoriæ Jordanum SS. Coſmę, & Damiani Diaconum Cardinalem de communi Terracinen., & Pipernen. voluntate ordinatum extitit, & per Sedem Apoſtolicam confirmatum. Et nihilominùs donationem, venditionem,

ſeù

Digitized by Google

ſeù alienationem quamcumque quocumque nomine cenſeantur, factas de pratis, ſeù terris eiſdem per Commune Terracinen. vel ejus ſingulares perſonas prædicto Joanni de Ceccano, vel alii, aut aliis quibuſcumque cujuſcumque conditionis, præeminentiæ, dignitatis, ordinis, ſeù ſtatus exiſtant, auctoritate Apoſtolica revocamus, caſſamus, vacuamus, & irritamus omninò, immò caſſas, vacuas, & irritas nuntiamus, ac nullius prorsùs exiſtere firmitatis, ità quod præfatus Joannes, aut quivis alius prætextu cujuslibet conceſſionis, donationis, aut alienationis nullo unquam tempore in Pratis, ſeù Terris eiſdem, aut aliqua parte ipſorum ſibi per ſe, vel alium, aut alios poſſint aliquid juris quomodolibet vendicare. Nos enim prædictum Joannem, ac alium quemlibet omni jure, ſi quod eis quocumque modo, vel cauſa, ſeù titulo poſſet in Pratis, ſeù Terris prædictis, vel aliqua eorum parte competere de plenitudine poteſtatis memoratæ privamus. Ac nihilominùs ſi præfatus Joannes, aut alius, ſeù alii quicumque contrà ordinationem præfati Jordanis Cardinalis de Pratis, ſeù Terris ipſis, aut ſuper illis factam quocumque modo, vel cauſa, ſeù quovis tempore venire, facere, vel attemptare præſumpſerit, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, ac omnia bona eorum dominio, ac juri ejuſdem Romanæ Eccleſiæ applicentur. Et nihilominùs inhibemus, ne dictus Joannes, ſeù quivis alius occaſione donationis, ſeù contractus cujuslibet initi ſuper Pratis, ſeù Terris prædictis inter eum, & Commune, ſeù Cives Civitatis ejuſdem aliquid in judicio, vel extrà petere valeat à Communi, & Civibus memoratis. Et quoniam ad prædictæ Civitatis Terracinen. ſtatum pacificum, & quietum fervens noſtrę mentis aſpirat affectus, animuſque dirigitur auctoritate Apoſtolica diſtrictiùs, & expreſſiùs inhibemus, ne prçfati Joannes de Ceccano, aut ejus filii, vel nepotes, ſive Nicolaus Petri, & fratres ipſius, aut quivis alius Eccleſiaſticus, vel Laicus de Ceccanen., & ejuſdem Nicolai, ac fratrum ejus domibus de dominio, ſeù regimine Civitatis Terracinen. prędictę, vel Territorii, ſeù Diſtrictus ipſius ſe deinceps aliquatenùs immittant, & ne dominium ipſum, ſeù regimen per ſe, vel per alium, aut alios quoquo modo recipere audeat, etiam ſi eis communitèr, vel ſingularitèr ab ipſius Civitatis Communi, ſeù Civibus offeratur; neve jam dicti Joannes de Ceccano, aut Nicolaus Petri,

vel

vel alius, aut alii de domibus eorundem cujuſcumque ſint conditionis, aut ſtatus de factis, ſive negotiis Terracinen. Civium prædictorum, aut alicujus, vel aliquorum ex ipſis ſe intromittere quoquo modo præſumant. Si verò tempore ſuccedente, quod abſit, contingeret, quod iidem Cives inter ſe invicem diffiderent, aut aliqua inter eos turbationis, ſeù contentionis materia oriretur volumus, & expreſsè præcipimus, ut nullus de domibus ſupradictis ſive Eccleſiaſticus exiſtat, aut Laicus per ſe, vel alium, aut alios alicui parti dictæ Civitatis exhibeat conſilium, auxiliũ, vel favorem publicum, vel occultum, quodque Civitatem ipſam Terracinen., vel ejus Suburbia nequaquam ingredi, vel ſe appropinquare ad ea ſive aliquem, vel aliquos Vaſſallos ſuos, aut alios illùc aliquatenùs audeat deſtinare in alicujus partis auxilium, conſilium, vel favorem. Et ſi quiſquam ipſorum contra præmiſſa, vel eorum aliquod facere fortaſsè præſumpſerit, eum excommunicationis ſententiam incurrere volumus ipſo facto, & nihilominùs bona ejus ad Eccleſiæ Romanæ dominium devolvantur, & juri totalitèr applicentur ipſius, eiſque perpetuò ſit privatus, qui ſi Eccleſiaſticus fuerit Eccleſiaſtica beneficia, ſi qua obtinere dinoſcitur, ipſo facto prorſus amittat, & efficiatur inhabilis ad alia obtinenda; fautores verò, & ſequaces, ſeù complices ſi qui in hoc extiterint prædictorum, vel alicujus eorum, cujuſcumque fuerint præeminentiæ, conditionis, aut ſtatus eiſdem penis per omnia volumus, ac decernimus ſubjacere. Præcipimus inſuper, & mandamus expreſsè, ut nullus Eccleſiaſticus, vel Laicus Civitatis Terracinen. prædictæ cujuſcumque ordinis, conditionis, aut ſtatus exiſtat procurare, vel facere, aut ordinare quomodolibet audeat, quod eiſdem Joanni de Ceccano, vel ejus filiis, ſeù nepotibus, ſive Nicolao Petri, ſuiſque fratribus, vel alicui alii de domibus antedictis in Civitatem ipſam Terracinen. quoquo modo patère poſſit ingreſſus, aut aliquem, vel aliquos eorundem in Civitate prædicta quomodolibet receptare. Qui autem ſecus fecerit, ſi Laicus fuerit omnibus bonis ſuis, ſi verò Eccleſiaſticus non ſolum beneficiis Eccleſiaſticis, ſed etiam aliis ſuis bonis ſit eo ipſo privatus, & dominio Romanæ Eccleſiæ applicetur omninò, dictaque beneficia per eos, ad quos illorum collatio pertinet, aliis conferantur, & nihilominùs Eccleſiaſticus ipſe perpetuò ſit infamis, & reddatur inhabilis ad Eccleſiaſticum bene-

beneficium obtinendum, ut autem turbationis, & diſſenſionis cujuslibet Civitatis Terracinen. prædictæ materiam funditùs amputemus, ac univerſis de domo Ceccanen. prædictam Civitatem eandem quomodolibet adeundi cauſam, & occaſionem omnimodam ſubtrahamus Riccardum ejuſdem Joannis de Ceccano filiũ Eccleſiaſticum, qui Canonicatum, & Archipresbyteratum in Eccleſia Terracinen. obtinere dinoſcitur, eis Apoſtolica auctoritate privamus, collationem Archipresbyteratus ejuſdem hac vice Sedi Apoſtolicæ reſervantes ſtatuendo nihilominùs,& etiam ordinando auctoritate prędicta, ut nec idem Riccardus, nec quivis alius de Ceccanen., & ejuſdem Nicolai Petri domibus memoratis poſſit de cętero in Civitate,vel Eccleſia Terracinen.prędictis Pontificalem, aut aliam dignitatem per Senatum prębendam, Eccleſiam Parochialem, aut alia, aut aliquod aliud Eccleſiaſticum beneficium quomodolibet obtinere, vel aliquod temporale, ſeù ſpirituale acquirere quovis titulo in Civitate ipſa, territorio, vel diſtrictu ejuſdem, aut habere valeat, vel tenere. Per hujuſmodi autem ordinationem noſtram nolumus dilecto filio Nobili Viro Berardo de Ceccano nato Anibaldi prædicti in bonis, quæ in ipſa Civitate, ac ejus territorio, ſeù diſtrictu in prętentiarum dumtaxat legitimè obtinet, aliquod præjudicium generari, ſed ea hiis nequaquam obſtantibus liberè habere valeat, ac tenere. Cęterùm quia hujuſmodi negotium potiſſimè inſidet cordi noſtro, & paternis ducimur, & excitamur affectibus, ut non ſolùm Terracinen. Civitas ſupradicta, ſed etiam tota Campaniæ, Maritimæque Provincia ſubductis noxiis, & contrariorum vepribus radicitùs extirpatis, tranquillis, proſperiſque ſucceſſibus foveatur, auctoritate Apoſtolica diſtrictiùs inhibemus, ne Fundorum, aut alius Comes, ſeù Baro, ſeù Nobilis, aut alius quilibet, ſive cujuſvis Civitatis Communitas, aut Caſtri Univerſitas alicujus de Regno Siciliȩ prædictis Joanni de Ceccano filiis, aut nepotibus ſuis, vel Nicolao Petri, aut ejus fratribus, aut aliis quibuſcumque, ſive Eccleſiaſtici exiſtant, vel Laici de Ceccano, & ipſius Nicolai domibus prælibatis in hoc fautoribus, ſive complicibus contra Civitatem Terracinen. prędictam, aut ejus incolas, ſeù aliam Civitatem, Caſtrum, aut Communitatem, vel locum, ſeù quamvis perſonam etiam ſingularem Campanię, & Maritimę prędictarum generalitèr, & ſpecialitèr

M ali-

aliquod per ſe, vel alium, ſeù alios prẹſtare audeat conſilium, auxilium, vel favorem publicum, vel occultum, ac in contrarium prẹſumentes excommunicationis ſententiam promulgamus, à qua nonniſi per Romanum Pontificem abſolutionis beneficium valeat obtineri. Et nihilominùs omnibus bonis feudalibus, & quibuslibet aliis, quæ ab Eccleſiis, vel Monaſteriis, aut aliis locis Eccleſiaſticis tenere noſcitur damnum perpetuæ privationis incurrat. Præmiſſa verò non tàm ex compromiſſorum viribus, quàm ex dominio nobis, & dictæ Romanæ Eccleſiæ competentibus ex prædictis, ac de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis ſtatuimus, ordinamus, decernimus, & mandamus inviolabilitèr obſervari ſub pęnis, & ſententiis ſpiritualibus, ac temporalibus per nos, & ſucceſſores noſtros, ac eandem Romanam Eccleſiam infligendis, & declarandis inflictis declaratione, interpretatione, additione, diminutione, & mutatione nobis ſucceſſoribus noſtris, vel ipſi Romanæ Eccleſiæ reſervatis ſemel, & quotiès ipſis fuerit faciendis. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ proviſionis, præcepti, & mandati, revocationis, privationis, voluntatis, conſtitutionis, ordinationis, applicationis, caſſationis, vacuationis, irritationis, nuntiationis, inhibitionis, reſervationis, ſtatuti, promulgationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. Romæ apud S.Petrum VI. Id.Decembris Pontif.Noſtri Anno primo.

Servatur hæc Bulla, cujus plura etiam extant exempla in veteri Archivio Communitatis Terracinen., ubi quoque ſervatur publicum Inſtrumentum de forma electionis factæ de Bonifacio Papa Octavo in Poteſtatem, ſeù Rectorem Terracinen., quam formam electionis inferiùs dabimus.

CAP. X.

Vix à morbo inteſtino diſcordiarum civilium reſpiraverat Terracina, cum nec mora à novo hoſte continuis bellorum turbinibus miſerum in modum divexatur, nempè à Nicolao Comite Fundorum, qui jam Urbem ipſam cepiſſet Anno 1346., & procul dubio demoliturus erat, [tantis irarum fluctibus excan-

candeſcebat] niſi Januenſes cum 32. Galeis Civitatem præfatam, ejuſque Cives acerrimè prò Patria dimicantes à tyrannide infenſiſſimi Comitis præſens ſubſidium afferendo liberaſſent: Cum verò pejora timerent haud ſano ducti Conſilio Cives Terracinenſes, quia nullum ſuffragium accipere poterant à Pontificibus Romanis Avvinione morantibus, ſe ſe dediderunt in manus Roberti Siciliæ Regis, & ità Civitas Terracina, quæ ſemper fideliſſima Sedi Apoſtolicæ fuerat, ac penè immortalem fidelitatis gloriam ſibi comparaverat, notam infidelitatis incurrere cæpit; nihilominùs pęnitentia ducti ejus Cives cum Gregorium PP. XI. Avvinione Romam reducem humilitèr pro remiſſione tanti facinoris ſupplicaſſent, eorundem precibus indulgens benignus Pontifex omnes perpetratos exceſſus condonans eoſdem à rebellionis crimine abſolvit his litteris Apoſtolicis, quæ ſervantur in Archivio Terracinen.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis filiis Conſilio, & Communi Civitatis noſtræ Terracinen. ad nos, & Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentes ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Clementia Sedis Apoſtolicæ copioſa peccantibus in ſe filiis, ſi ad eam cum humilitate redeant poſt exceſſus nonnunquam errata indulget, & remittit, proùt perſonarum, locorum, & temporum qualitate penſata id cognoſcit ſalubritèr expedire. Sanè petitio prò parte veſtra nobis nuper exhibita continebat, quod vos propter multa crimina, delicta, & exceſſus per vos, vel per aliquos, ſeù aliquem veſtrum contra nos, & Romanam Eccleſiam matrem veſtram, & Dominam temere perpetrata, diverſitas pænas, mulctas, & ſententias cognoſcebatis vos meritò incurriſſe, & ob hæc ab Officialibus noſtris, & dictæ Eccleſiæ vobis poſſe in poſterum hujuſmodi pænas, mulctas, & ſententias infligi, & imponi, & ab eiſdem Officialibus puniri, vexari, ſeù etiam moleſtari. Et propterea vos cognoſcentes erro-

Digitized by Google

res, & exceſſus veſtros, ac cupientes nobis reconciliari in ſpiritu humilitatis, & contrito corde, quod Deus non ſpernit, feciſtis nobis humiliter ſupplicari, ut non obſtantibus offenſis graviſſimis, & exceſſibus, criminibus, ac delictis enormibus per vos, ut præfertur, contrà nos, & dictam Eccleſiam commiſſis vobiſcum more pii Patris agere misericorditèr dignaremur. Nos illius, qui non quærit mortem peccatorum, ſed potiùs ut convertantur, & vivant, vices licet indignè gerentes in terris, cunctorumque fidelium præſertìm nobis, & Eccleſiæ prædictæ immediatè ſubjectorum ſalutem optantes, nec filiorum iniquitates reſpicientes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, & memores fidelitatis antiquæ, quam ad Eccleſiam præfatam ſemper habuiſtis, & habere, proùt audivimus intenditis firmiùs in futurum, omnia delicta, exceſſus, injurias, & offenſas prædicta, ac etiam crimen rebellionis contrà nos, & dictam Eccleſiam per vos perpetratę, necnon omnes, & ſingulas pęnas, mulctas, & ſententias reales, & perſonales, quas occaſione criminum, delictorum, & exceſſuum hujuſmodi incurriſtis vobis perſiſtentibus in devotione, obedientia, & fidelitate noſtra, & dictæ Eccleſiæ auctoritate Apoſtolica de ſpecialis dono gratiæ tenore præſentium benignè remittimus, & etiam relaxamus diſtrictius inhibentes univerſis, & ſingulis Officialibus noſtris, & dictæ Eccleſiæ Eccleſiaſticis, & Secularibus præſentibus, & futuris, ne occaſione criminum, exceſſuum, & delictorum prædictorum contrà nos, vel aliquos, ſeù aliquem veſtrum quoquo modo procedere, ſeù vos, vel aliquos, aut aliquem veſtrum ſuper præmiſſis, aliquatenùs vexare, ſeù moleſtare præſumant, ac decernentes irritum, & innane quidquid contrà inhibitionem noſtram hujuſmodi per quoſcumque quavis auctoritate contigerit attemptari. Volumus tamen, quod ſi vos ullo unquam tempore (quod abſit) à noſtra, & Eccleſiæ prædictæ obedientia, devotione, fidelitate receſſeritis, ſeù vos ſubtraxeritis hujuſmodi noſtra gratia, ut præſentes litteræ nullius exiſtant roboris, vel momenti. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ remiſſionis, relaxationis, inhibitionis, conſtitutionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. Romæ apud S. Petrum 12. Kal. Maii Pontif. Noſtri Anno ſeptimo.

Mor-

Mortuo Gregorio Papa XI.conſpirantibus in unum Patribus Purpuratis Urbanus Sextus Italus Pontifex (nam priùs per multos annos Galli omnes fuerant) renunciatus fuit, cujus electio diſplicuit Card.Gallis,quamobrem Fundos ſecedentes animi recreationis cauſa, ut finxerant,ibidem Clementem Septimũ Antipapam creaverunt : Hujus creationi, necnon ſucceſſori Benedicto XIII. pſeudo Pontifici adhæſit Civitas Terracina ſeducta à ſuo Cive potentiſſimo Ricchardo Roſa, cujus meminit Raynaldus tomo 17.dicens.At qui tamdiù Divinam miſericordiam ſpreverat Honoratus Gajetanus Comes Fundorum Apoſtolica benignitate non uſus labente menſe infelicitèr periit in ſchiſmate dolore adverſarum rerum, quamobrem damnatur illius memoria cum in Pontificiis litteris ad Ricchardum Roſam Terracinenſem ejus factione irretitũ datis,tùm in edicto propoſito lib.6. pag.16. Tanti autem criminis pęnitentia ducta præfata Civitas ſupplicitèr veniam petiit à Bonifacio Nono Pontifice Romano, & obtinuit, quin immò idem Pontifex præter delictorum commiſſorum abſolutionem favore ejuſdem plures ſaluberrimas ordinationes fecit, ut patet ex Bulla tenoris ſequentis.

BONIFACIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

ROmanus Pontifex in Terris Chriſti miſericordis Vicarius redeuntibus ad eum cum humilitate filiis poſt exceſſum libentèr ſe benignum exhibet, & etiam gratioſum, ac errantibus ſubditis, qui poſt eorum lapſus, & devium contritis, & humiliatis cordibus repetunt miſericordiæ ſuæ ſinum, non ſolùm clementiæ conſuevit januam aperire, ſed etiam de ſolita ſuæ benignitatis affluentia lapſis dexteram porrigens eos ab inviis trahere,& ad viam ſalutis reducere ſatagit ſolicitudine paternali.Cum itaque, ſicut accepimus, Dilecti filii, Univerſitas, & ſingulares perſonæ utriuſque ſexus tàm Clerici, quàm Laici, necnon habitatores, & incolæ Civitatis Terracinen. Provinciæ noſtræ Maritimæ, qui dudùm felicis recordationis Urbano Papæ VI.prædeceſ-

ceſſori noſtro, nobiſque, & Romanæ Eccleſiæ cunctorum Chriſtifidelium Matrici, & Dominæ rebelles fuerunt, & cum damnatæ memoriæ Honorato Gajetano olim Comite Fundorū, & nonnullis aliis iniquitatis alumnis ſuis in hac parte complicibus, ac ſeguacibus auſu temerario contra predeceſſorem, & Eccleſiam præfatos conſpirationes, & colligationes ordinare, & facere, ac una cum eiſdem multitudinem gentium armatarum conducere, receptare, & fovere, ac eandem Civitatem Terracinen. cum ejus pertinentiis occupare, & occupatam detinere, & illam occupantibus dare auxilium, conſilium, & favorem, ac etiam damnatæ memoriæ Roberto olim Baſilicæ duodecim Apoſtolorum Presbytero Cardinali, qui ſe Clementem VII. auſu ſacrilego nominabat, tunc Antipapæ credere, adhærere, & favere, necnon ſucceſſivè Petro de Luna etiam Antipapæ, qui dicto Roberto ſe in Apoſtolica Sede ſucceſſiſſe temere affirmat, & eiſdem Honorato, & ſeguacibus, necnon aliis de ſchiſmate damnatis, ſive per Eccleſiam denotatis etiam favere, & contrà præfatum prædeceſſorem, ac nos, & ſtatum Eccleſiæ prædictæ quamplurima mala dicere, facere, & ordinare, & quantum in eis fuit ſchiſma, & diviſionem in eadem Eccleſia ponere præſumpſerunt hactenùs crimen hæreſis, læſę Majeſtatis, ſchiſmatis, & Apoſtaſiæ propterea damnabilitèr incurrendo, necnon ſacrilegia, incendia, rapinas, ſpolia, homicidia, captiones, & redemptiones hominum, animalium, & bonorum, Fortalitiorum, Ædium, & domorum demolitiones, ac fructus, redditus, & proventus ad Romanam Eccleſiam, & Cameram Apoſtolicam pertinentes perceperint, licet de facto, & in uſus ſuos converterint, exercitus, cavalcatas, & offenſiones, & nonnulla alia varia, & diverſa, exceſſus, crimina, & delicta gravia, & enormia contrà præfatum prædeceſſorem, nos, & dictam Eccleſiam, Civitates, Terras, Caſtra, & loca, Prælatos, Officiales, Subditos, & fideles, ac gentes tàm præfati prædeceſſoris noſtri, quàm noſtras, & ejuſdem Eccleſiæ hactenùs commiſerunt, & perpetrarunt, propter quæ verentur ſe in poſterùm poſſe moleſtari. Cum autem ipſi, Populus, Commune, perſonę, Clerici, Laici, habitatores, & incolæ ducti ſanis conſiliis, & ad ſe reverſi, ac de præmiſſis dolentes ab intimis nuper ad noſtrum, & dictæ Eccleſiæ gremium, fidelitatem, & obedientiam humilitèr redierint, & quod in hujuſmodi obedientia, necnon devotio-

ne,

Digitized by Google

ne, fidelitate noſtri, & præfatæ Eccleſiæ, ac ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium firmitèr, & perpetuò perſiſtere, ac perſeverare deſiderent, atque velint, conſtantèr affirment; prò eorum parte nobis fuit humilitèr ſupplicatum, ut cum eis ſuper præmiſſis miſericorditèr, & benignè agere de Apoſtolica clementia dignaremur. Nos igitur, qui cunctos ad noſtram, & præfatæ Eccleſiæ fidelitatem, gratiam, & obedientiam redire volentes paterna ſemper pietate complectimur; volentes eoſdem, populum, Commune, & perſonas, Clericos, & Laicos, habitatores, & incolas, etiam Judęos habitantes ibidem proſequi ſpecialibus gratia, & favore, ac ſperantes, quod ex hoc in noſtra, & dictæ Sedis obedientia, fidelitate, & devotione hujuſmodi perſiſtent viriliùs, ac fortiùs in futurum, ac hujuſmodi ſupplicationibus inclinati omnia, & ſingula hujuſmodi adhæſionem fautoriam hęreſis, ſchiſmatis, lęſę Majeſtatis, exceſſus, & crimina, & maleficia quęcumque per ipſos, & eorum quemlibet in Provinciis noſtris Campanię, & Maritimę, aut quibuſvis aliis locis contrà nos, ac Prædeceſſorem, & Eccleſiam, Officiales, gentes, ſubditos, & fideles huiuſmodi tàm Clericos, quàm Laicos cujuſcumque ſtatus, gradus, ſeù conditionis fuerint, aut alios quoſcumque uſque in prę ſentem diem quandocumque, qualiacumque, & qualitercumque perpetrata, ſeù commiſſa dicto, facto, vel aſſenſu, quę omnia hic haberi volumus pro expreſſis, & ſufficientèr declaratis, in quantum tamen concernunt, aut concernere quomodolibet poſſunt publicum intereſſe, ſeù Cameram Apoſtolicam ex certa ſcientia; ac de Apoſtolicę Poteſtatis plenitudine eiſdem; Populo, Communi, Univerſitati, perſonis, Clericis, Laicis, habitatoribus, & incolis Apoſtolica auctoritate tenore prę ſentium de ſpeciali gratia abſolutè, ſive in totum remittimus, ipſoſque Clericos, Laicos, perſonas, incolas, & habitatores, ac eorum quemlibet ab omnibus, & ſingulis excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdicti ſententiis in ipſos, & eorum quemlibet ab homine, vel à jure propter prę miſſa, ſeù eorum aliqua quomodolibet latis, & promulgatis, necnon hujuſmodi exceſſibus, criminibus, delictis, & aliis quibuſcumque maleficiis per eos contrà prędeceſſorem, Eccleſiam, Officiales, fideles, & ſubditos noſtros hujuſmodi, & nos quomodocumque uſque in prę ſentem diem dicto, facto, vel aſſenſu, ut prę fertur, quomodo-

dolibet perpetratis, etiamſi ſuper illis ſit, vel non ſit cognitum abſolvimus, & penitùs liberamus, ac fructus, redditus, & proventus ut ſupra perceptos, eis remittimus,& donamus,ipſoſque, Commune, populum, Univerſitatem,perſonas, Clericos, Laicos, habitatores, & incolas utriuſque ſexus, necnon hęredes, & ſucceſſores Civium tantùm Civitatis ejuſdem, qui alias de Jure ad ſucceſſionem bonorum decedentium Civium hujuſmodi ex teſtamento, vel ab inteſtato vocandi fuiſſent ad quęcumque honores, dignitates, famam, officia, gratias, privilegia, immunitates, exemptiones, bona jura, juriſdictiones, & officia ubicumque conſiſtentia, & exiſtentia in quantum concernunt publicum intereſſe, ac Cameram Apoſtolicam, & ad actus quoſcumque legitimos,& in integrum, & in ſtatum priſtinum, in quo erant ante hujuſmodi commiſſa crimina, exceſſus, maleficia,reſtituimus,atque reponimus, & habilitamus, & ad eundem ſtatum reducimus, in quo dinoſcebantur ęxiſtere, antequam proceſſus, banna, condemnationes, ſententias, atque pœnas hujuſmodi quomodolibet incurrerent diſtrictius inhibentes quibuſcumque Rectoribus, Vicarijs, & Officialibus prò nobis, aut ſucceſſoribus, & Romana Eccleſia præfatis in eiſdem Provinciis, Civitatibus, Terris, & locis præfatæ Eccleſiæ quovis fungentibus. Officio, ne contrà ipſos, populum, Commune, Univerſitatem, perſonas, Clericos, Laicos, habitatores, aut eorum aliquem occaſione, ſeù cauſa Hæreſis, Schiſmatis, Apoſtaſiæ, aut criminis læſæ Majeſtatis, ſeù aliorum quorumcumque criminum, exceſſuum, reatuum, culparum, maleficiorum, & delictorum hujuſmodi, aut dependentium, connexorum, & emergentium à prædictis, vel eorum aliquo in quantum publicum intereſſe, & Cameram hujuſmodi concernunt, aut concernere poſſint; ut pręfertur, procedere, inquirere, cognoſcere civiliter, aut criminaliter, ſeù mixtim, ordinariè, ſeù extraordinariè cum promotore, vel ſine, aut ex officio, vel alitèr eos, vel eorum aliquem moleſtare, aut banna, mulctas,condemnationes, aut pœnas aliqua propterea vel ob id exigere, vel petere, ſeù exigi, aut peti facere quoquo modo pręſumant per ſe, vel alios directè,vel indirectè,vel quovis colore quęſito ab ipſis, ſeù aliquo eorundem, necnon irritos, & inanes decernentes quoſcumque proceſſus, quos circa noſtram inhibitionem huiuſmodi per quoſcumque, & quavis auctoritate fieri contigerit,vel

quo-

quomodolibet promulgari, ac tollentes etiam quoſcumque proceſſus, banna, ſententias, reprehenſalias, & alia mandata pœnalia quæcumque præmiſſorum occaſione, vel alias etiam tàm in Alma Urbe forſan, quàm alibi quacumque auctoritate, & etiam ubicumque tàm per ipſum prædeceſſorem, & nos, quàm per quoſcumque Sedis præfatæ Legatos, Vicarios, Rectores, & Officiales tàm ejuſdem prædeceſſoris, quàm noſtros, aut præfatæ Eccleſiæ, aut præfatæ Urbis, vel alios quoſcumque prædictorum, vel alicujus eorum occaſione, vel cauſa, ſeù ab eis dependentium, emergentium, vel ipſis quomodolibet connexorum contrà ipſos, populum, commune, perſonas, Clericos, Laicos, habitatores, & incolas, vel eorum aliquem facta, emiſſa, ſeù quomodolibet promulgata, ſive lata, ac etiam quæcumque interdicta, quibus pręfata Civitas Terracinen. Terræ, Caſtra, & loca hujuſmodi dependentia ab eadem tàm per hujuſmodi proceſſus, & ſententias dicti prædeceſſoris, quàm noſtras, & aliorum quorumcumque, & tàm à jure, quàm ab homine promulgatas, ſuppoſita fuerunt, auctoritate præfata relaxantes, necnon etiam omnes, & ſingulos contractus, & teſtamenta, & ultimas voluntates, quomodolibet per ipſos facta, & inita, necnon proceſſus, & ſententias, factos, & latas in Curia Sęculari dictæ Civitatis inter eoſdem Cives, & incolas ibidem præſentes, dummodò aliàs legitimè facta, & lata etiam quorumcumque tenorum ſint ex certa ſcientia auctoritate præfata pręſentibus approbamus, & cõfirmamus expreſsè volentes nihilominùs, & auctoritate prædicta mandantes omnibus, & ſingulis hujuſmodi Officialibus noſtris, & præfatæ Eccleſiæ, qui litteras, ſeù codices, aut regiſtra, in quibus proceſſus, banna, condemnationes, & ſententiæ hujuſmodi forſan ſunt deſcripta, vel aliter adnotata tenent, quatenus illa de libris codicibus, ſeù regiſtris hujuſmodi ad cujuſcumque petentis inſtantiam deleant, caſſent, & cancellent, ſeù deleri, caſſari, & cancellari faciant cum effectu, quos quidem proceſſus, banna, condemnationes, ſententias, & pænas, ac mulctas, & contenta in ipſis ex nunc etiam auctoritate præfata ad cauthelam caſſamus, irritamus, & annullamus, ac prò caſſis, irritis, & nullis, ac perindè haberi volumus, & decernimus, ac ſi facti, ſeù lati, & hujuſmodi exceſſus, maleficia, & crimina commiſſa non forent, præ memoria Joannis XXII. prędeceſſoris noſtri, qua cavetur, quod nullus de rebellionis fauto-

N riæ,

riæ, & leſę Majeſtatis criminibus abſolvi poſſit, niſi ipſis de ipſis in litteris Apoſtolicis fiat mentio ſpecialis, & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus dictarum Provinciarum in contrarium loquentibus non obſtantibus quibuſcumque. Volumus autem, quod ſi ullo unquam tempore, quod abſit, prædicti, populus, Commune, Univerſitas, perſonæ, Clerici, Laici, habitatores, & Incolæ ab obedientia, fidelitate, & devotione noſtri, Eccleſiæ, aut ſucceſſorum præfatorum ſe ſubtraxerint, aut nobis, & eidem Eccleſiæ rebelles fuerint, hujuſmodi gratia, & præſentes litteræ quoad eos, qui culpabiles in præmiſſis fuerint, nullius ſint roboris, vel momenti, & quod tales ſic culpabiles in eaſdem ſententias, atque pęnas ſpirituales, & temporales reincidant ipſo facto, quodque omnibus contractibus, Inſtrumentis, & actis publicis in eiſdem Civitate Terracinen., & Caſtris, Terris, & locis dependentibus ab eadem durante ſchiſmate hujuſmodi morã traxerunt, aut trahunt factis, etiam ſi prędicti Notarii, & Tabelliones per Schiſmaticos creati fuerint, & eis adhæſerint publicè, vel occultè, perindè ſtetur, ac ſi dicti Notarii, & Tabelliones legitimè, & à perſonis ad id poteſtatem habentibus creati, & aliàs habiles, & idonei ad faciendum, ſive conficiendum contractus, Inſtrumenta, & acta hujuſmodi extitiſſent ità tamen, quod illi ex Notariis, & Tabellionibus ipſis, qui durante ſchiſmate prædicto in eiſdem Civitate Terracinen., Caſtris, Terris, & locis, ſive per aliquos ad id legitimam poteſtatem non habentes forſan creati fuerint, infrà duos menſes poſtquam horum notitiam habuerint, & de novo creari facere procurent in Notarios ſive Tabelliones per eos, qui ad hoc poteſtatem de conſuetudine, vel de jure dinoſcuntur habere, ac in contractibus, Inſtrumentis, & actis hujuſmodi, quæ in publicam formam etiam de præteritis temporibus eas redigere contigerit Pontificatum noſtrum, ſicut moris eſt, de cætero ſcribere ſint aſtricti, alioquin eorum hujuſmodi contractibus, Inſtrumentis, & actis, quæ deinceps fient per eoſdem nullam mandato, vel extrà judicium prorſus volumus dari fidem, quodque iidem Clerici, Cives, perſonæ, habitatores, & incolæ quæcumque ipſis, & quibuſcumque perſonis debita ratione contractuum initorum, quorumcumque etiam durãte hujuſmodi ſchiſmate, & eo tempore, quo prædictis pęnis, & proceſſibus, aut aliquibus eorum ir-

retiti

retiti fuerint perindè petere, & exigere, ac vendicare poſſint, & debeant liberè, ac licitè, ac ſi ſchiſmate reſperſi, ac proceſſibus, ſive pænis hujuſmodi tempore initorum contractuum prædictorũ, aut aliàs ligati non fuiſſent. Prætereà illos ex Clericis prædictis, ſive perſonis Eccleſiaſticis, Sæcularibus, & Regularibus Civitatis, necnon Caſtrorum, Terrarum, & locorum dependentium eorundem in Sacerdotio, vel aliis Sacris Ordinibus conſtitutis, qui prædictis ſententiis, cenſuris, & pęnis ligati, vel interdicti, ſeù aliàs excommunicati ab homine, vel à jure ſcientèr Divina, non tamen in contemptum Clavium celebrarunt, imò veriùs profanarunt, etiam abſolvimus, & ſuper irregularitatibus, quas propterea, aut alias præmiſſorum occaſione quomodolibet contraxerunt etiam cum illis ex eiſdem Clericis, & perſonis Eccleſiaſticis, qui minores, vel ſacros ordines à ſchiſmaticis hujuſmodi receperunt, quod in eiſdem ſuſceptis ordinibus miniſtrare, & etiam ad omnes alios ordines aſcendere liberè, & licitè valeant auctoritate præſentium diſpenſamus, necnon eiſdem Clericis, & Eccleſiaſticis perſonis omnia beneficia Eccleſiaſtica, Sęcularia, & Regularia etiamſi Canonicatus, & Præbendæ, aut Dignitates, perſonatus, vel officia cum cura, vel ſine cura in Metropolitan., Cathedralibus, vel Collegiatis Eccleſiis, & Dignitates ipſæ in eiſdem Metropolitan., vel Cathedralibus majores poſt Pontificales, ſive in Collegiatis Eccleſiis principales, aut Prioratus Conventuales, & cujuſcumque annui valoris ſecundum communem exiſtimationem exiſtant; & ad ea, qui conſueverint per electionem aſſumi, quæ Clerici, & perſonæ hujuſmodi antequam crimine ſchiſmatis, & pænis prædictorum proceſſuum irretiti eſſent, canonicè adepti, & etiam, quæ tunc vacantia ipſis tunc ſchiſmate, ac cenſuris, & pænis prædictis laqueatis, etiam per ſchiſmaticos qualitercumque, licet de facto collata fuerunt, ſive etiam per adhæſionem hujuſmodi, aut aliis quibuslibet modis, ſive ex quorumcumque perſonis vacent, etiam ſi tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio juxtà Lateranen. Statuta Concilii ad Sedem prædictam legitimè devoluta, vel ipſa beneficia diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialitèr, vel generalitèr reſervata fuerint, dummodò tempore datum præſentium non ſit in illis aliquibus aliis ſpecialitèr jus quæſitum cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eadem auctoritate

Digitized by Google

de novo conferimus,& de illis etiam providemus, necnon omnes fructus, redditus,& proventus per eos exindè indebitè perceptos in quantum etiam nos, & dictam Cameram concernunt ipſis liberalitèr remittimus, & donamus decernentes dictos Clericos, & Eccleſiaſticas perſonas in dictis beneficiis, quę priùs adepti, & quæ talitèr eis collata etiam de facto fuerunt, ut præfertur, & in quibus tempore dat. præſentium non fuit aliis ſpecilitèr jus quæſitum, ut pręfertur, liberè, & licitè remanere debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper iis à quoquam quavis auctoritate ſcientèr, vel ignorantèr contigerit attemptari. Volentes, & eadem auctoritate decernentes, quod præfata Civitas Terracin. ſit, & eſſe debeat perpetuò, ac immediatè ſubjecta prę'atæ Romanę Eccleſię, quodque ullo unquam tempore per nos, aut Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros cononicè intrantes, vel alios quoſcumque Apoſtolica, vel alia quavis auctoritate non poſſint, nec valeant alicui Domino Spirituali, vel Temporali, Univerſitati, vel ſingulari perſonę cujuſcumque ſtatus, gradus, ſeù conditionis fuerit, donari, concedi, vel committi etiam in Vicariatum, vel alitèr, ſed dumtaxat per dictam Romanam Eccleſiam, aut Rectorem Provinciarum noſtrarum Campanię, & Maritimę regi debeat, & gurbernari, & non alias ullo modo, quodque omnia privilegia, immunitates, & conſuetudines antiquatę, quę hic alias haberi volumus pro ſufficientèr expreſſis de Territoriis, glandaticis, paſcivis, herbaticis, fluminibus, mari, & omnibus aliis Communi, & ſingularibus perſonis dictæ Civitatis ſerventur juxtà morem, & conſuetudinem antiquis temporibus obſervatis, & ſervari debeant perpetuò illęſa, ac ea omnia, dum tamen alias non ſint contrà nos, Romanam Eccleſiam, ac libertatem Eccleſiaſticam ex certa ſcientia tenore præſentium confirmantes, & quod de cętero omnibus, & ſingulis privilegiis, ac immunitatibus, quibus utuntur, & gaudent cęterę alię Civitates, & Communitates Provinciarum Campanię, & Maritimę prędictarum, dicta Civitas Terracinen. , ac ejus Communitas uti, & gaudere poſſit,& valeat in futurum, & quod omnes,& ſinguli advenę habitatores dictę Civitatis Terracinen. gaudeant, & gaudere poſſint omnibus privilegiis, quibus gaudent Cives dictę Civitatis, Judęis quoque in dicta Civitate morantibus ſerventur, & ſervari debeant illa privilegia, quę dilectus filius

lius noſter Ludovicus S. Adriani Diaconus S.R.E. Cardinalis, ac in dictis Provinciis Campanię, & Romanæ Maritimę prò nobis, & eadem Eccleſia in Spiritualibus, & Temporalibus Vicarius Generalis conceſſiſſe dicitur Ebræis in noſtra Anagninen. Civitate commorantibus. Volentes nihilominùs, & concedentes, quod ipſi Judęi habitatores Terracinen. prędictę ad ſolutionem aliquorum onerum realium, ſeù perſonalium prò tempore prętęrito uſque in pręſentem diem Romanę Eccleſię, aut Camerę Apoſtolicę quomodolibet debitorum nullatenùs teneantur, ſeù cogi debeant ullo modo, quodque Rova, ſeù Arx in dicta Civitate, & contrata Trabeſię dudum tyrannicè ędificata per dictum quondam Honoratum debelletur, & expugnari debeat expenſis communibus noſtris, & Romanę Eccleſię, ac dictorum Communis, & Univerſitatis Terracinen., & ea debellata, & recuperata, de ea fiat illud, quod magis erit expediens prò ſtatu pacifico, & tranquillo dictæ Civitatis. Turres verò Molendinorum, ac Piſchi montani, ipſorumque paſſuum fortalitia in Terracinen. Territorio ſituata cuſtodiantur, & remaneant in illo ſtatu, in quo erant tempore felicis recordationis Gregorii Papæ XI. prædeceſſoris noſtri videlicet ante tempus regiminis bonæ memoriæ Nobilis Viri Marſilii de Carraria Rectoris prò Romana Eccleſia in Provinciis Campaniæ, & Maritimæ prædictarum. Dogana quoque, ſeù Gabella ſalis antiquis ordinata temporibus per Commune dictæ Civitatis in Civitate, ac Territorio prædictis ſtet, & permaneat in illo ſtatu, ac illis terminis, in quibus erat ante tempus felicis recordationis Urbani Papæ VI. prædeceſſoris noſtri, & ſimili modo contrata, quę vulgaritèr nominatur [Lo ſalto] ſita juxta littus maris, ac flumicellum de Canneto, ac fluvium Sanctæ Anaſtaſiæ, ac juxtà locum, & alios fines ſuos, necnon fux, ſive paſſus, ſive pedagium, ac jus percipiendi ipſum pedagium, quod dicitur Ligula, ac Sylva Sancti Donati ſita in Maritima Terracinen. cum Turri, & aliis Territoriis ipſius Sylvæ juxtà paſſum Portellæ, ac juxtà Sbarrum de Barchis juxtà montes, ac fines alios. Piſcaria Paulæ juxtà lacum de Surreſca, & littus maris, ac Montem Circeum ſita, quæ omnia in dicto Territorio Terracinen. dicuntur exiſtere ſituata, & ad Commune ipſum pertinere per ipſum Honoratum occupata revertantur, remaneant, & ſtent in illo ſtatu, ac illis terminis,

in

in quibus erant tempore Urbani V., & Gregorii XI. Romanorum Pontificum prædictorum, & jura, quæ dictum Commune in dictis temporibus dinoſcebatur habere, ſerventur, & ſervari debeant futuris temporibus illæſa penitùs, & illibata. Volentes, & concedentes quod Cives, habitatores Terracinen. prædicti vi, violentèr, aut tyrannicè conceſſa aliqua bona ſtabilia aliquorum in Civitate, aut Comitatu prædictis quomodolibet hactenùs detinuiſſent, ſeù detinerent ad præſens, ea teneantur, & debeant liberè relaxare, & reſtituere illis, ad quos ea de jure pertinerent, ſeù ſpectarent. Bona verò mobilia, quæ reperiuntur penès aliquos occupata, vel ut ſuperiùs conceſſa, modo ſimili reſtitui debeant, & detentores ad illorum inſtantiam, ad quos ea pertinerent ad reddendum, & reſtituendum cogi, & compelli valeant omni caſu. Statuta quoque, ordinamenta, & reformationes dictæ Civitatis tàm edita, quàm edenda dummodo non ſint contrà ſtatum, honoremque noſtrum, & præfatæ Eccleſiæ, ſeù contrà Eccleſiaſticam libertatem, ſervari decernimus, ea omnia tenore præſentium confirmantes. Nulli ergò hominum liceat hanc paginam noſtræ remiſſionis, abſolutionis, liberationis, reſtitutionis, repoſitionis, habilitationis, reductionis, inhibitionis, relaxationis, approbationis, confirmationis, mandati, caſſationis, irritationis, annullationis, diſpenſationis, collationis, proviſionis, donationis, conceſſionis, conſtitutionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S.Petrum 2.Idus Junii Pontif.Noſtri Anno undecimo.

Servatur hæc Bulla, ſicut aliæ, in Archivio Terracinen.

CAP. XI.

Manſit itaquè Civitas Terracina poſt Bonifacium Nonū in obedientia Sedis Apoſtolicæ, verùm Innocentius Septimus immediatus prænominati Pontificis ſucceſſor eam tradidit unà cum aliis locis ejuſdem Provinciæ, tradidit inquam, in gubernium Ladislao Siciliæ Regi, uti ejus Epiſtola Terracinen. directa teſtatur, quæ talis eſt.

La-

Ladiſlaus Dei gratia Hungariæ, Jeruſalem, & Siciliæ Rex, ac Pedemontis Comes.

Nobilibus Viris Communi, Conſilio, Univerſitati, & hominibus Civitatis Terracen. devotis noſtris dilectis ſalutem, & gratiam, & bonam voluntatem.

PRoùt Univerſitas veſtra novit Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus Noſter Innocentius Divina providentia Papa Septimus ex certis cauſis juſtis, & rationabilibus moventibus mentem ſuam ſtatuit, & conceſſit, quod certo præſenti, & futuro tempore Provinciæ Maritimæ, & Campaniæ Romanæ Eccleſiæ ſubjectæ, earumque Civitates, Terræ, Caſtra, & loca per Rectores, poteſtates, & Officiales alios per nos eligendos, & nominandos regantur, ac etiam gubernentur, & de juribus, & redditibus, & proventibus dictarum Provinciarum, Terrarum, & locorum per ipſos Rectores, & Officiales ipſos, & ipſa recolligentes diſponantur prò noſtro libito voluntatis, quod cum ſatisfiat Caſtellanis Fortellitiorum de certa taxa impoſita exolvenda quidem per homines Provinciarum ipſarum, proùt hæc, & alia in Apoſtolicis litteris exin confectis pleniùs continetur, & hoc ut percepimus jura redditum, & proventuum Dohanæ dictæ Civitatis Terracen.; ac nonnulla alia jura, juriſdictiones, & ſpecialitèr proventus gabellæ in ſylvis, montibus, paſcuis, & rebus aliis ad vos pertinuerint antiquitùs, & ſpectare noſcuntur, vos tamen ipſos fructus, redditus, & proventus dictæ dohanæ nobis donaſtis, & liberalitèr conceſſiſtis. Ideò nos volentes verſa vice gratitudinem reddere, & talentum . . . . in veſtris juribus, & juriſdictionibus dicto tempore conſervare volumus, & decernimus tenore præſentium de ſcientia certa noſtra, quod proventus ipſos, prædictaſque gabellas, aliaque Communalia jura, & juriſdictiones quaſcumque, res alias, & bona ſolita, ſicut conſueſtis hactenùs percipere, & percipi facere per vos, & alios liberè valeatis, ac à præſtatione, & exhibitione dictæ taxæ ſolutionis Fortellitiorum pro Caſtro dictæ Civitatis Terracen., ac Fortellitiis peſcoli montani, & turrium molarum pertin. dictæ Civitati præfato durante tempore ſitis fran-

franchi, immunes, liberi pariter, & exempti, nec ad hujuſmodi taxæ ſolutionem poſſitis quoquo modo compelli. Quocircà Comiti, ſeù Rectori dictarum Provinciarum, necnon poteſtati præfatæ Civitatis Terracen., & aliis Officialibus, ad quos ſupraſcripta, & infraſcripta ſpectant, & ſpectabunt, & futuris ipſarum tenore diſtricto præcipimus, & mandamus quatenus eoſdem Univerſitatem, & homines dictæ Civitatis Terracen. in perceptione, & . . . . . . dictorum proventuum, ac gabellarum, aliorumque jurium in ſylvis, montibus, paſcuis, ac rebus aliis, ac juribus communalibus, & juriſdictionibus quibuſcumque hactenùs ſolitis, & conſuetis nullatenùs impediant, vel moleſtent, necnon, & ad prꝑſtationem, & ſolutionem dictæ taxæ ſolutionis fortellitiorum prò Caſtro dictæ Civitatis Terracen., ac fortellitiis peſculi montani, & turrium molarum pertin. dictæ Civitatis præfato durante tempore nullo modo compellant; Quinimo eoſdem, Univerſitatem, & homines in eorum juribus, franchitiis, immunitatibus, & exemptionibus protegant, manuteneant, & conſervent, cauti de contrario, ſi noſtram gratiam caram habent, & indignationem deſiderant evitare. Præſentes autem litteras magno pendenti Majeſtatis noſtræ ſigillo munitas vobis in præmiſſorum teſtimonium duximus dirigendas. Quas poſt oportunam inſpectionem prò cautela reſtitui volumus præſentanti. Dat. Neapoli in abſentia Logothetæ, & Prothonotarii Regni noſtri Siciliæ, & ejus Locumtenentis per Virum nobilem Nicolaum Mozapede de Aquila legum doctorem magnę noſtræ Curiæ majorem rationalem, Locumtentem, Cancellarii dicti Conſiliarium, & fidelem noſtrum dilectum. Anno Domini 1405. die 7. menſis Martii 13. Indict. Regnorum noſtrorum Anno decimo nono. Hujus privilegii, ſeù Epiſtolæ privilegialis extat in Archivio Civitatis prælibatæ exemplar, quod tranſcripſit Jacobus Belliocli Notarius Terracinen. Duravit autem tale gurbernium Regium Civitatis ejuſdem à Ladiſlao uſque ad Reginam Joannam hujus nominis Secundam, eidemque immediatè in Regno Siciliæ ſuccedentem, ſub qua quia tumultuare cæperant Terracinenſes, & gubernationem Eccleſiæ appetere, prudentiſſima Regnatrix ſpontè à ſe Terracinam removere ſatagit, atque nititur, propterea has litteras Jordano de Columna Pontificis Germano direxit.

Illu-

Illuſtri,& Excellenti Domino Jordano de Columna Militi, Duci Venuſii, Papæ Germano, & etiam amico, Conſiliario, & fideli noſtro cariſſimo.

JOANNA SECUNDA

Regina Hungariæ Jeruſalem, Siciliæ &c.

Illuſtris, & Excellens Domine, & Amice Cariſſime.

Licet Conſilium, & commune Civitatis Terracen. devoti noſtri dilecti propter eorum ſinceram devotionem, quā olim ergà claræ memoriæ Sereniſſimum Principem,& Dominum Regem Ladislaum fratrem noſtrum reverendum, & ſubſequentèr versùs Majeſtatem noſtram geſſerunt, & habuerunt, hucuſque permanſerint; Noſque dictam Civitatem ad honorem Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ gubernaverimus: Tamen quia Civitas ipſa ad dictam Sanctam Romanam Eccleſiam, & Dominum noſtrum Papam debet de jure redire, deliberavimus præfatam Civitatem Terracinen., & ejus gubernationem vobis nomine, & prò parte præfatæ Eccleſiæ, & dicti Domini noſtri Papæ reſtituere, & etiam conſignare; & maximè cum homines dictæ Civitatis gubernationem veſtram toto corde deſiderent. Propterea vos ortamur, & rogamus attentè, quatenùs dictam Civitatem ſub gubernatione, & regimine, nomine, & prò parte Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ,& dicti Domini noſtri Papæ recipere placeat, & velitis. Vos attentè rogantes, quod Commune, & homines dictæ Civitatis ſuſcipere placeat commendatos, & gratioſè tractare in noſtram complacentiam ſingularem. Nos exin offerentes ad quælibet grata vobis. Dat. in Caſtro novo Neapolis ſub annulo noſtro ſecreto die 19. menſis Octobris 12. Indict.

Eodem die præfata Regina ſcripſit ſuper eadem re Terracinen. ita reſpondens litteris ipſorum.

Nobilibus Viris Conſilio,Communi,Univerſitati, & hominibus Civitatis Terracenę devotis noſtris dilectis.

JOANNA SECUNDA

Regina Hungariæ, Jeruſalem, Siciliæ &c.

Viri Nobiles,& devoti amici cariſſimi.

Recepimus litteras veſtras, quibus intellectis breviter reſpondemus, quod nos attenta ſincera devotione, & amore, quem erga Majeſtatem noſtram conſtanter geſſiſtis, & geritis de præſenti veſtros, & commoda totis deſideriis affectamus, propterea cupientes veſtris votis innuere, contentamur quod ad dominium, & gubernationem Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Domini noſtri Papæ, ut eſt debitum reducamini. Et ex hoc Illuſtri, & Excellenti Domino Jordano de Columna militi, Duci Venuſii, dictique noſtri Papæ Germano, & etiam amico noſtro cariſſimo ſcribimus, quod vos, & ipſam Civitatem nomine, & prò parte dictæ Romanæ Eccleſiæ, & præfati Domini Papæ ſub ſua gubernatione recipere placeat, & vos tanquam deuotos noſtros cariſſimos ſuſcipiat commendatos, & benignè pertractet in noſtra complacentia ſingulari. Quas litteras vobis per Petrum Piſcem Ambaxatorem veſtrum vobis una cum præſentibus deſtinamus, non obmittentes vobis de præfata ſincera affectione, quam erga Majeſtatem noſtram geſſiſtis, reddere amplas grates. Noſque vobis offerimus in omnibus, & ſingulis concernentibus commoditatem, & ſtatum Civitatis ipſius. Dat. in Caſtro noſtro novo Neapolis ſub annulo noſtro ſecreto die 19. menſis Octobris 12.Indict.

Erat Jordanus Columna,ut colligitur præfatis litteris;Germanus Martini Papæ Quinti, ſub quo Cives Terracinenſes cum Caſtellani,& nonnullorum Civium conſpirationem proditoriam ſubodorati eſſent, Roccam demoliti ſunt, Cives verò proditores magna ex parte internecioni dederunt; quapropter demùm pœnitentia ducti prò tanto facinore, atque aliis delictis remiſſionem, & veniam ab eodem Pontifice expoſtulant, & obtinent; hujus enim tenoris Bullam prò eiſdem edidit Martinus Quintus.

MAR-

MARTINUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis Populo, & Communi, necnon ſingularibus perſonis Civitatis noſtræ Terracinen., ejuſque Comitatus, Territorii, & Diſtrictus Provinciæ noſtræ Maritimæ. Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

SEdes Apoſtolica pia mater recurrentibus ad eam cum humilitate filiis poſt exceſſus libentèr ſe propitiam exhibet, & benignam, ac lapſis dexteram porrigens eos ab imo retrahere ſatagit dulcedine maternali. Sanè petitio prò parte veſtrum nobis nuper exhibita continebat, quod cum in ipſa Civitate noſtra Terracinen. Roccha, ſive fortelitium fuerit tyrannicè dudum erectum, ac in ipſis hactenùs quidam infidelis, & improbus Caſtellanus exiſteret, vos dinoſcentes ipſum Caſtellanum fortilitium, & Roccham infidelitèr, & proditoriè alteri traditurum contra ſtatum, & honorem præfatæ Eccleſiæ, ac veſtrum de mandato cariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Joannæ Reginæ Siciliæ Illuſtris Civitatem ipſam tunc prò nobis, & eadem Eccleſia gubernantis ſumptis armis virilitèr debellando arcem, ſeù fortilitium ipſum expugnaſtis fortitèr, & potentèr, idque dediſtis, & dari feciſtis demoliendo præcipitem in ruinam ſolò prò viribus adæquantes, ut fortilitium ipſum, ſeù Roccha vobis, & veſtræ quietitudini, ac fidelitati erga prædictam Eccleſiam de ceterò non poſſet obſtaculo exiſtere, & liberius ad gremium, & gratiam ipſius Eccleſiæ devenire poſſetis; & ſub ipſo, ut cupitis, perpetuò conſervari ſubjungentes etiam, quod cum humani generis hoſtis cauſante verſutia nonnulli Cives dictæ Civitatis, licet eorum demeritis exigentibus Cives nominari non debeant conſpiratione peſtifera per eos facta cum nonnullis Dominis illarum partium de ſubvertendo ſtatum liberum, pacificum, & tranquillum ejuſdem Civitatis, & contrà honorem, & fidelitatem ipſius Eccleſiæ, ut Civitas ipſa jugo lacrymabili, atque tyrànnico cuidam Domino ſubderetur, proditoriè tractaverint; Cives tamen, ut Altiſſimo placuit, fideles ejuſdem Civitatis ad ſtatum, & ho-

norem præfatæ Eccleſię, atque noſtros filialitèr, atquè fidelitèr reſpectantes contrà prefatos conſpirantes Cives in everſionem ſtatus,& pacis hujuſmodi malignantes arma virilitèr aſſumentes, proùt tantum facinus exigebat, votis concordibus, & animis irruerunt, & multos ex ipſis in ore gladii perimerunt, & debaccante furore victor populus ad domos, & bona dictorum malignantium Civium tàm occiſorum, quàm eorum, qui fugam arripuerant progredientes, res, & bona eorum diripuerunt, & abſtulerunt, inter ipſos victores, proùt cuique major dabatur habilitatis occaſio res, & bona hujuſmodi ſic rapta auferentes, & diſtrahentes prò libito aſportarunt, necnon quod in Civitate, Comitatu, Territorio, & Diſtrictu predictis ſic temporum cauſante malitia hactenùs, & uſque in preſentem diem diverſis temporibus, atque locis per Cives terrigenas, ac diſtrictuales hujuſmodi,necnon habitatores, & incolas tàm intèr, & contrà ſe, ut aſſolet, nonnulli exceſſus, crimina, & delicta tàm ante novitatem hujuſmodi, quàm poſtea fuere commiſſa, & damnabilitèr perpetrata: Et quoniam, ſicut eadem petitio ſubjungebat, vos ad cor reverſi de premiſſis ab intimis dolueritis, & permaximè doleatis, & quod tàm peſtifere cauſe contigerint, que criminibus maximè talibus novitatibus demolitionis Arcis, ac fortilitii, homicidiorum,& rapinarum,& aliorum perpetratorum præbuerint. Et ſub fidelitate, devotione, obedientia, & gremio noſtris, & Apoſtolicæ Sedis, ac præfatæ Eccleſiæ manere, & conſiſtere filialitèr,& perpetuò intendatis, ſed dubitetis vos poſſe communitèr, & diviſim præmiſſorum occaſione, ac in poſterùm dependentium moleſtari tàm civilitèr, quàm criminalitèr puniri. Quare prò parte veſtra nobis fuit humilitèr ſupplicatum ut de abſolutionis, & liberationis remedio vobis, & veſtrum cuilibet tàm Clericis,quàm Laicis, necnon ſtatui veſtro aliàs conſulere de benignitate Apoſtolica miſericorditèr dignaremur. Nos igitur illius vices gerentes in terris, qui cunctos quærit ſalvos facere, & neminem vult perire, ac ſperantes, quod in noſtra, & ipſius Sedis fidelitate, devotione, & obedientia fidelitèr, & incommutabilitèr perpetuò perſiſtetis, & alia curabitis impoſterùm non patrari, ac hujuſmodi veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati habentes ſtatus, & formas omnium, & ſingulorum criminum, delictorum, & exceſſuum, necnon temporum, locorum, ac perſonarum prædicto-

rum,

rum, per eorundem nomina, qualitates, quantitates, & ſpecies hic aliàs prò ſufficientèr expreſſi, & declaratis Vos populum, & Commune, necnon Univerſitatem Cives Comitatenſes, diſtrictuales, habitatores, & incolas tàm Clericos, quàm Laicos; mares, ac fœminas cujuſcumque ſtatus, gradus, habitus, dignitatis, ſeù conditionis exiſtant, Eccleſiaſtici, vel mundani ab omnibus, & ſingulis maleficiis, culpis, exceſſibus, & delictis ſupradictis cujuſcumque qualitatis, aut quantitatis extiterint, & aliis quibuſvis cujuslibet generis, ſpeciei, ſeù qualitatis etiamſi hæreſis, aut læſæ Majeſtatis crimina ſaperent hactenùs, & uſque in præſentem diem quibuſcumque temporibus, locis, modis, & formis etiam contrà noſtros, ac ejuſdem Eccleſiæ ſubditos, devotos, officiales, vel gentes equitando rapinas, furta, robarias, incendia, ſacrilegia, inceſtus, adulteria, demolitiones, homicidia, & alia quæcumque committendo dicto, facto, vel aſſenſu, conſilio, vel favore, aut alias quomodocumque, aut qualitèrcumque in genere, vel in ſpecie factis, commiſſis, & perpetratis, aut quæ commiſſa dicerentur, aut dici poſſent, & etiam à quibuſvis proceſſibus, bannis, cenſuris, excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdicti ſententiis ſpiritualibus, & temporalibus, mulctis, & pænis à jure, vel ab homine factis, datis, & latis, inflictis, & promulgatis, quos, & quas quomodolibet communitèr, vel diviſim præmiſſorum, vel alicujus eorum occaſione, vel cauſa, aut dependentium ab ejſdem incurriſtis, & incurrere poſſetis etiamſi ſuper ipſis, aut ipſorum aliquo civilitèr, vel criminalitèr, aut mixtim ſit cognitum, vel non cognitum proùt ad publicum intereſſe, & Cameram Apoſtolicam ſpectare dinoſcitur auctoritate Apoſtolica, ac ex certa ſcientia tenore præſentium plenariè abſolvimus, ac etiam liberamus, ac mulctas, & pænas, & intereſſe hujuſmodi vobis, & veſtrum cuilibet plenariè remittimus, concedimus, & donamus, ac banna, proceſſus, cenſuras, ſententias, & condemnationes hujuſmodi contrà vos, vel aliquem veſtrum, ut præfertur, factos, latos, & fulminatos de quibuſcumque libris, & regeſtris, in quibus appareant tàm in Roman., quàm Provinciarum noſtrarum Campaniæ, atque Maritimæ, & Civitatis Terracinen., aut aliis Curiis, vel earum aliqua, ſeù alibi quoquo modo caſſamus, protinùs irritamus, cancellamus, & abolemus,

mus, & prò irritis, caſſis, & abolitis ex toto haberi decernimus, & mandamus, ac ſi dati, facti, & lati non eſſent. Et nihilominùs tàm ex officio, quam ad inſtantiam cujuſcumque per Officiales, ſeù Magiſtratus, ad quos id pertinet, caſſari, & deleri poſſe, & debere ubilibet cum effectu, ac interdicta Eccleſiaſtica, quibus Civitas, Comitatus, territorium, diſtrictus, ſeù Univerſitates, præmiſſorum, vel alicujus eorum occaſione, vel cauſa forſan ſuppoſita forent, ex toto tollimus, & relaxamus, & etiam abolemus omnem infamiæ maculam, ſeù notam præmiſſorum, vel alicujus eorum occaſione, vel cauſa per vos, vel aliquem veſtrum quocumque tempore uſque in præſentem diem contractas, ac etiam habilitamus quoslibet ad omnia, & ſingula gratias, privilegia, & indulta tàm à Sede Apoſtolica, quàm aliis quibuſvis de cætero obtinenda. Voſque, dilecti filiis, populum, & commune, necnon Univerſitates, diſtrictuales, & incolas, & ſingulares perſonas prædictos, & quemlibet veſtrum, proùt ad intereſſe hujuſmodi ſpectare poteſt ad honores, famam ſtatus, ac dignitates tàm ſpirituales, quam temporales gratias, privilegia, & indulta tàm Eccleſiaſtica, quam mundana, necnon jura, juriſdictiones, & bona officia, & beneficia, & actus quoſque legitimos, ac etiam publicos, ac in eundem ſtatum reſtituimus, reponimus, & plenariè reintegramus, in quo eratis ante commiſſa hujuſmodi crimina, & exceſſus communitèr, vel diviſim. Et cum Eccleſias Eccleſiaſticis perſonis, & vobis, qui propter præmiſſa, aut aliquod eorum celebrando Divina, vel immiſcendo ſe illis, ſeù prophanando non tamen in contemptum clavium irregularitatis maculam quomodolibet incurriſſent, quod in ſuſceptis ordinibus miniſtrare valeant, harum ſerie diſpenſamus diſtrictiùs inhibentes univerſis, & ſingulis magiſtratibus, Rectoribus, Judicibus, & Officialibus noſtris, & ipſis Eccleſiæ, necnon dictarum Provinciarum Campaniæ, atque Maritimæ, & aliis quibuſvis præſentibus, & futuris, quovis fungantur officio nunc, ſeù etiam in futurum, nec de cætero contrà vos, vel aliquem veſtrum cummunitèr, vel diviſim res jura, & bona præſentia, vel futura contrà inhibitionem noſtram hujuſmodi poſſint, audeant, vel præſumant per ſe vel alium quoquo modo, aut quovis colore quæſito directè, vel indirectè, ordinariè, vel extraordinariè, aut ex officio, vel

ad

ad inſtantiam cujuſcumque civilitèr, ſeù criminalitèr, aut mixtim, proùt ad ipſum intereſſe ſpectare poteſt, cognoſcere, ſeù inquirere, procedere, aut executionem facere, ſeù fieri facere aliqua ratione, vel cauſa. Conſtitutionibus Apoſtolicis necnon Civitatis, & Provinciarum prædictarum, vel alicujus earum alitèr, ſeù alitèr diſponentibus quoquo modo etiamſi de ipſis, & eorum totis tenoribus de verbo ad verbum in noſtris litteris habenda fuerit mentio ſpecialis non obſtantibus quibuſcumque irritum, & inane decernentes ex nunc, ſi ſecus à quoquam in præmiſſis ſcientèr, vel ignorantèr, & auctoritate quacumque contigerit impoſterum quomodolibet attemptari; volumus autem, quod ſi ullo unquam tempore, quod abſit, vos, aut aliquem veſtrum à fidelitate, devotione, & obedientia noſtris, & ſucceſſorum noſtrorum, ac ipſius Eccleſiæ ſubtrahere ſe contigerit, aut rebelles, eſſe præſentes litteræ, & omnia in eis contenta, quoad ſe ſubtrahentes, ſeù rebellantes nullius exiſtant firmitatis, efficaciæ, vel momenti, ſed in eaſdem ſententias, cenſuras, ac penas ſpirituales, ac temporales reincidatis, ſeù reincidant ipſo facto. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, liberationis, remiſſionis, conceſſionis, donationis, caſſationis, irritationis, abolitionis, conſtitutionis, mandati, relaxationis, habilitationis, reſtitutionis, reintegrationis, diſpenſationis, inhibitionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorũ Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſum. Dat. Mantuę Non. Novembris Pontif. noſtri Anno primo.

Idem Pontifex Anno ſexto ſuî Pontif. abſolvit Terracinam, ejuſdem Cives à pęnis, quas incurrerant tempore Rectoriæ Domini Agapiti de Columna in Provinciis Maritimæ, & Campaniæ, & has litteras Apoſtolicas favore ejuſdem expedivit.

MAR-

MARTINUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis Populo, & Communi Civitatis noſtræ Terracinen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

SEdes Apoſtolica pia mater in cunctis actibus clementiam comitem ſemper habens delinquentibus filiis maternalem veniam libentèr indulget, laqueos, quibus iidem filii excedendo conſtricti ſunt, miſericorditèr diſſolvendo: Exhibita ſiquidem nobis nupèr prò parte veſtra petitio continebat, quod cum olim dilectus filius nobilis Vir Agapitus de Columna Domicellus Romanus in Provincia noſtra Maritimę, de qua Civitas Terracinen. exiſtit prò nobis, & Romana Eccleſia in temporalibus Rector vobis, & ſingularibus etiam perſonis ex vobis nonnulla præcepta requiſitionis, & mandata feciſſet, vos illa tanquam inſupportabilia, & injuſta, ac inſueta, & irrationabilia ægrè ferentes inimico humani generis procurante ea murmurantibus, & contumacibus animis exequi, & efficere contempſiſtis non ſine offenſa noſtra, & Eccleſiæ ſupradictę. Cum autem ſicut eadem petitio ſubjungebat, vos dubitetis propter præmiſſa in poſterum moleſtari, ſeù inquietari poſſe prò parte veſtra nobis fuit humilitèr ſupplicatum, ut vobis, & veſtro ſtatui in præmiſſis opportunè conſulere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur attendentes ſinceræ devotionis affectum, integritatemque fidei, quos ad nos, & eandem Eccleſiam geſſiſtis hactenùs, & gerere ſperamus promptiùs in futurum, ac volentes vos favoribus proſequi gratioſis, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati vobis, & cuilibet, ac ſingulis veſtrum tàm omnia crimina, exceſſus, & delicta hujuſmodi, ut præfertur, quàm à tempore, quo fuimus ad apicem ſummi Apoſtolatus aſſumpti, etiamſi homicidia, vel adulteria, aut furta fuerint per vos, aut aliquem veſtrum commiſſa auctoritate Apoſtolica de ſpeciali gratia vobis remittimus per præſentes, ac vos, & ſingulos veſtrum ab omnibus pænis, & ſententiis, ſi quas propterea incurriſtis, abſolvimus, & plenariè liberamus, voſque, & veſtrum quemlibet ad honores, famam, ac ad quęcumque privilegia, & immunitates, ac liber-

tates,

tates, quæ priùs obtinebatis, ſeù habebatis eadem auctoritate reſtituimus, & etiam integramus diſtrictiùs inhibentes Rectori Campaniæ, & ſupradictæ Romanæ Provinciæ pro tempore exiſtenti, ac aliis noſtris, & ejuſdem Eccleſiæ Officialibus quibuſcumque ne contrà vos, vel aliquem veſtrum occaſione prædictorum exceſſuum procedere, vel vos, vel aliquem moleſtare quoquo modo præſumant, & decernentes ex nunc irritos, & inanes quoſcumque proceſſus, & ſententias quos, ſeù quas contra inhibitionem noſtram hujuſmodi fieri, ſeù haberi contingat, vel etiam promulgari. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ remiſſionis abſolutionis, liberationis, reſtitutionis, reintegrationis, inhibitionis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. Romæ apud S. Petrum 3. non. Junii Pontif. noſtri Anno ſexto.

De Mandato Domini Noſtri Papæ. Bonannus.

Confirmavit idem Pontifex diploma Bonifacii Noni ab eodem favore Civitatis Terracinæ editum, atque indultum, quod Martinus ſuis Apoſtolicis litteris inſeruit, & Terracinen. tranſmiſit; eſt autem hujuſmodi.

MARTINUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

JUſtis, & honeſtis ſupplicum votis libentèr annuimus, illaque favoribus proſequimur oportunis. Hinc eſt, quod nos præmiſſorum intuitu, & attendentes ſinceritatem devotionis, ac fidei puritatem, quas Dilecti filii Populus, & Commune Civitatis noſtræ Terracinen. erga nos etiam dum minori fungeremur officio, & Romanam Eccleſiam habuerunt, & gerere dinoſcuntur ad præſens, necnon labores, & diſcrimina, quibus longis retrolapſis temporibus prò ſtatu, & honore ipſius Eccleſiæ afflicti hactenus, multifariam extiterunt, & ſperantes eo quod in futurum ardenti devotione, ac fide ſucceſſivis temporibus er-

Digitized by Google

gà nos, & præfatam Eccleſiam, ac Succeſſores noſtros Romanos Pontifices canonicè intrantes propenſioribus curis, atque vigiliis perſeverare non deſinent, eorumque in hac parte ſupplicationibus inclinati litteras quondam Bonifacii Noni in ejus obedientia nuncupati nonnulla exemptiones, privilegia, & indulta per ipſum olim Bonifacium prædictis Populo, & Communi Civitatis Terracinen. conceſſa, quas quidem litteras in Camera noſtra diligentèr inſpici, & examinari, & inferiùs de verbo ad verbum inſeri fecimus, & contenta in illis auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia tenore præſentium confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Per hoc autem præfatis Populo, & Communi nullum jus de novo acquiri, ſed antiquum tantummodò conſervari. Tenor autem prædictarum litterarum ſequitur, & eſt talis.

BONIFACIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis filiis Populo, & Communi noſtræ Civitatis Terracin. Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

EXigit ſinceræ devotionis integritas, qua Nos, & Romanam Eccleſiam reveremini, ut votis veſtris illis præſertim, quæ veſtrum, & ſingularum perſonarum Civitatis noſtræ Terracinen. commodum, & utilitatem concernunt, quantum cum Deo poſſumus favorabilitèr annuamus. Hinc eſt, quod nos attendentes, quod guerræ, quæ in illis partibus hactenus viguerunt vos, & eandem Civitatem multiplicitèr afflixerunt, eſtque veſtra Communitas propterea non mediocritèr depauperata, veſtriſque in hac parte ſupplicationibus inclinati, & vos, ac Cives, & habitatores, necnon ſingulares perſonæ dictæ Civitatis tàm Clerici, quàm Laici communitèr, nec diviſim ratione criminum, culparum, delictorum, & exceſſuum, quæ in Civitate prædicta, ejuſque territorio, & diſtrictu prò tempore committentur, ſeù aliàs civilitèr, vel criminalitèr extrà eandem Civitatem ad judicium trahi, ſeù aliàs quomodolibet conveniri minimè valeatis, nec Rectores, ſeù Vicarii, aut Judices generales Provinciarum no-

noſtrarum Campaniæ, & Maritimæ, qui prò tempore erunt, aliiquè Officiales, & Judices Delegati, ſeù Commiſſarii noſtri, & ejuſdem Eccleſiæ, ſeù Succeſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum contrà vos, aut veſtrum aliquem, ac Cives, & habitatores prædictos ratione delictorum, criminum, culparum, aut exceſſuum hujuſmodi quovis modo, aut quæſito colore procedere, inquirere, vel cognoſcere poſſint per viam, vel modum inquiſitionis, denunciationis, aut accuſationis, niſi dumtaxat de, & ſuper homicidii, proditionis, ſchiſmatis, & adulterii violenti criminibus, & in cauſis appellationum dummodò Judices, & Officiales Sęcularis Curiæ dictæ Civitatis per unum annum à die hujuſmodi commiſſorum, vel committendorum criminum, exceſſuum, vel delictorum contrà delinquentes in procedendo negligentes non fuerint, & niſi Rector generalis dictarum Provinciarum, qui erit prò tempore, quando hujuſmodi crimina, exceſſus, vel delicta forſan committentur in Civitate, territorio, & diſtrictu prædictis præſens extiterit Apoſtolicis, & Provincialibus Conſtitutionibus, & aliis contrariis nequaquam obſtantibus devotioni veſtræ auctoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus. Volumus autem, quod ſi, quod abſit, ullo unquam tempore ab obedientia, & devotione noſtra, & Eccleſiæ, aut Succeſſorum noſtrorum prædictorum ſubtrahere vos contingat præſentes litteræ nullius exiſtant roboris, vel momenti. Et inſuper ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper hiis à quoquam quavis auctoritate ſcientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum apud S. Petrum decimo Kalend. Februarii Pontif. noſtri Anno tertio decimo. Nulli omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, communitionis, inſertionis, & voluntatis infringere, vel auſu ei temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Mantuæ non. Novembris Pontif. noſtri Anno primo.

Servatur hæc Bulla, ſicut, & altera huic inſerta ſeparatim, &

 abſo-

abſolutè ſcripta ex mandato Bonifacii Papæ Nonni, Terracinæquè indulta in Archivio ejuſdem Civitatis, ubi ſervantur etiam reliquæ ſuperiores Bullæ, ſeù litteræ Apoſtolicæ, ex quibus Martini Papæ Quinti ſumma benignitas, & charitas erga Terracinenſes eluceſcit.

CAP. XII.

MArtino Quinto ſedente erat igitur Terracina ſub dominio, & obedientia Sedis Apoſtolicæ, at ſub Eugenio Quarto Superioris Pontificis immediato ſucceſſore Anno 1441. ab Alphonſo Rege Aragonum Romanæ Eccleſiæ eripitur, poſtulatus propreteà crimine læſæ Majeſtatis, uti docet Raynaldus tomo 18., & Spondanus tomo primo inquiens: Alphonſus Rex Aragoniæ, qui, & recens Urbem Terracinam, quæ ditionis Eccleſiaſticæ erat, occupavit, ac reſtituere recuſabat, & nihilominùs nomine evehitur in aſtra à ſuis. Clariùs rem exponit præfatus Raynaldus tomo dicto, ubi ait. Rex Alphonſus interea Archiepiſcopum Panormitanum non ſine magna pro ditionis labe ad Amadeum miſit, qui polliceretur Regia illi uti Summo Pōtifici obſequia præſtanda, atque etiam eum ſe Romam, aut Neapolim, Cajetamve vel Terracinam deducturum, ſi tabulas de ipſius adoptione ſcriptas [ſcilicet à Ioanne] confirmaret, Regnūque Neapolis in ipſum, ac poſteros conferret. Eodem Anno ſcribit Eugenius Quartus Carolo Regi Navarræ, ad quem Alphonſus ſcripſerat. Inter alia hæc leguntur. Neque verò fuit contentus Regni terras [ſcilicet Neapolis] & terminos infeſtare, ſed Urbem Terracinam, & plures alias terras ad nos, & dictam Eccleſiam nullo medio ſpectantes occupavit. Monaſterium inſuper Caſinenſe, quod propter nomen B. Benedicti, qui in illo loco vixit, & defunctus eſt omnibus Regibus, & Principibus magno in honore ſemper, & multa alia fecit, in quibus utinam ſe modeſtiùs habuiſſet, alias quoque litteras dedit Eugenius Quartus Cardinali à ſe legato in Sicilia, in quibus ità leges.

Dile-

Dilecto Filio Joanni tit. SS. Nerei, & Achillei S.R.E. Cardinali Presbytero in Regno noſtro Siciliæ citrà Pharum (cui legationem obeundam injunxerat.)

IS verò debiti ſui immemor, qui nonnullorum Dominiorum, & præſertim Inſularum Trinacriæ, & Sardiniç, ac Corſicæ nobis, & Romanæ Eccleſiæ feudatarius juxtà juramenti per ſe præſcripti formam nobis obedire tenetur, paremque conſiderans famæ detrimentum, quod ſubibat juſtitiam, vel pacis, vel treguç conditiones aſpernando nedum eandem circumſpectionem tuam ab ipſius Regni Siciliæ partium quas occupat, ingreſſu prohibens videre, & ad ſalvationem, colloquiumque admittere, verum etiam pluries requiſitus, ut Terracinam, quæ ad nos, & Romanam Eccleſiam pleno jure ſpectat, & pertinet, aliaſque terras ad Monaſterium Caſinenſe, quod immediatè nobis, & Apoſtolicæ Sedi ſubjectum exiſtit, quas vi detinet occupatas, reſtituere recuſavit. Verum Anno 1443. indict. ſexta Eugenius pacandæ Italiæ cupidus, tum ut maximis Romanam Eccleſiam periculis eximeret, quæ ſine dubio creanda ei erant, ſi Alphonſus Antipapæ [Amadeo] adhæſiſſet cum quo de fædere miſſo oratore agere cæperat, Neapolitanum ſibi Regnum, quo armis jam potitus erat fidejuſſorio jure tradere conſtituit. Refert enim Surita, Alphonſum ex turbis, luctuque laniatæ ſchiſmate Eccleſiæ res ſuas augere ſollicitum &c. Quas pactiones ab Antipapa Alphonſus expetebat, ab Eugenio tandem obtinuit.

Præcipuæ concordiç Leges factæ ſequuntur.

ADhibitus eſt ad ſanciendum fædus cum Alphonſo Ludovicus Patriarcha Aquilejenſis, ac S.Laurentii in Damaſo Cardinalis, qui Terracinam, quam ille eripuerat Eccleſiæ, profectus decima quarta Junii die in eas leges convenit, ut Alphonſus Eugenium verum Pontificem agnoſceret, ſubditoſque populos in ejus obſequio contineret, libertatem Eccleſiaſticam non infringeret, labefactatamque in priſtinum ſtatum revocaret, oppida S. Fęlicis, & Fruſinonis una cum eorum agris reſtitueret Eccleſiæ, inſtrueret ſex naves milite, & commeatu, eaſque Ponti-

tificii Legati claſſi ad bellum ſacrum Turcis inferendum jungeret &c. confirmavit autem Senis Eugenius Quartus concordiam factam Terracinæ 14.Iunii Anno decimo 1443., & Alphonſo Regi Regnum Neapolitanum jure fiduciario dedit; Beneventum, & Terracinam illi præfecturæ tradit.

Item quod dictus Sanctiſſimus Dominus Noſter, & ipſe Reverendiſſimus Dominus Legatus nomine, & auctoritate prædictis Civitas Beneventi, & Terracinæ in Vicariatu ipſi Sereniſſimo Domino Regi prò toto tempore vitę ſuæ dabit, & concedet cum dictis omnibus in ſimilibus apponi conſuetis &c. Beneventum, & Terracinam; Anno 1445. ſe ſe reſtiturum pollicetur Rex Alphonſus legibus prædictis admiſſis; numquam tamen eam reſtituiſſe conſtat, verum ejuſdem tyrannidi ſemper obnoxia fuit, uti videtur innuere Paulus Jovius illis verbis lib. primo. Quo tempore Aragonia res adeò firmata, ſtabilitaque erat, ut cum domi conſilium vigeret, & foris arma florerent nullam mutationem unquam ea hominum ætate habitura videret; Regnum ejus multis inſignibus, atque opportunis Urbibus nobile, atque undique à ſupero, & infero mari portuoſum omni genere commeatus acribus viris, & militaribus equis abundabat à Tarracinenſi ſaltu, pontiniſque paludibus per Volſcorum fines tranſverſim Sabinorum, ac Marſorum jugis per Furconenſes, Ferentanos ad Truentum amnem Romani Pontificis terminos attingit. Cætera ab ipſo Siciliæ fræto hinc Tyrrheno, atque illinc Adriatico ambiuntur. Pontificiæ Sedis erat Picenus ager, Umbria, Flaminia, Æmilia, Latium cum maxima Thuſciæ parte. Verùm nobiles, ac liberæ Civitates incuria, vel impotentia veterum Pontificum paſſim impotentibus tyrannis ſerviebant, & lib. 2. idem Auctor ait. Sub idem tempus Alphonſus ut Gallicam claſſem toto Antiate littore, ac finitimis portubus prohiberet è Terracina ad oppugnandum Neptunium duxit, quod Antonellum Salernitanum, Bernardinum Beſſenianum, & Clarmontium regulos tribus millibus peditum onerariis navibus impoſitos è Genua paulò ante ſolviſſe, & ad invadendam Campaniæ oram adventare cognoverat; eadem tradit Sabellicus. *Æneid.9. lib.8. pag. 776. dicens.* Alphonſus Tarracinam eò conſilio proceſſit, ut Neptunium Columnenſium locum ad mare oppugnaret, nam eò Gallicam claſſem primò appulſuram rumor erat;& in principio *lib.9. Æneid.9. inquit.*

Digitized by Google

inquit. Erat Alphonſus Rex Tarracinæ, fuit hæc olim Anxur, cum uno tempore litteras, & Nuncios de Joannis Galeacii generi ſui obitu de Florentinorum ad Gallos defectione, quibus perculſus cladibus ſe intrà Regni ſui fines recepit. Succeſſit Eugenio Nicolaus Quintus, & huic Caliſtus Papa Tertius, ſed cum poſt obitũ prȩfati Caliſti Pius Secundus ad Pontificatus ſolium aſcendiſſet, bellumque Turcis inferre decreviſſet, recuſavit Alphonſus tale onus ſuſcipere, qua de re ità ſcribit Raynaldus tomo 18. Flecti neque tunc potuit Alphonſus, ut votum de inferendo Turcis bello ad exitum duceret, verum à Pontifice defectionem meditatus eſt, cum Beneventi, & Terracinæ Eccleſiaſticarum Urbium Præfecturam, ac Regni Neapolitani jus fiduciarum ſibi, & ſpurio Ferdinardo confirmari miſſo Oratore propoſuiſſet, repulſamque eſſet paſſus ſub Caliſto Tertio Anno 1456. Nihilomiuùs Ferdinardus ejus filius Civitatem Terracinæ ſub Vicariatus nomine à Pio Papa Secundo obtinuit uti colligitur ex iis, quæ tradit idem Raynaldus tomo 19. Anno 1458. num. 23.

Actum de Picino Tyranno ditione Eccleſiaſtica eiiciendo.

ITem præfatus Reverendus Dominus Epiſcopus ſcilicet Berardus Spoletanus, & Dominus Agapitus de Ruſticis juris utriuſque doctor nomine, & pro parte dicti Sanctiſſimi Domini Noſtri promiſerunt, & in pactum deduxerunt, quod Civitas Terracina remaneat apud Dominum Regem [nempè Ferdinardum] iis modis, & formis videlicet, quod Sanctiſſimus Dominus Noſter in continenti concedat præfatam Civitatem præfato Regi in Vicariatum ad quinquennium nomine, & pro parte dicti Domini Noſtri tenendam incipiendo à tempore datarum literarum dicti Vicariatus cum annuo cenſu unius equi albi in Feſto Pentecoſtes in loco, ubi Romanus Pontifex reſidebit, ſingulis annis tranſmittendi, & ſolvendi, quo quidem quinquennio finito præfatus Dominus Rex teneatur à præfato Domino noſtro renovationem dicti vicariatus petere, & dictus Dominus noſter Rex teneatur dimittere Eccleſiæ Romanæ Civitatem ipſam, vel aliàs de ea facere ad voluntatem dicti Domini, & in caſu non ſoluti, vel tranſmiſſi equi ſingulis annis in tempore debito incurrat ipſa Regia Majeſtas pœnam unciarum quinquaginta auri. Non prætereiit

riit tamen unius luſtri curſus, & Terracina in Pontificis manus ſe ſe dedit, uti docet idem Raynaldus tomo 19. Anno 1460. dicens. Priuſquam Romam rediret Pontifex Terracinenſes civilibus acti diſcordiis tumultuare inter ſe cæperunt, deſperantes enim res Ferdinardi ſecundari poſſe, cujus apud Sarnum vires cecidiſſent, alii Gallorum, alii Eccleſiæ præſidium implorabant; vicit pars Eccleſiaſtica, & priuſquam Galli ſuis opem afferrent, Civitatem Eccleſiæ nomine percurrit, cæpitque Arcem oppugnare, in qua erat Ferdinardi Præfectus, miſſis ad Pontificem Legatis, qui opem redeuntibus ad Eccleſiam poſtularent: Nam Terracina juris Eccleſiæ fuit, Alphonſus eam Eugenio Quarto partim dedentibus Civibus, partim per arma ſurripuit, nec reddidit facta pace. Pius approbato Ferdinardi Regno ità dimiſit, ut poſt duo luſtra ad Eccleſiam rediret; at cum jam ſuopte ingenio à Ferdinardo deficiens proprium repetiſſet Imperium non cenſuit Pontifex recuſandam, moxque ſui corporis Joannes cognomento Pazaglia vir ſtrenuus eo tranſmiſit, qui dedentem ſe Civitatem pro Romana Eccleſia reciperet, atque adverſus vim, ſi qua ingrueret, tueretur. Jam Comitis Fundorum filius Balthaſar Marconii Comes defectionem Terracinenſium acceperat, collectiſque repentè copiis Montem, qui Urbi ſupereminet invaſurus mænia, conſcenderat, & occurrentes extrà portam ad pugnam Cives in fugam converterat, nec dubium videbatur, quin Civitas intrà horam hoſti diripienda traderetur. Cum ſubitò occurrens Pazaglia, præliumque reſtaurans victoriam hoſti præripuit, fugatoque procul Marconio, Eccleſiæ Civitatem, Civibus vitam, ac fortunas ſervavit. Præfectus Arcis ſpectata Marconii fuga ſuam ſalutem pactus, locum tradidit. Id ægrè Ferdinardo fuit, nec Mediolanenſium Dux æquo animo tulit, veritus, ne Regni rebus officeret, ac potiùs ſuam Civitatem eſſe voluit, quàm Gallorum, neque iniquum putavit Pius deſciſcentes à Ferdinardo Terracinenſes recipere, cujus Pater ab Eccleſia deficientes recipiſſet. Ex hoc Terracinenſium ad Pontificis obſequium reditu graviſſimè angi cæpit Ferdinardus, quod plerique jam Pontificia auſilia illi ſubducenda interpretarentur: Unde pluries tentavit Ferdinardus dolosè eandem Civitatem à dominio Pontificis ſurripere, incaſſum tamen cecidit omnis dolus, teſte eodem Raynaldo tomo 19. Anno 1486., ubi ait. Facta autem ſubdolè à Ferdinardo pacis mentio erat, neque clan-

deſti-

deſtinis in Pontificem inſidiis graſſari deſinebat, tentata eſt è proditione Terracina, ſed patefactæ inſidiæ diſcuſſæ diligentia fuerunt; ſparſit etiam rumorem de pace pacta, ut trepidos, incautoſque opprimeret, ſuiſque partibus irretiret, quos ut frangeret dolos Innocentius (ſcilicet Octavus) menſe Junii federatos Neapolitanos Principes publicis litteris admonuit, ne hoſti fiderent. De recuperatione Terracinæ à Pio Papa Secundo mentionem faciunt Ciacc. ann. 1488. tomo 2. pag. 1005., ubi ait Tarracinam, Beneventum, Soram, Arpinum, ac magnam Hernicorum partem, quæ nunc Campania vocatur in ditionem Eccleſiæ redegit, nihil Regibus, nihil Populis timore, aut avaritia conceſſit unquam, & Sabellicus Æneid. 10. lib. 6. pag. 730. ità ſcribens. Pius ſcilicet Secundus Majeſtatem Sacræ Sedis non ſolùm lucratus eſt, ſed multò auguſtiorem reddidit, quam accepit; Tarracinam, Beneventum, Soram, Arpinum, magnamque Hernicorum partem ſubjecit Eccleſiæ. Recuperata Terracina favore ejuſdem Bullam ſequentem edidit Pius Secundus.

PIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX ſupernæ providentia Majeſtatis Romanus Pontifex in Apoſtolicæ dignitatis ſpecula conſtitutus circà ſingulolorum Chriſtifidelium, & potiſſimè Romanæ Eccleſiæ ſubditorum ſtatum, & profectum, proùt ex debito Paſtoralis incumbit officii diligenter proſpicit, & intendit, atque in ipſorum ſubditorum commodum, & utilitatem providè proceſſiſſe comperit, approbat, & confirmat, aliaque ſalubri, & felici eorundem ſubditorum regimine, & directione ſtatuit, diſponit, & ordinat, proùt rerum penſatis circumſtantiis id conſpicit in Domino ſalubritèr expedire. Sanè pro parte dilectorum filiorum Communitatis, & univerſorum Civium, habitatorum, & incolarum Civitatis noſtræ Terracinen. nobis fuit humilitèr ſupplicatum, ut omnia, & ſingula privilegia, conceſſiones, immunitates, & indulta Civitati, Civibus, habitatoribus, & incolis prædictis per diverſos Romanos

nos Pontifices quoquo modo conceſſa approbare, & confirmare, ac omnes, & ſingulos proceſſus formatos, & ſententias latas ex actis temporibus, quibus ipſa Civitas ſub ditione, dominio, & poteſtate tàm bonæ memoriæ Alphonſi Aragonum, quàm cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ferdinardi Siciliæ Regum Illuſtrium, caſſare, & annullare, ac Cives habitatores, & incolas prædictos ab omnibus, & ſingulis exceſſibus, culpis, & delictis, ac cenſuris, & pęnis per eos quomodocumque, & qualitercumque incurſis à dictis temporibus citrà uſque in præſentem diem abſolvere, & liberare; necnon ut Rectores, ſeù Gubernatores, & Judices generales prò tempore in Provinciis Campaniæ, & Maritimæ exiſtentes non poſſint in aliquo caſu infrà annum contrà Communitatem, Cives, & habitatores prædictos procedere, ſed ſolum Poteſtas,& Judex dictæ Civitatis prò tempore exiſtentes poſſint, & debeant in omnibus,& ſingulis caſibus etiamſi crimen lęſę Majeſtatis ſaperent, & in quibuſcumque aliis atrocibus, atrocioribus, & atrociſſimis quibuſcumque cognoſcere, & punire, & bona cum opus fuerit delinquentium in caſibus, in quibus publicatio bonorum veniret Erario, & Fiſco dictæ Civitatis applicare, & elapſo dicto Anno cognitio, & punitio ſpectet ad Curiam generalem Rectoris, ſeù Gubernatoris Provinciarum prædictarum, quæ Curia generalis ſolum in cauſis appellationum dictæ Civitatis ſe principalitèr intromittere, & cognoſcere habeat; quodque etiam Communitas, Cives, & habitatores prædicti poſſint perpetuis futuris temporibus eligere tres ad officium Poteſtariæ, & duos ad officium Judicatus dictæ Civitatis, quorum unum habeat Rector, ſeù Gubernator Provinciæ pro ſex menſibus, dumtaxat confirmare tàm ad officium Poteſtariæ, quàm Judicatus, & elapſis ſex menſibus non poſſit aliquis ipſorum aliquo modo refirmari ad dicta officia. Et ſimilitèr dicta Communitas habeat duos, vel tres Notarios ad officium maleficiorum, & extraordinariorum eligere, quorum unum ſimiliter pro ſex menſibus habeat Rector, ſeù Gubernator prædictus confirmare, ac Communitas, Cives,& habitatores prædicti Notarium ad civilia Civem, vel forenſem, proùt meliùs Communitati, Civibus, & habitatoribus prædictis videbitur abſque alia confirmatione Rectoris etiam pro ſex menſibus eligere, & deputare, & quod unus non poſſit ſimul, & ſemel Poteſtariæ, & Judicatus officia exercere,

aucto-

Digitized by Google

auctoritate Apoſtolica ſtatuere, decernere, & ordinare. Et quia plerumque contingit, quod multi impotentes ad ſolvendum debita, quæ hinc inde vagando contrahunt, qui poſteà ſolvere non poſſunt, & propterea aliquandò contrà Commnnitatem, & alias dictæ Civitatis perſonas repręſaliæ conceduntur; Communitati, Civibus, habitatoribus, & incolis prædictis, ut repręſaliæ hujuſmodi, niſi contrà principalem debitorem, non autem contra Communitatem, & perſonas alias prædictas pro debito alterius privati concedi non poſſint, quodque etiam plerumque contingit, quod propter neceſſitatem pecuniarum opus eſt, ut Cives, habitatores, & incolæ præfati ad Judęos confugiant, ac propterea neceſſe ſit, Judęos in ipſa Civitate aliqualitèr ſuſtentando fovere eiſdem Communitati, Civibus, habitatoribus, & incolis, ut Judęi in dicta Civitate manere, ac omnibus, & ſingulis immunitatibus indultorum, ac ſtatutorum dictæ Civitatis gaudere poſſint, & valeant, concedere, & indulgere, aliaſque in præmiſſis, & circa ea opportuna providere de benignitate Apoſtolica dignaremnr. Nos igitur, qui ſingulorum Chriſtifidelium, & potiſſimè nobis, & Romanæ Eccleſiæ ſubditorum ſtatum, tranquillitatem, & commodum quantum cum Deo poſſumus, affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati omnia, & ſingula privilegia, conceſſiones, immunitates, & indulta quæcumque, & qualiacumque ſint Civitati, Communitati, Civibus, habitatoribus, & incolis prædictis per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros quoquo modo conceſſa, & quæ ac ſi de verbo ad verbum infererentur præſentibus prò expreſſis habentes Apoſtolica auctoritate confirmamus, & approbamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, omneſque, & ſingulos proceſſus contrà Communitatem, Cives, habitatores, & incolas prædictos in genere, vel in ſpecie formatos, & ſententias ſuper illis latas ſuperioribus temporibus, quibus Civitas prędicta ſub ditione, dominio, & poteſtate dictorum Regum conſiſtebat eadem auctoritate caſſamus, irritamus, evacuamus, annullamus, viribuſque omninò carere decernimus, & declaramus per præſentes; ac illos, & illas caſſari, irrirari, evacuari, & annullari volumus, & mandamus, eoſdemque Cives, habitatores, & incolas ab omnibus, & ſingulis exceſsibus, culpis, & delictis hujuſmodi per eos commiſſis, & perpetratis, ac à quibuſcumque ſententiis, cenſuris, &

Q 2 pęnis

pęnis per eos quomodocũque,& qualitercumq; incurſis à dd.temporibus citrà, & uſque in præſentẽ diem,homicidiis,furtis,& publicis robariis dũtaxat exceptis auctoritate pręfata abſolvimus, & omninò liberamus, ac abſolutos,& liberos eſſe volumus.Et inſupèr volumus, ac ſtatuimus,decernimus,& ordinamus,quod Rectores, ſeù Gubernatores, & Judices generales prò tempore exiſtentes prędicti contrà Cives, habitatores, & Incolas prædictos infra annum procedere minimè poſſint, ſed ſolum Poteſtas, & Judex dictæ Civitatis prò tempore exiſtentes in omnibus, & ſingulis caſibus, atrocibus criminibus dumtaxat exceptis, infra dictum annum procedere, & de illis cognoſcere, & delinquentes punire, & bona delinquentium hujuſmodi in caſibus, in quibus publicatio bonorum veniret Cameræ Apoſtolicæ applicentur, & applicari debeant; Elapſo verò dicto Anno, ſi de hujuſmodi criminibus per Poteſtatem, & Judicem prædictos cognitum non ſit, tunc cognitio,& punitio ad Curiam generalem Rectoris, ſeù Gubernatoris Provinciarum prædictarum devoluatur, quæ Curia generalis in devolutis hujuſmodi, ac appellationum cauſis quibuſcumque dictæ Civitatis cognoſcere, & ſe intromittere habeat. Rurſus volumus, & ſtatuimus, decernimus, & ordinamus, quod Communitas, Cives, habitatores, & incolæ prædicti perpetuis futuris temporibus tres ad Poteſtariæ, & duos ad Judicatus officia dictæ Civitatis idoneos viros quorum ſingulis de ſingulis officiis prædictis per Romanum Pontificem dumtaxat confirmentur, prò ſex menſibus eligere poſſint, & valeant, quibus ſex menſibus elapſis Poteſtas, ſeù Judex prædictus refirmari minimè poſſit ad hujuſmodi officia exercenda, nec ſimul, & ſemel unus, & Poteſtariæ, & Judicatus officia genere, & exercere debeat quoquo modo; & ſimilitèr Communitas, Cives, habitatores, & incolæ præfati Notarium ad Civilia dumtaxat Civem, vel forenſem prò dictis ſex menſibus eligere, & ut præfertur, abſque aliqua alia ſuperioris confirmatione deputare. In criminalibus autem, & extraordinariis Notarius forenſis, & per ſuperiorem deputandus exiſtat: Præptereà Communitati, Civibus, habitatoribus, & incolis prædictis concedimus, & tenore præſentium indulgemus, quod contrà eos, ſeù eorum aliquem, ſeù aliquos niſi dumtaxat contrà principales debitores repræſaliæ aliquæ concedi, vel ad repræſalias deveniri non poſſint, nec debeant,

niſi

niſi forſan hujuſmodi repręſaliæ auctoritate Romani Pontificis, aut Gubernatoris Provinciæ concederentur. Et inſuper Communitati, Civibus, habitatoribus, & incolis memoratis præfata auctoritate concedimus, quod prò eorum neceſſitatibus poſſint Judęos in dicta Civitate tenere, qui Judęi in eadem Civitate prò tempore commorantes omnibus, & ſingulis immunitabus indultorum, ac ſtatutorum dictæ Civitatis potiri, & gaudere poſſint, & valeant, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis; cæteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrarum confirmationis, aprobationis, communitionis, caſſationis, irritationis, evacuationis, annullationis, conſtitutionis, declarationis, voluntatis, mandati, abſolutionis, & conceſſionis infringere, vèl ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadrigenteſimo ſexageſimo, duodecimo Kal. Novembris Pontificatus noſtri Anno tertio. Eodem Anno cum rei frumentariæ penuria laboraretur Terracinæ, ad preces ejuſdem hujus tenoris in forma Brevis litteras Rectori Provinciæ dedit idem Pontifex.

Foris.

Dilecto Filio Joanni Antonio de Leoncellis Militi Spoletano Provinciarum noſtrarum Campanię, & Maritimę Rectori.

Intus.

PIUS PAPA II.

Dilecte Filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Contetamur, & volumus, tibique etiam per præſentes mandamus, quatenus Dilectis filiis Communitati, & hominibus noſtræ Civitatis Terracinę permittas, ut ſine aliquo impedimento extrahere poſſint graſſiam cujuſcumque generis ex illis noſtris Provinciis Campaniæ, & Maritimæ prò uſu dumtaxat,

xat, & neceſſitatibus dictæ Civitatis. Non obſtantibus inhibitionibus, & mandatis hactenùs in contrarium factis. Cæteriſque contrariis quibuſcumque mandantes omnibus, & ſingulis noſtris, & S. R. E. Officialibus præſentibus, & futuris cæteriſque, ad quos ſpectat, ut dictis Communitati, & hominibus Terracinen. pro uſu prædicto graſſiam hujuſmodi ex quibuſcumque noſtris Terris & locis extrahere ſine contradictione permittant. Volumus tamen, & mandamus, ut vos, & alii Officiales diligenter provideatis, ne ex dicta Civitate in Regnum graſſiam exportari poſſit. Præſens autem Breve cum apud te regiſtratum fuerit, volumus, ut dictæ Communitati reſtituas. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris. Die 13. Januarii MCCCCLXI. Pontif. noſtri Anno tertio.

Sub Innocentio Octavo, qui poſt Sixtum Quartum ſedit, rumor erat, Terracinam alienari debere, qua de cauſa variis animi anguſtiis æſtuantes Cives ejuſdem Urbis Oratores ad Summum Pontificem mittunt, ille verò benigniſſimè his in forma Brevis litteris eiſdem reſpondit.

Foris.

Dilectis Filiis novem Officialibus, Conſilio, & Communi Civitatis noſtræ Terracinen.

Intus.

INNOCENTIUS PAPA VIII.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

FUerunt apud nos Oratores veſtri, quos libentèr vidimus, & benignè audivimus. Inter cętera vota expoſuerunt nobis nonnulla, quæ profectò admirationem, & diſplicentiam nobis non mediocrem attulerunt. Dicunt enim à quibuſdam diſſeminatum eſſe, velle nos Civitatem iſtam noſtram alienare, & in alterius manus ponere, rem certè à mente noſtra alieniſſimam, & quam nunquam cogitavimus. Quin immò cariſſimos vos habemus, & tanquam peculiares filios retinere, & conſervare intendimus.

dimus. Sitis itaque bono animo, & talibus rumoribus aures non adhibeatis. Perverſè autem agunt ij, qui hęc fingunt, cum zizanię, ſcandaliqueſeminatores potiùs, quàm veritatis aſſertores ſint, proùt latiùs Oratoribus ipſis veſtris diximus, qui mentem noſtram optimè cognoſcere potuerunt. Datum Romę apud S. Petrum ſub Annulo piſcatoris die 11. Januar. MCCCCLXXV. Pontificatus noſtri Anno primo.

CAP. XIII.

Licet ſub Pio Secundo recuperata fuerit Eccleſię Terracina, nihilominùs ſub Alexandro Sexto iterùm à Ferdinardo Alphonſi filio ab ejuſdem dominio ſurripitur; uti docet Raynaldus ann. 1495. tomo 19. iis verbis. Item renunciatum fuit Pontifici inhabitatores Civitatis Terracinæ exportatis omnibus bonis dimiſſa Civitate inde receſſiſſe, ac Regem Neapolitanum ſcilicet filium Alphonſi Ducis Calabrię, poſteà verò Regis Neapolis ipſam occupaſſe; Verum ſub eodem Pontifice reſtitutam fuiſſe, procul dubio eſt; quoniam ipſemet Alexander Sextus eam in fęudũ dare ſtatuerat Joanni Borgię filio ſuo, fidem faciente Oderico Raynaldo eodem tomo 19. ad annum 1497., qui ità profatur acta Conſiſtorii referens, Feria quarta, ſeptima Junii fuit ſecretum Conſiſtorium, in quo Sanctiſſimus Dominus Noſter erexit Civitatem Beneventanam in Ducatum, & de conſenſu omnium Cardinalium, qui interfuerunt nullo ſe opponente, ſeù minimum verbum contradicente, infęudavit Illuſtrem Joannem Borgiam de Aragonia Ducem Gandię, S.R.E. Capitaneum generalem filium ſuum chariſſimum, & omnes ſucceſſores ſuos ex ejus lumbis deſcendentes maſculos legitimos in perpetuum de dicto Ducatu Beneventano, & Civitate Terracinenſi, & Pontecurvo, ac ejus, & eorum Comitatibus, ſive Territoriis ſolo Reverendiſſimo Cardinali Senenſi viriliter, & animosè inveſtituram hujuſmodi oppugnante, ne fieret ex legitimis rationibus, ac evidentiſſimis dictis votum ſuum approbante, qui tamen ſolus reſiſtere, ac factum ipſum impedire non potuit; quod verò non potuit impedire prę-fatus Card. potuit omniũ moderator Deus; ſiquidem prędictus Jo: Borgia morte violenta à ſuis Adverſariis de nocte peremptus fuit propè Hoſpitale S. Hieronymi Sclavonum, & in Tiberim projectus,

ctus, adeoquè prenominata infeudatio nullum habuit effectum; & in nihilum recidit fato obſtante. Ceterum quantis bellorum civilium tumultibus ſub Alexandro Sexto exagitata fuerit Civitas Terracina notum eſt, & ſatis, ſuperquè edocent ejuſdem Urbis ſubſecute ruine. Per hec enim tempora exſtuavit morbus ille inteſtinus, qui Terracinenſes enervavit, infirmoſquè incurabilitèr reddidit; per hec tempora emerſit incendium illud, quod perdidit, atquè abſumpſit omnes eorundem opes, fortunas, & facultates; per hec tempora intonuit turbo ille, qui omnia ſuſdeque vertens plures nobiles familias ex hac antiquiſſima Urbe exegit; Porrò quiſquis tranquillam vitam tranſigere cupiebat, conſiderans incurabile vulnus Civitatis alio tranſmigravit; unde eadem Civitas exhauſta viris pacificis, & prudentioribus pluriès peremptorum Civium ſanguine contaminata eſt, inter quos primus fuit Petrus Cannata, hic enim à Maſio, & Maſetto de Peruntiſ interfectus tanto igni facem prebuit, uti oſtendunt littere Alexandri Sexti in forma Brevis Terracinen. Date, que ſunt hujuſmodi.

Foris.

Dilectis Filiis Officialibus, Conſilio, & Communi Civitatis noſtre Tèrracine.

Intus.

ALEXANDER PAPA VI.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

EX litteris dilecti filii Gubernatoris, & Caſtellani Terracinen. ac veſtris ſumma cum diſplicentia nuper intelleximus propter necem cujuſdam Petri Cannate per quoſdam iſtius Civitatis Cives Adverſarios extra Urbem iſtam nupèr interfecti excitato tumultu duos alios ex Concivibus veſtris interfectos fuiſſe, quod nobis admodum moleſtum fuit, cum vos, & iſtam Civitatem peculiari quadam charitate proſecuti ſemper quietem communem optamus. Quoniam verò ex eiſdem litteris poſtmodum didicimus vos prò communi pace, & ſedandis inteſtinis diſcor-

ſcordiis unanimes conveniſſe, & à nobis ſuper hoc auxilium expetere valde lætati ſumus, & laudamus in hoc prudentiam, devotionem, & laudabile propoſitum veſtrum, voſque . . . . hortamur, & . . . . requirimus, ut ſicut vos facturos pollicemini prò conſervanda pace, & unitate inter vos totis viribus intendatis, & diligentèr cuſtodię portarum, & Civitatis contrà impetus facinoroſorum, & aliorum externorum, qui veſtram gentem perturbare nituntur, invigiletis. Nos enim ut prò deſiderio noſtro id facilius efficere poſſitis, nonnullos levis armaturæ milites ad vos propediem tranſmittemus, qui ad pacem in iſta Civitate conſervandam Gubernatori, & vobis aſſiſtant interim curabitis omni ſtudio, & vigilantia, ne res pernicioſi exempli ulteriùs procedat, & de omnibus quæ ſequentur nos certiores reddatis. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris die quarta Auguſti 1497. Pontif. noſtri Anno quinto. Ut autem ſuccederet pax inter diſſidentes Terracinæ Cives Gubernatori, & Officialibus Civitatis ejuſdem facultates expreſſas in ſequentibus in forma Brevis litteris dedit.

Foris.

Dilectis Filiis Petro de Alcaniis Gubernatori, & Caſtellano, ac Officialibus, & Communi Civitatis noſtræ Terracinæ.

Intus.

ALEXANDER PAPA VI.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

ET per veſtras litteras, & relatu diverſorum intelleximus vos prò quiete, & pace iſtius Civitatis ſępè concordiam, & compoſitionem inter exititios, & Cives veſtros tractaſſe, ac etiam nunc tractare: Quę res nobis admodum grata exiſtit, & de ea vos bonum opus proſequi omnibus veſtris ſtudiis procuretis. Quam tamen concordiam, vt faciliùs ad optatum finem perducere valeatis, vobis tenore pręſentium facultatem concedimus, & largimur eos Civs, ſive incolas, qui intrà dictam Civitatem

R de-

degunt, & homicidia, aut alia facinora commiſiſſent ad aliquem terminum, de quo vobis videbitur, in exilium à dicta Civitate de Communi partium conſenſu mittendi, eos verò exititios etiã, de quibus vobis videbitur intra Civitatem reducendi, & reſtituendi, & ipſis ſic per vos reſtitutis commiſſionem, ac veniam de commiſſis homicidiis, & delictis auctoritate Apoſtolica condendi, pęnaſque per eos debitas remittendi, & relaxandi pacta, conventiones, & capitula cum eis faciendi, & ineundi, ac alia gerendi, & ſtatuendi, quæ prò bono ipſius pacis, & concordiæ de communi partium conſenſu, ut ſuper, viſa fuerint oportuna. Dat. Romæ apud S.Petrum ſub annulo Piſcatoris die ſexta Maii 1498.Pontif.noſtri Anno ſexto.

Hujuſmodi pacem ad exitum perductam fuiſſe teſtatur inſcriptio exiſtens in tabula marmorea apud Vicum vulgò [Capo la lingua), quæ ſic habet.

Anno Domini 1499. die 18. menſis Auguſti concluſa fuit univerſalis per omnium Nobilium, plebejorumquè Terracinenſium opera, ac protectione Reverendi Domini Jacobi Caſanovæ Sanctiſſimi Domini Alexandri Sexti Pontificis Maximi Cubicularii; ac Excellentis Viri Utriuſque Juris Doctoris Domini Petri de Alcaneis ejus Nepotis Civitatis, & Arcis Terracinæ Gubernatoris, & Caſtellani, in quorum commemorationem eorum inſignia hic depicta fuerunt ſub Prætura Domini Nicolai de Rubeis Doctoris, Comitiſque Palatini. Confirmat hæc omnia copia, ſeù exemplar capitulorum initorum in pace peracta, quod exemplar inveni, & ſervatur in Archivio Terracinen., unde in medium hic profero lectitare volentibus.

In nomine Domini amen. Hæc eſt copia, ſive tranſumptum quorundam capitulorum, pactorum, conventionum, & pacis, ut dicitur, factorum inter infraſcriptos Nobiles, & alios de Civitate Terracin., proùt infrà apparebit, extractorum, & copiatorum per me Julianum Bernardi publicum Notarium, de Ferentino ex actis, & proprio originali quondam Nicolai Baſilis publici Notarii de Ferentino ad inſtantiam, & requiſitionem egregii Viri Domini Vincentii de Rigariis legis profeſſore de Terracena comparentis vice, & nomine Communitatis Civitatis prædictæ, necnon Spectabilis Viri Notarii Thomaſii Gactarii de Fundis comparentis, & petentis nomine Nobilium Virorum Nicolai, Julii,

lii,

lii, & fratrum Roſa, ac Maſetti, & Maſii Perunti; necnon ad inſtantiam Notarii Joannis Schiapta de Gaeta comparentis, & petentis pro parte Nobilium Virorum Domini Franciſci de Frajapanibus, & Joannis Antonii, & Franciſci Perunti omnium de Terracena, de verbo ad verbum nihil addendo, vel minuendo &c. ſcriptis quondam Notarii Nicolai, cujus in libello ſupra ſcriptum eſt. Inquiratur contrà Alexandrum deficientia, & ad chartas 21. ſcriptum eſt. Pax, capitula, & conventiones inſcriptę, quarum tenor ſequitur, & eſt talis; videlicet in ſummitate dictæ chartæ die 18. Maii 1498., deindè ſequitur. Conſtituti coram me Clariſſimo Doctore, Comitequè Palatino Domino Nicolao de Rubeis Poteſtate, & Judice Civitatis Terracen. poſteà ſequebatur quædam particula caſſa, quæ dicebat prò Tribunali, poſteà ſequebatur exiſtente in podio Eccleſiæ Nuntiatæ dictæ Civitatis Nobiles Viri Dominus Cola Roſa promittens principalitèr per ſe, & convictorio nomine Jacobi, & Petri ejus fratrum, prò quibus promiſit de rato, & ſe facturum &c. ac Joannes Colæ Roſæ, & præfatus Dominus Nicolaus Roſa convictorio nomine Domini Julii; poſteà erat quædam littera caſſa, quæ nihil videbatur narrare, & poſteà Marii Roſa, pro quo promiſerunt de rato, & ſe ſe facturos &c., & Maſius Perunti principalitèr per ſe, & convictorio nomine Maſii Colæ traviato, pro quo promiſit de rato &c. Et Joannes Frajapan. prò ſe, & deſuper erat remiſſa una, & convictorio nomine fratris Jacobi, Raymi, & Antonii ejus filiorum, & Dominus Franciſcus Frajapan. principalitèr per ſe, & Pellegrino ejus fratre, necnon poſteà ſequebatur quædam particula caſſa, deindè procuratorio nomine Franciſci Perunti, prò quo promiſit de rato, & ſe facturum &c., & Abbas Troylus, & Sebaſtianus fratres dicti Franciſci; prò quo ſimul promiſerunt de rato, & ſe ſe facturos &c. partibus ex altera ad infraſcriptam concordiam paritèr devenerunt. Verùm quia fecerunt pacem, & remiſſionem omnium injuriarium hactenùs illatarum quomodocumque, & qualitercumquè tàm per ipſas partes, aut aliquem ipſorum, ſeù per eorum actores, vel quavis ratione, & deinceps una pars alteri, & altera alteri ſolemni ſtipulatione interveniente, & ſuper erat remiſſum, promiſit, ut ſequitur, non offendere, aut offendi facere alteram partem, ſive aliquem alterius partis directè, vel indirectè; per ſe ſe, vel per alios eorum nomine perpe-

R 2 tuo.

tuo. Et ſi contingerit offenſionem perſonalem committi in aliquem ex dictis partibus, ſi ipſa offenſio facta fuerit in perſona cum armis, & ſanguine offendens; poſteà erat remiſſum ſuper litteram tantum, ſequebatur; teneatur ad pęnam duorum millium ducatorum; poſteà ſequebatur quędam particula caſſa, quę dicit per medietatem, poſteà ſequebatur. Si verò offenſio perſonalis facta fuerit ſine armis, & ſine ſanguine, vel cum armis, & ſine ſanguine teneatur ad pęnam mille ducatorum; Si verò offenſio facta fuerit verbis injurioſis, minatoriis, ſive improperatoriis teneatur ad pęnam decem ducatorum prò medietate applicand., poſteà ſequitur quædam pars caſſa, deindè verò ſequitur, parti læſæ, & prò alia medietate Curiæ Terracinen. Et ſi contingerit Curiam Terracinen. fuiſſe negligentem in exactione dictarum pænarum, vel . . . . ipſarum quod ipſa medietas pænæ applicetur Cameræ Apoſtolicæ me Notario infraſcripto ut publica perſona præſente, & ſtipulante tàm prò Curia, & Camera, quam prò parte cujuſvis intererit. Qui promiſerunt &c. renunciaverunt &c. obligaverunt &c. juraverunt &c. prò quibus, & ipſorum precibus Spectabiles Viri Dominus Leo Gaetanus, & Dominus Chriſtophorus Valena de Terracena tanquam procuratores conſtituti ab hominibus contentis, & deſcriptis in Inſtrumento mandati me Notario, & ſuper erat remiſſum, rogato, & deindè ſequitur &c. Et ipſorum conſtituentium nomine, & juxtà ſeriem eorundem mandati ſponte, & in forma juris valida, & conſueta, poſtea ſequitur quædam particula caſſa, quod bona ſponte, & ſequitur fide jurarunt, qui promiſerunt &c. juraverunt &c. renunciaverunt &c. obligaverunt &c. ſalvis, & reſervatis ſemper capitulis prò parte ipſorum Nobilium de Caſa Roſa præſentatis, quorum tenor talis eſt. *Videlicet in primis che ſi remettano queſti Gentilhuomini de Caſa Roſa, e Maſi Perunti, e lo fratello, e che la Communità ſe adoperi, che ſe faccia la pace con li heredi di Pietro Cannata, e con detto Maſi ſuo fratello. Item, che quelli che amazaro Marcello Roſa ſiano sbanditi fora di Terracina, e che Caſa Roſa li perdoni. Item che li danni fatti à detti Gentilhuomini ſiano ſatisfatti per quelli, che li hanno fatti, ò foſſero ſtati cauſa farli fare, & ſimiliter reſtituire le loro robbe. Item che habbiate à trovare idonea pregiaria à quelli haveſſero à far pace perche lo Signore Pròſpero, e lo*

e lo Signor Fabritio farrà pregio all'una parte, e l'altra, & à chi fallisse, ſia punito per juſtitia, & à corroboratione, e confirmatione ipſius pacis intervenit mutuum oſculum cum tactu manuum &c. preſentibus Magiſtro Domno Hieronymo Cervelloni Presbytero, Nicolao Antonii Dattoli, Domno Joanne Francono Archipresbytero S.Cæſarii, & Presbytero Andrea Magiſtri Leonardi teſtibus ad prædicta habitis, vocatis, & rogatis &c. poſtea ſequitur eodem die in medio chartæ quod eſt caſſum, deinde verò ſequitur, & alia littera. Eodem die anno, menſe, & loco coram prædictis teſtibus me Notario infraſcripto Jacobus Petri Cannatæ,poſteà ſequitur quædam pars caſſa, deindè verò ſequitur promittens principalitèr prò ſe, omnibuſque ſuis fratribus, & ſororibus, prò quibus promiſit de rato, & rati habi. . . . . . & ſe facturum, & juraturum &c. & una. Et Maſius Perunti promittens principalitèr per ſe, ut Maſio Colæ ejus fratre Conſobrino, prò quo promiſit de rato, & ſe facturum &c. ſponte . . . . prætextu homicidii commiſſi per ipſum Maſium in perſona Petri Cannatæ patris dicti Jacobi, & ex quavis alias cauſa promiſerunt omnes injurias hujuſmodi illatas, ac fecerunt puram, veram, & immaculatam pacem perpetuam. . . . . ac promiſſionem, & pactum de ulteriùs non offendendo in perſonam cum armis, & ſine aut verbis ſub pæna, ut præfertur, ſuperiùs ſtipulata. . . . . & ad confirmationem ipſius pacis intervenit mutuus tactus manuum, & oſculum pacis &c. promitten.&c. juran.&c. renuncian.&c.obligan.&c. præſentibus ſupradictis teſtibus &c. poſteà ſequitur aliquantulum ſpacii intermiſſum. Eodem Anno, menſe, die, & loco conſtituti perſonalitèr coram me Notario, & teſtibus inſcriptis Nobilis Viri, Cola Roſa, & Petrus per ſe ſe, & convictorio nomine Jacobi eorum fratris, prò quo promiſerunt de rato, & ſe ſe facturos &c. Et Joannes Roſa principalitèr pro ſe, & nomine Julii ejus fratris, pro quo promiſerunt de rato, & ſe facturos &c. Et Maſettus Perunti pro ſe, & nomine Maſii Colæ ejus fratris Conſobrini, pro quo promiſit de rato &c. ſe facturum &c. poſteà ſequitur vna littera cum dimidio caſſa, quæ rectè legi non poterat,deindè ſequitur etiam una. Et Frater Leonardus Veſchitta, ac Vincentius . . . . partibus ex altera de omnibus injuriis ho-

homicidæ quomodocumquè, & qualitercumque illatis fecerunt puram, veram, & immaculatam pacem, & remiſſionem omnium injuriarum promittens una pars alteri,& altera alteri ſolemni ſtipulatione Inſtrumenti interveniente &c. non offendere, nec offendi facere ſeſe, vel alterum ipſorum per ſe ipſos, aut alios eorum nomine cum armis, & ſanguine, & ſine, aut cum verbis ſub pęnis ſuperiùs expreſſis, & ſtipulan. applicand. Curiæ, & parti modo, & forma, quibus ſupra me Notario præſente, & ſtipulante &c. promitten. &c. juran. &c. remitten. &c. obligan. &c. interveniente mutuo oſculo, & tactu manuum præſentibus his teſtibus &c.

Et ego Julianus Bernardi publicus Imperiali auctoritate Notarius de Ferentino ſupradictum tranſumptum de proprio ſuo originali,ſeù Prothocollo actorum, & Prothocolli Domini quondam Notarii Nicolai copiavi, tranſumptavi, & exemplavi,proùt in ipſo inveni nihil addens, vel minuens, quod quidem tranſumptum auſcultavi, perlegi, & concordavi cum ſuo originali una cum egregiis Viris Notariis publicis inſcriptis, & hæc inferiùs manu propria ſubſcriptis legentibus, auſcultantibus, ac fidem facientibus de actis ſupradictis, & recognitione litterarum coram eximio legis Doctore Domino Pamphilio Verulan. Poteſtate Civitatis Ferent.prò tribunali ſedente ad ſolitum banchum juris Palatii Civitatis Ferent. Qui quidem Dominus Poteſtas prædictus . . . . & videns dictum tranſumptum in omnibus, & per omnia cum ſuo originali, & prothocollo concordare ſuum, & dictæ Curiæ Civitatis Ferent., ac Communitatis ipſius auct. . . . . pariter, & decretum ſalvo jure . . . . in fidem præmiſſorum.Ego Julianus Notarius prædictus ſcripſi, ſubſcripſi tranſumptum, & in hanc publicam formam redegi ad inſtantiam prædictorum, & ſignum meum appoſui conſuetum ſub Anno Domini milleſimo quingenteſimo tertio Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Alexandri divina providentia Papæ VI. Anno 11.Indict.6.menſis Julii die 22.

Et ego Julius Bardanus de Ferentino publicus Imperiali auctoritate Notarius, quia tranſumptioni, auſcultationi, concordationi, & decreti interpoſitioni, omnibuſque aliis, & ſingulis ſupraſcriptis . . . . præmittitur, agerentur, & fierent

una

una cum ſubſcriptis Notariis recognoſcens originale for.,& ſubſcriptum manu ſupradicti Nicolai Baſilis publici Notarii de Ferentino ideò hic me propria manu ſubſcripſi, & ſignum meum appoſui conſuetum.

Et ego Julius Bardarius de Ferentino Notarius &c.ſubſcripſi, & ſignum meum appoſui conſuetum.

Et ego Joannes Baptiſta de Bulbis de Ferent.Not. &c. ſubſcripſi,& ſignum meum appoſui conſuetum.

Et ego Lucas de Bonannis de Ferent.Not.&c.ſignum meum appoſui conſuetum.

Et ego Ambroſius de Matellis Clericus Ferent. publicus Notarius &c.in fidem omnium prædictorum ſignum meum appoſui conſuetum.

Ex dictis colligi poteſt, quod licet præfatæ pacis tractatio habuerit aliquem effectum Anno ſalutis noſtræ 1498., vt præſefert deſcriptum Inſtrumentum,quod Anno prædicto die 18.Maii compoſitos eſſe diſcordes Terracinen.teſtatur, attamen concluſio, ſeù finis univerſalis diſſidiarum civilium contingit Anno 1499. die 18.menſis Auguſti, quo die, & Anno facta eſt univerſalis pax inter Nobiles, & Ignobiles præfatæ Civitatis, uti declarat inſcriptio tabulæ marmoreæ exiſtentis in Vico[Capolalingua).An verò hoc tractu temporis ſcilicet inter acta primæ, & ultimæ pacis quidquam aliud infauſti, aut ſordidi acciderit Terracinæ, nobis ignotum eſt, adeoquè poſteris rem diſcutiendam relinquimus.Certè à noſtris natu majoribus accepimus hac tempeſtate plures nobiles, & civiles familias propter cladium atrocitatem, diſſidiarumquè frequentiam, ut quiete agerent, alio tranſmigratione facta abiiſſe, & Civitatem Terracinæ deſolatam ſylveſcere cępiſſe; quod nonniſi ex prædeceſſorum fama, aut traditione ad eos deveniſſe putamus.

CAP. XIV.

PRænominatis diſcordiarum civilium turbinibus enervata Civitas Terracina, hactenus tamen reſpirabat propter magnificum ſtatum, in quo antiquitùs fundata ſolidas ſtabilitatis egerat radices; unde ejus ſplendor, licet identidem pullularent inter Cives capita diſſentionum, & foverentur in diem ſimul-

ſimultates, viguit ferè uſque ad Leonis Decimi dominatum, ſub cujus Pontificatu durabat adhùc conſuetuto, ut Summi Pontifices tempore ſuæ promotionis ad Apoſtolatus apicem minimè dedignarentur ſignificare Terracinæ gaudia Catholicæ Eccleſiæ novitèr enata. In horum autem numero primus eſt Martinus Quintus, qui electus Pontifex in Concilio Conſtantię hujuſmodi litteras Terracinen. miſit in quibus depoſitionem trium Pontificum, ſeù potiùs Pſeudo Pontificum exponit ità.

Foris.

Dilectis Filiis Poteſtati Communi, & Conſilio
Civitatis noſtrę Terracinen.

Intus.

MARTINUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis filiis Poteſtati Communi, & Conſilio Civitatis noſtræ Terracinen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

MIſericors, ac Miſerator Dominus unigenitus Dei Filius Jeſus Chriſtus, qui cæleſtia ſimul, & terrena ſuæ Majeſtatis Omnipotentia dirigit, & gubernat Sacroſanctam Romanam, Catholicamque Eccleſiam ſponſam noſtram, quam non facto ſolùm, ſed ſui proprii, ac Sacratiſſimi Sanguinis aſperſione fundavit ſuæ pjetatis oculis ab alto reſpectans ipſius viduitatis incommoda poſt reſignationem juris Papatus per olim Joannem XXIII. ac ſubſequentèr per Gregorium XII. ipſiuſque etiam Joannis depoſitionem ab ipſo Papatu, & per privationem, ac depoſitionem de Benedicto XIII. etiam à Papatu hujuſmodi, ut toti orbi jam debet eſſe compertum in generali Concilio Conſtantien., ac per ipſum canonicè celebratas deplorare ulteriùs non eſt paſſus, nam poſt longos, varios, diutinoſque tractatus inter Collegium univerſalium fratrum noſtrorum Sanctę Romanę Eccleſiæ, de quorum numero tunc eramus, ac quoſdam venerabiles Prælatos, & alios deputatos Nationum præfati Concilii ſuper

elę-

electionis futuri Romani Pontificis celebratione ſolemnitèr habitos, & concilia repetita diebus hiis proximis ad inſtar miraculi divina ſuper illuſtrante clementia in ipſo concilio extitit ſummo omnium conſenſu prò effectu ſaluberrimæ unionis in præfata Eccleſia conſequendo, ac totali extirpatione nefandi ſchiſmatis ſalubritèr ordinatum, quod Collegio Cardinalium ad eligendum ipſum futurum Pontificem per quinque Nationes in eodem concilio exiſtentes ſex prò qualibet in coelectores adjungerentur. Ità quod ille, qui per duas partes ipſius Collegii concorditèr, ac ſubſequentèr per duas partes coelectorum cujuslibet ipſarum nationum in Papam etiam concorditèr eligeretur prò unico, ac indubitato Romano Pontifice à cunctis Chriſtifidelibus haberetur, proùt in decretis dicti concilii confectis deſuper, ac ſolemnitèr latiùs continetur, unde ſicut equidem Altiſſimo placuit, eſt effectum, quod celebrata per nationes ipſas electione dictorum coelectorum triginta numero, & approbata per ipſum Conclave die Lunæ octava preſentis menſis circitèr horam quartam poſt meridiem in illius nomine, qui perpetua mundum ratione gubernat Cardinales numero viginti tres, & triginta coelectores hujuſmodi cooperante Spiritus Sancti gratia Conclave libertate, atque ſecuritate, & celeberrima ad extrà cuſtodia munitiſſimum ad pacem Eccleſiæ aſpirantes intraverunt, miſſarumque celebratis de more ſolemniis, ac deindè conſiliis habitis, repetitis, proùt tantæ rei ſublimitas expoſcebat, die Jovis undecima dicti menſis celebratis B. Martini Confeſſoris, atque Pontificis hora quaſi decima eodem ſpiritu, qui fidelium corda vivificat, illuſtrat, atque dirigit ſemper in bonum mentes noſtras uniformitèr, & humillimè, ac etiam concorditèr inſpirante ad Altiſſimi laudem, ac gloriam, & ſtatum ipſius Eccleſiæ, evulſionemquè totalem ex agro Dominico præfati ſchiſmatis Cardinales, & coelectores in nos tunc S. Georgii ad velum aureum Diaconum Cardinalem, licet ex fragilitate humanæ conditionis ad tantum onus regiminis univerſalis Eccleſiæ inſufficientibus humanis eorum unanimitèr diſcrepāte nemine direxerunt in jubilo hymnum Te Deum, & cantico decantantes, moxque intronizavere, ac etiam adoravere ſolemnitèr, ut eſt moris, deniquè ſervatis de more ceremoniis heſterna die nos Apoſtolico diademate coronaverunt. Quæ Univerſitati veſtræ duximus ad veſtrorum jucun-

S dita-

Digitized by Google

ditatem cordium ſpecialitèr intimanda,nam Univerſitatem eandem etiam minori dum fungebamur officio continuatis ſemper affectibus in noſtræ geſſimus,ac gerere intendimus viſceribus caritatis, ac de tranquillo ſtatu veſtro,& aliorum ſubditorum, animarumque, & corporum ſalute jugitèr cogitare, & circa illa ſedulò exponere paternalis vigilantiæ noſtræ curas, nos autem providè certiſſimi reddimur, ſic in devotione, fidelitate, ac obedientia noſtris, & præfatæ Eccleſiæ Matris veſtræ Dominæ, ac Magiſtræ continuatis affectibus, & effectibus perſiſtatis, ut ultrà noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem, & gratiam à largitore munerum ſupernorum valeatis ſempiternæ vitæ gratiam promereri. Dat. Conſtantiæ 10. Kal. Decembris Pontif. noſtri Anno primo.

Innocentiūs quoquè Octavus cum ex Cardinali tit. S. Cæciliæ Anno ſalutis 1484. Pontifex renunciatus eſſet ea de re certiorem fecit Terracinam per ſuas in forma Brevis litteras, quas brevitatis amans in medium afferre ſuperſedeo, dum alias ſuper eadem promotione à Cardinalium Conclavi eidem tranſmiſſas ex Archivio prælibatæ Civitatis egero, atque tranſcribo, ſunt autem tenoris ſequentis.

Foris.

Spectabilibus Viris Prioribus, & Communi Terracinen.
Amicis noſtri chariſſimis.

Intus.

EPISCOPI, PRÆSBYTERI, DIACONI
S. R. E. CARDINALES.

Miſeratione Divina Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi S.R.E.Cardinales. Spectabilibus Dominis Prioribus, & Communi Terracinen.poſt ſinceram in Domino charitatem.

CUm Dominus Deus, ac Salvator Noſter Jeſus Chriſtus plurima dum apud homines verſaretur in genus humanum beneficia contuliſſet, plurimaque etiam exempla, ac præcepta tradidiſſet, quibus ſervatis populus ſuus aditum ſibi ad vitam

vitam pararet æternam : Illud etiam clementiſſimè, ac ſapientiſſimè providit, ut Vicarium ejus in Terris haberemus, qui Eccleſiam ſuam juxtà ejuſdem præcepta gubernaret, & regeret; noſque, & populus ejus, & oves paſcuæ ejus mandata illius, auctoritatemque ſequeremur, ac ne fortè poſt ſuum ab humana converſatione diſceſſum mortalitas ſe rectore deſtitutam crederet, antequam ad illum, qui ſe miſerat, rediret, Vicariatus curam primum Petro Apoſtolorum Principi demandavit; deindè ipſius Dei auctoritate, dignitate, ac poteſtate in ſucceſſores tranſlata tandem per varias ſucceſſiones ad fel.rec.Sixtum Quartum Pontif.Max. pervenimus. Qui poſt multas bellorum clades cum pacem Italiæ firmaturus ſub executione tàm ſalutaris operis quarto Idus Auguſti ex hac turbulenta ad claram, & tranquillam vitam migraſſet, Nos Eccleſiæ ipſius neceſſitati proſpicientes ſervatis tàm exequiarum,quàm aliarum rerum ſolitis ceremoniis apud Baſilicam Petri, in cujus palatio Conclave de communi ordinatione noſtra paratum erat, convenimus. Atquè illic Spiritus Sancti inſpiratione afflati ad electionem Summi Pontificis procedentes poſt aliquas conſultationes non ſolùm unanimi omnium voto, concordiaquè, ſed nemine diſcrepante Reverendiſſimum Patrem Dominum Joannem Baptiſtam tunc tit. S. Cęciliæ Cardinalem Melphiten. nunc Innocentium VIII. omni vita probatiſſimum, juſtiſſimumque in Romanum Pontificem elegimus, qui quidem eo ſtudio, ac diligentia Fidei Catholicę, ac Religionis Chriſtianæ neceſſitatibus aderit, ut omnes populi Chriſtiani noſtram hanc electionem laudaturi ſint,nec meliorem Pontificem deſideraturi. Ea propter vobiſcum, ut decens eſt, plurimum congratulamur. Voſque exindè hortamur, ut pro ſtatu S. Eccleſiæ Matris, & Suæ Beatitudinis una cum ſubditis veſtris, quos quantociùs fieri poteſt, certiores facietis, Deum ſine intermiſſione orare non deſinatis, & preces ſolemnes fundi Altiſſimo faciatis, ut ſua gratia aſſiſtat, & greſſus dirigat, ac ſalutaria ſemper ſubminiſtret conſilia; quibus ea fieri valeant, quæ Dei honorem, Catholicæ Fidei defenſionem, & exaltationem, pacemque, & quietem populi Chriſtiani concernunt. Bene valete. Datum Romæ 16.menſibus Septembris Anno Nativitatis Domini MCCCCLXXXIV. ſub ſignectis . . . . noſtrorum in ordine priorum.

Julius quoque Secundus cum ad Pontificatus apicem evectus eſſet, ſuam exaltationem Terracinæ per litteras indicavit, quæ ſunt hujuſmodi.

JULIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis Communitati, & hominibus Civitatis noſtræ Terracinen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

SAlvator Noſter Dominus Jeſus Chriſtus, ut ab eterna morte liberaret humanum genus mortalitatem noſtrę carnis aſſumpſit, Sacroſanctamque univerſalem Eccleſiam ſua paſſione fundatam in Terris uſque ad conſumationem ſęculi perpetuari voluit, ut gregis ſui oves paſcendas per variam ſucceſſionem Paſtorum, qui eas verbo, & opere ad æternam gloriam invitarent, diſpoſuit. Sanè cum felicis recordationis Pius Papa Tertius prædeceſſor noſter in quintodecimo Kal. Novembris, ſicut Domino placuit, ex hac mortali vita ad immortalem migraſſet poſt funeris ipſius, & ſolemniarum exequiarum, ut moris eſt, celebrationem, Venerabiles Fratres noſtri S.R.E. Cardinales, de quorum numero tunc eramus Romæ in Palatio Apoſtolico apud Baſilicam B. Petri Apoſtolorum Principis, in quo idem prædeceſſor noſter, dum viveret, habitabat, & curſum præſentis vitæ finierat, in Conclavi pro electione futuri Pontificis celebranda modo, & tempore congruis in virtute Altiſſimi convenerunt, ubi variis conſiliis, & maturis deliberationibus præhabitis facta celebratione Miſſæ in honorem Spiritus Sancti poſt diligentem tractatum, proùt tantæ rei, qua nulla major in Terris agitur, gravitas exigebat. Tandem prædicti Fratres, ejus, qui invocatus fuit, gratia cordibus eorum infuſa, licet in alios majoribus meritis inſignes convenire potuiſſent, certo tamen Dei judicio, cujus conſilia inſcrutabilia ſunt. Nos tunc Epiſcopum Oſtien. S.R.E. Cardinalem in Sponſum, Paſtoremque Eccleſiæ ſuæ Sanctæ Kal. Novembris unanimi voluntate, & concordia elegerunt, quoniam verò, ſicut Domino placuit, ità factum fuit, quamvis nos habere humeros imbecilles ad perferendum tantum

onus,

onus, quantum eſt univerſalis Eccleſiæ ſarcina, ſentiremus, tamen ne reluctari videremur Divinæ voluntati colla ſubjecimus jugo Apoſtolicæ ſervitutis ſperantes in eo, qui infirma eligit mundi, ut confundat fortia, cum Romanus Pontifex, licet per miniſterium hominum eligatur, ex cœleſti tamen inſpiratione procedat, quod fragilitati noſtræ robur ſuæ gratiæ inſpirabit, & Vires contrà hoſtes fidei ſuggeret, ut perfidi Turci non ſolùm à ſuis auſibus retrahantur, ſed ope Divini auxilii, & præſidio noſtro, ac Catholicorum Regum, & Principum penitùs conculcentur. Hanc autem aſſumptionem noſtram ad veſtram conſolationem ſignificandam duximus devotioni veſtræ, quos uti peculiares noſtros, & Eccleſiæ filios ſingulari complectimur charitate hortantes eoſdem in Domino primum, ut porrigi faciatis preces ſolemnes ad Dominum Deum Noſtrum, ut nobis ſua gratia aſſiſtat, & noſtræ humilitati gratiam tribuat, ut Eccleſiam ſuam Sanctam ad gloriam, & honorem ejus, exaltationem Fidei, extirpationem hæreſum, ac pacem, & quietem Populi Chriſtiani felicitèr in Domino gubernare valeamus. Veſtra igitur devotio, ut etiam vobis ſimiles decet, à quibus benè vivendi exempla debent aſſumi, Fidem Catholicam veſtram, & Apoſtolicæ Sedis auctoritatem, honorem, & libertatem Eccleſiaſticam protegere, & defendere velitis, ut cœteri fideles exemplo veſtro ad ſimilia invitentur. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo tertio, ſexto Kalend. Decembris Pontif. noſtri Anno primo.

Obiit Julius Secundus, & poſt ejus obitum ad Supremam Apoſtolicæ Sedis dignitatem aſſumptus fuit Leo Papa Decimus, qui aperiens Terracinæ ſuam ſublimationem in eandem ferè ſententiam litteras eidem Urbi dedit.

LEO EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis filiis Univerſitati, & hominibus Terracinen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

SAlvator Noſter Dominus Jeſus Chriſtus, ut ab æterna morte liberaret humanum genus mortalitatem noſtræ carnis aſſum-

aſſumpſit, Sacroſanctamque univerſalem Eccleſiam ſua paſſione fundatam in Terris uſque ad conſummationem ſæculi perpetuari voluit, & gregis ſui oves paſcendum per variam ſucceſſionem paſtorum, qui eas verbo, & opere ad æternam gloriam invitarent, diſpoſuit ſanè cum felicis recordationis Julius Papa Secundus prædeceſſor noſter vigeſima prima Februarii, ſicut Domino placuit, ex hac mortali vita ad immortalem migraſſet poſt funeris ipſius, ac ſolemnium exequiarum, ut moris eſt, celebrationem Venerabiles Fratres noſtri S. R. E. Cardinales, de quorum numero tunc eramus Romæ in Palatio Apoſtolico apud Baſilicam B. Petri Apoſtolorum Principis, in quo idem prædeceſſor noſter, dum viveret, habitabat, & curſum præſentis vitæ finierat, in Conclavi prò electione futuri Pontificis celebranda modo, & tempore congruis in virtute Altiſſimi convenerunt, ubi variis conſiliis, & maturis deliberationibus præhabitis facta celebratione Miſſæ in honorem Spiritus Sancti poſt diligentem tractatum, proùt tantæ rei, qua nulla major in Terris agitur, gravitas exigebat, tandem prædicti Fratres, ejus, qui invocatus fuit, gratia cordibus eorum infuſa, licet in alios majoribus meritis inſignes convenire potuiſſent, certo tamen Dei judicio, cujus conſilia inſcrutabilia ſunt nos tunc Sanctæ Mariæ in Dominica S. R. E. Diaconum Cardinalem in Sponſum, partoremque Eccleſiæ ſuæ Sanctæ 5. Idus Martii unanimi voluntate, & concordia elegerunt. Quoniam verò, ſicut Domino placuit, ità factum fuit, quamvis nos habere humeros imbecilles ad perferendum tantum onus, quantum eſt univerſalis Eccleſiæ ſarcina, ſentiremus, tamen ne reluctari videmur Divinæ voluntati colla ſubjecimus jugo Apoſtolicæ ſervitutis ſperantes in eo, qui infirma eligit mundi, ut confundat fortia, cum Romanus Pontifex, licet per miniſterium hominum eligatur, ex cæleſti tamen inſpiratione procedat, quod fragilitati noſtræ robur ſuæ gratiæ inſpirabit, & vires contrà hoſtes Fidei ſuggeret, ut perfidi Turci non ſolum à ſuis auſibus retrahantur, ſed ope Divini auxilii, & præſidio noſtro, ac Ctholicorum Regum, & Principum penitùs conculcentur. Idcircò exhortamur in Domino veſtram devotionem, ut ſolemni Proceſſine pręhabita una cum celebratione Miſſę Sancti Spiritus porrigatis Altiſſimo veſtras preces humilitèr ſupplicando, ut vobis uberem gratiam largiatur, quæ nós ſufficientes

red-

reddat ad regendam Eccleſiam ſuam Sanctam. Nos enim erga devotionem veſtram diſpoſiti ſumus, ut omnia, quæ cum Deo, & hujus Sanctæ Sedis honore prò veſtris commodis facere poterimus à nobis ſperare poſſitis. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1512. qnarta Kal. Aprilis Pontif. Anno primo. Præfatæ omnes litterę ſervantur in Archivio Terracinen.; ubi, & aliæ plures eandem materiam continentes ſervari debuiſſet, quas quidem temporum injuria, Civiumque priorum incuria intercidiſſe credimus, adeoq; deſiderantur. Cæterum exprælibatis Pontificibus duo inveniuntur, qui privilegia antiqua, & veteres conceſſiones Terracinenſium confirmarunt; nempè Innocentius VIII., & Julius Papa II. ità Communi Terracinæ ſcribentes per litteras in forma Brevis.

Foris.

Dilectis Filiis Communitati, & hominibus Civitatis noſtræ Terracinæ.

Intus.

INNOCENTIUS PAPA VIII.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

DEvotionis ſinceritas, & fidei conſtantia, quam ad noſtrum, & S.R.E. ſtatum geritis, promerentut, ut iis, quæ ad veſtrum commodum pertinent, benigne inveniant. Itaque omnia, & ſingula ſtatuta veſtra, ordinationes, & reformationes, necnon privilegia, gratias, conceſſiones, immunitates, & indulta vobis, & Cõmunitati veſtræ hactenùs conceſſas, & conceſſa per Romanos Pontif. prædeceſſores noſtros, eorumq; Legatos, aut ab eis poteſtatem habentes tenore præſentium approbamus, & auctoritate Apoſtolica confirmamus, quatenùs juſta, & rationabilia ſint, & in præjudicium libertatis Eccleſiaſticæ non tendant, proùt hactenùs laudabilitèr obſervata fuerunt. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris di 7. Septembris 1487. Pontif. Noſtri Anno tertio.

Foris.

Foris.

Dilectis Filiis Syndico, Officialibus, & Communi Civitatis Noſtræ Terracinen.

Intus.

JULIUS PAPA II.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

PRomeretur Fidei, & devotionis veſtræ erga noſtrum, & S. R. E. ſtatum ſpectata ſinceritas, ut vos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequamur. Quocirca omnia, & ſingula privilegia, conceſſiones, gratias, & indulta per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, Apoſtolicoſve Legatos; aut ab eis poteſtatem habentes vobis conceſſa, necnon ſtatuta, & reformationes veſtras; dummodo juſta, & rationabilia ſint; & in præjudicium Eccleſiaſticæ libertatis non tendant, tenore præſentium approbamus, & auctoritate Apoſtolica confirmamus; Volentes inſupèr uberiori vos gratia proſequi. Tertiam partem ſubſidii, ſive cenſus præſentis Anni MDIV. vobis tenore præſentium remittimus, & liberalitèr condonamus in reparationem murorum utilitèr convertendam. Concedimus inſuper vobis, ut ſi quando vos Poteſtate carere contigerit, eligere poſſitis unum Locumtenentem litteratum, ſeù juredoctorem cum auctoritate, facultate, & poteſtate, quas judex, & poteſtas veſter ſoliti ſunt habere abſque tamen præjudicio Collegii Secretariorum noſtrorum; & dummodo culpa veſtra poteſtate ipſo non careatis. In contrarium facientes non obſtan. quibuſcumque. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die ſextà Maii MDIIII. Pontif. Noſtri Anno primo. Sigiſmundus.

Sub Leone Decimo immediato ſucceſſore prædicti Pontificis, quamvis vigeret adhùc Terracinæ ſplendor veteris magnificentiæ, cępit tamen eodem tempore ab illius ſtatu declinare, & ob concatenatas civium diſſenſiones, ac ſimultates in varias miſerias prolabi, uti oſtendunt ſequentes litteræ ejuſdem Leonis in forma Brevis Communi præfatæ Civitatis directæ, quæ ſic ſe habent.

Foris.

Foris.

Dilectis filiis Communitati, & hominibus Civitatis noſtræ Terracinen.

Intus.

LEO PAPA X.

Dilecti Filii. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXponi nobis nupèr feciſtis, quod in ſumma ducentorum ducatorum, vel circa, quam ſub uſuris ab Hebræis, qui in Civitate noſtra Terracinen. habitant mutuo accepiſtis, obligati eſtis, eiſque ob gravia diſpendia, quæ proptèr ſimultates, & civiles diſcordias, quæ uſque ad noſtrum Pontificatum inibi viguerunt, paſſi fuiſtis, ſatisfacere non valetis; & cum ipſi Hebræi nulla onera, vel realia, vel perſonalia vobis præſtent, proptereà deſideretis aliquam vobis dilationem concedi infrà quam cum aliqua commoditate ſummam prædictam eiſdem Hebræis perſolvere poſſitis; quare prò parte veſtra nobis fuit humilitèr ſupplicatum, ut neceſſitatibus veſtris compatientes in præmiſſis oportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque hujuſmodi ſupplicationibus inclinati vobis ad dictam pecuniam eiſdem Hebræis perſolven. dilationem duorum annorum proximè futurorum, dummodo de illa dicto tempore perſolven. idoneam præſtetis cautionem, concedimus, & ut pleniùs hujuſmodi veſtris neceſſitatibus conſulatur, cum inibi Gubernatorem, & Poteſtatem, ac judicem coram quibus conveniri poteſtis, habeatis. Volumus, atque mandamus, quod repreſaliæ contra vos etiam per Cameram noſtram Apoſtolicam conceſſæ in poſterùm dicto biennio durante exequi non poſſint. Mandantes dilectis filiis Locumtenenti, ſeù Commiſſario noſtro, & Poteſtati dictæ Civitatis, ac aliis, ad quos ſpectat, quatenùs præmiſſa inviolabilitèr obſervent, & faciant ab aliis inviolabilitèr obſervari, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus, capitulis, pactis, & conventionibus de ſolvendis uſuris cum dicta Communitate initis, factis, & firmatis, cęteriſque contrariis quibuſcumque. Dati

Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris die 24. Maii 1515. Pontif. Noſtri Anno tertio.

CAP. XV.

QUantum invigilaverit tranquillo ſtatui nautarum Tyrrhenum mare pervagantium, & Urbium, ac locorum ſecundum ejus littora jacentium Alexander Sextus patet ex iis, quæ docet Bartholomæus Chiovarellus in Archiepiſcopo Neapolitano, ubi refert, quemadmodum præfatus Pontifex poſt aliqua indulta conceſſa Alphonſo Secundo Aragon. Regi cum eo fędus inìverit, ut à Monte Argenterio Tarracenam uſque duas triremes tenere vellet, ad hoc ut ceſſat libera navigatio, & tuta à piratis, quod facere Regia fide promiſit. Nihilominùs incaſſum cecidere omnes iſti contractus, & vigiles curæ: Siquidem anno 1534. Clemente Septimo ſedente, qui hoc anno moritur. Ariadenus Barbaruſſa Solimani Turcarum Imp. Maritimæ claſſis Capitaneus totum mare prçlibatum infeſtavit, & Civitates Fundorum, ac Terracinæ, atque alia finitima loca miſerrimum in modum afflixit; In ſpecie Terracinenſibus omnes arbores fructiferas penè radicitùs obtruncavit; extant hujus rei monumenta apud Canonicos ejuſdem Civitatis, quibus magnum terræ tractum oleis conſitum excidit. Narrat autem hujus teterrimi monſtri tyrannides Paulus Jovius lib. 33. pag. 294. ità ſcribens. A Capreis ſupra Neapolim univerſa Claſſis in conſpectum eſt data, adeò terribili ſpectaculo totam eam oram conterruit, ut plerique affirmarent, ſi hoſtis expoſitis copiis ad mçvia repente ſucceſſiſſet Neapolitanos ſubito metu ægrè Urbem fuiſſe difenſuros; eo curſu ad Prochitam provectus opidum cçpit, arciſque exiguæ cuſtodibus ſub fide ſe dedentibus libertatem reliquit, & cum in Cajetæ portum noctu inveheretur ità ad Speluncam ſuperato promõtorio curſum deflexit, ut occupandæ Cajetæ occaſionem parum noviter prætermiſiſſe crederetur, nam & præſidium Urbi, arcique exiguum erat, præſertìm repentino, nocturnoque in metu, & Cajetana juventus aſſueta maritimis quæſtibus, & in prædiis occupata ab Urbe per eos dies aberat. Spelunca opidum extremis Fundanis montibus adjacet, qua deſinentes rupes plagæ maris planitiem excipiunt ex ruina quondam Antri Tiberii Cęſaris inſi-

inſigni periculo in hiſtoriis Cornelii Taciti celebratum. Speluncani in expectato appulſu tantæ Claſſis territi vix tentata defenſione animos deſponderunt, ingreſſuſque hoſtis circitèr mille, & ducentos imbellis maximè ſexus, & ætatis cępit. Refugerat in Arcem Pellegrinus, qui inter Speluncanos divitiis eminebat: Hunc Hariadenus monuit, ut ſeſe dederet, nec vim experiretur, id ſi extemplo faceret integra fide liberum futurum; ſi conaretur ſeſe, atque Arcem tueri brevi ſtultæ pertinaciç pęnas crudeli ſupplicio, atque incendio oppidi protinùs daturum, nec ille metu exanguis diù cunctatur, quin ſpem vitæ, vel in barbara fide certi propè exitii periculo potiorem ducat.Ità egreſſo in littus, & ad genua procurabenti conceſſa libertas, & quod fuit humanitatis uxor, filius, & neptis inter lacrymas præ gaudio utrinque manantes reſtituti. Eadem quoquè nocte ad duo millia è Turcarum claſſe per aſperos, vepribuſque impeditos colles ad Urbem Fundos decem indè millibus paſſuum pervenerunt, ut creditur, ducibus indigenis ex eorum numero, qui ſuperioribus annis mari capti tędio prædura ſervitutis ad Mahometis ſacra defeciſſent. Ea verò advolantium, & refringentium portam celeritas fuit, ut Julia Gonzaga, Proſperi Columnę quondam Nurus vix ſpatium ſit nacta, quo ſeminuda jumento imponeretur, atquè indè jam conſpectis hoſtibus ad montes ſe proriperet. Ferunt Barbaruſſam, ut ipſe poſteà minimè diffiteri eſt viſus eam cum admirabilis formę, tùm virtutis fama florentem capere cupiviſſe, ut Solymano dono daret. Cęterum Fundani cęduntur, atquè omnes ferè capiuntur; facit deditionem Stecatius preter imbellis, qui cum turba mulierum in turrem confugerat cum ſuccenſis jam foribus, & barbarorum clamore, & fęminarum ejulatu terreretur. Turre in poteſtatem redacta Turcę ad ſpoliandum fanum converſi Sepulchris Columniorum Procerum ornamenta detrahunt, vexillaque item militaria picta auro dilacerant, onuſtiquè pręda ad Claſſem revertuntur. Alia quoquè triremium manus Tarracinam divertit, ibi quoquè populo ad montes fuga elapſo in Templa ſęvitum, invalidiquè ſenes, & ęgri aliquot in lectulis trucidati. Is terror à Privernatibus propere Romam delatus ità conſternavit omnium animos, ut ſi hoſtis eo impetu ad Oſtiam eſſet provectus tota Civitas ſeſe in Sabinum, Etruſcumque agrum effuſura crederetur. Eadem claſſis poſt aliquot menſes Paulo Tertio ſeden-

te ad Latinas oras appulit, nihil tamen attulit nocumenti finitimis populis, ut idem Paulus Jovius lib. 43. oſtendit (inquiens.) Quinquè diebus eo colloquio fruſtrà conſumptis, & Cęſare in Germaniam contendente Pontifex [nempè Paulus Tertius] pari digreſſu Bononiam reverſus, ut Feſtum diem Petro Apoſtolorum Principi dicatum ſolemni ceremonia celebraret, quo die Barbaruſſa à Pontiis Inſulis ad Terracinenſium littora delatus Oſtiam pervenit tanto terrore hominum ab ora in montes refugientium, ut Populus Romanus ſubito metu concitatus in fugam Urbem omninò deſerturus eſſe videretur, niſi à Polino litteræ ad Rodulphum Legatum conſcriptæ, perlatęque Romam per Terracinenſium prætorem tumultum magna ex parte compreſſiſſet. In hanc enim ſententiam ille perſcripſerat. Claſſis, quæ à Solymano ad præſidium Galliæ Barbaruſſa præfecto mittitur ex præſcripto mihi paret, ut nemini pręterquam hoſtibus noſtris noceat, itaque edico Romanis, cęteriſque Pontificiæ ditionis oram incolentibus, ut nihil hoſtile à nobis timeant: Hoc autem Polinus Neptunianis, Oſtienſibus nunciavit, & adeò confirmavit animos, ut venale pecus, vinumque atque olera Turcis dederint ſine ulla injuria, licet ager Sabinus, Tiburtinuſque trepidaret, & mulieres videnda juventuti exhiberent, virgineſque à Clauſtris ſe proriperent; Barbaruſſa autem ad Oſtiam Tiberis aquationem nactus optimam triduò, poſt inde diſceſſit ſine maleficio prætervectus Maſſiliam recta contendit: An quidquam paſſa ſit hac, vel alia vice eadem Civitas, mihi dubium; Certè Thuanus lib. 20. hiſtor. ad annum 1558. pag. 415. hæc tradit. Claſſis Turcica CXX. triremium ad Preveſam ex Calabria conſpecta poſtquam Brunduſium, quod feſtinatis operibus muniebatur, prætervecta eſt eodem itinere, quo anteà freto Mamertino ſuperato, & capto, ac direpto Rheginenſi oppido ſtrongylen appulerat; unde ſtatim in ſinum Surrentinum effuſa juxtà Salernum excifione facta, & ingenti multitudine ad IVCCↃ capitum ad fœdam ſervitutem abducta, atque in iis magno numero Virginum Sacrarum, & Monachorum occiſis infantibus, ac ſenibus in Neapolis conſpectum venit; inde Terracina abſconſa Pontificiæ ditionis oppido in Ilvam deſcendit. Edomuit autem ſuperbientium Turcarum ferociam Carolus Quintus, cui Neapoli Romam verſus proficiſcenti Paulus Tertius Terracinam uſque Cardinalem Ioannem

Ma-

Mariam de Monte congratulandi gratia obviam miſit, hanc forſitàn nacti occaſionem Terracinenſes eundem Purpuratorum Patrem benegniſſimum Principem, qui poſteà Pontifex Julius Tertius appellatus eſt ſibi in Patronum aſſumunt, cujus rei plenam fidem faciunt litteræ ſequentes in forma Brevis à Paulo Tertio Terracinen. datæ.

Foris.

Dilectis Filiis Prioribus, & Communitati noſtræ
Civitatis Terracinæ

Intus.

PAULUS PAPA III.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Dilectus Filius noſter Joannes Maria Cardinalis de Monte Vir nobis ſua virtute admodum charus, & probatus, quem ſicut ab eo intelleximus protectorem veſtrum in occurrentibus nuper elegiſtis nobis expoſuit per Gubernatorem veſtrum vobis fuiſſe propoſitum, & de munienda iſta Civitate contra metus Turcarum, & de dirigendo curſu flumicelli, cujus ſtagnatio aerem iſtic inficit. Ea duo Nos executioni demandari volentes cum ex altero ſecuritas; & altero ſalubritas veſtra dependeat, Dilectis Filiis Locumtenenti ipſius Gubernatori veſtri, ac Petro Franciſco de Viterbio in his peritiſſimo, quam ſicut accepimus ad hoc vocaſtis ea ipſa conjunctim, & unanimi conſenſu perficiendi, & exequendi, cunctaque ad hoc pertinentia, ac neceſſaria, & oportuna ſub quibuſvis pœnis eidem Locumtenenti viſis ordinandi, & præcipiendi, inobedienteſque mulctandi plenam & omnimodam tenore præſentium concedimus facultatem contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Dat. Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XVI. Martii MDXXXVII. Pontif. Noſtri Anno tertio.

Quod autem prælibatus Eminentiſſimus Princeps Carolo Quinto Imp. Maximo Terracinam uſque proceſſerit, locuples teſtis eſt Victorellus in addit. ad Ciacconianum opus in Vita Julii Ter-

Digitized by Google

Tertii ad annum 1550., ubi effatur ità. Carolo Quinto Tunetana victoria potito Neapoli Romam petenti Pontificis nomine obviam Terracinam uſque abit (nempe cum adhùc cardinea infula clarus eſſet.) Acceſit itaque Terracinam Carolus Quintus, & in ea commoratus vetuſtiſſimas Romani Imperii magnificentias in ruderibus illis magnorum parietum extantium, & in terram eliſorum admirari non dedignatus eſt, ut fama refert, & Cardinalis Joannes Maria de Monte Civitatis Terracinen.patrocinium arripere minimè deſpexit (qui uſus poſtmodum ità inolevit, ut ad hodiernam uſque diem pervigeat, eandem Urbem ſub fauſtiſſimis auſpiciis patrocinante Eminentiſſimo Principe de Pamphiliis quamvis eo temporis, nimirum ſub Paulo Tertio, defecerat hæc Civitas à ſtatu ſuæ veteris amplitudinis, & varias perpeſſa calamitates populo infrequens evaſerat, uti inuunt litteræ præfati Pauli Tertii in forma Brevis tranſmiſſæ Gubernatori Terracinen.,quę ſic habent.

Foris.

Dilecto Filio Joanni Gaſpari Argulo utriuſque Juris Doctori familiari noſtro noſtræ Civitatis Terracinen. Gubernatori.

Intus.

PAULUS PAPA III.

Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CUm ſicut nobis nuper expoſuiſti, licet retroactis temporibus Civitas noſtra Terracinen.populoſa, & mille focularibus, & ultrà referta fuiſſet, & tunc juxtæ ipſius Civitatis ſtatuta prò illius regimine novem Officiales unus Syndicus,& unus Camerarius eligi conſueviſſent, ac conſilium centum hominum in majoribus negotiis ejuſdem Civitatis congregari, tamen cum in pręſentiarum ob ſuccedentium temporum ſiniſtros eventus numerus focularium prædictorum ad numerum ducentorum, vel circa ſit redactus, & ob habitatorum defectum tot Officiales eligi, vel creari, & tot homines ad conſilium congregari non poſſint.

ſint. Tu ipſius Civitatis Gubernator habito ſuper hoc cum primatibus ipſius populi congregationem in palatio Communis juxtà formam antiqui conſilii generalis de eorundem ſpeciali, & expreſſa voluntate numerum novem Officialium prædictorum ad quatuor, & unum Syndicum cum Camerario adjectis quibuſdam conditionibus videlicèt reſidendi certo tempore in palatio Communis, & exigendi, ſive exigi faciendi quoſdam reditus, & proven. dicti Communis prò tempore occurrentibus, necnon proviſionem ipſis ſolven. de bonis ejuſdem Communis proùt latiùs in reformationibus dicti generalis Conſilii in libro Cancellariæ dictæ Civitatis reperitur expreſſum, reduxeris, dictoſque Officiales, & Syndicum ſorte quolibet ſemeſtri extrahendos in buſſulam redegeris, nobis humilitèr ſupplicaſti, ut prò illius Civitatis tranquillo ſtatu reductionibus, conditionibus, & proviſionibus hujuſmodi robur noſtrę approbationis adiicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictæ Civitatis proſperum regimen, & felicem ſucceſſum paterno zelantes affectu hujuſmodi ſupplicationis inclinati reductiones, conditiones, & proviſiones hujuſmodi Apoſtolica auctoritate, ac tenore præſentium approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuæ firmitatis robur adiicimus, illaſque firmiter obſervari debere decernimus ſupplentes omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtan. præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon dictæ Civitatis ſtatutis, conſuetudinibus, reformationibus, & decretis, & juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, cęteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Marcum ſub annulo piſcatoris die 22. Junii 1540. Pontificatus noſtri Anno ſexto. Bloſius.

In libro ſtatutorum hujus Urbis extat quoque præfatæ reductionis memoria, nempe quod Corpus Magiſtratus ex novem redactum fuerit ad quatuor Officiales, ubi agitur de aliis multis, quæ quia pertinent ad Cives Terracinenſes, ab eiſdem tantummodò leguntur. Audiſti benigne Lector ex ſuperiùs relatis, quantum exciderit Terracina ex priſtino. Suæ amplitudinis honore, mox de eadem pejora excipies; ſub Paulo enim Quarto mirum in modum oppreſſa fuit, ſiquidem ab Albenſi Duce vi armorum capta agrorum, villarumque vaſtationem, & Suburbiorum demolitio-

litionē ſuſtinuit præter alias ærumnas, clades, & calamitates, quæ nobis ignotæ ſunt. Breviter ejus direptionem, ità narrat Thuanus an. 1557. pag. 358. lib. 17. Mox promoto Anagniam verſus exercitu Privernum, Terracina, Antium, Fumonium, Ferentinum, & Alatriū ultro deditione facta in Albani Ducis poteſtatem venere eadem fere tradit Hieronymus Ruſcellus ſerm. 1. pag. 13. de bello inter Regn. Neap., & Camp. Rom. cujus opera Italicè ſcripta legimus; at Anno ſuperiore 1556. lib. eodem idem Thuanus ait. Infirma fere cuncta Pontificiæ ditionis oppida ſunt, ſatiſque habuere priſci Pontifices, ſi reverentiam, & obſequium ſibi debitum conſervarent ſcilicet Principum his enim præſidiis ſe abunde tutos, & ſecuros eſſe exiſtimavere; præterea nulla in limite munita loca, & inde ab Aſculo, & Terracina à Rege Angliæ cingimur, ab altera parte hinc ad Ariminum, & montem altum Etruriæ. Clariùs, ut mihi videtur, exponit hujus rei eventus Reu. P. Fr. Abraham Bzovius Ord. Prædic., qui tomo 12 annal. Eccleſ. ad annum 1556. num. ſexto ait. Ibat à Rege Philippo Garzias Laſſus ad Pontificem, & inde ad Albanum ſpecie quidem, ut de concordia ageret, revera autem, ut Albanum urgeret, ut is Romam quamprimum exercitum duceret; Eam rem per litteras Terracinæ interceptas cum Pontifex cognoviſſet Joannem Taſſium Curſorum præfectum, & Garziam Laſſum Romæ in carcerem conjecit irarum plenus, quod ſub pacis colore bellum tamen inferret Philippus, & n. 7. idem anno eod. inquit, & ab Aſculo, & Terracina à Rege Angliæ cingimur, & ab altera parte ad Ariminum: num. autem 19. ann. d. 1556. præfatus Bzovius ità refert Civitatis Terracinæ direptionem: Acceſſit, quod nondum finitis illis octo dierū induciis Cęſariani Tarracinā diripuiſſent, Neptuni portum, & Privernum cepiſſent, quę res Paulum Pontificem exacerbavit, & tractationem eripuit. Inde Albanus Velitras petere voluit, ſed Pontificii milites ità ſe geſſerunt, ut illis eodem proficiſcendi cupiditatem ademerint. Multa vero contrà Pontificem effudit Albanus Dux tempore hujus belli, ut idem auctor tomo, & Anno eodem n. 11. memorat; ac primum queſtus eſt, quod Neapolitanos exules Paulus contra veterum Pontificum morem non ſolùm recipiat, verùm etiam illorum opera utatur &c. quod Abbatem Briſengum Romam à ſe miſſum in cuſtodiam dederit (Briſengus venenum habere deprehenſus, id ut Paulum Fratriſque ejus filios de-

me-

medio tolleret, præparaſſe confeſſus eſt) Curſorem item Terraci-nenſium, ac Joannem Antonium Taſſum, qui nihil aliud, niſi quod ex officio prẹſtare debebant, patrarunt. Quod autem Terracina erepta à Pontifice miſerrime jacuerit ſub dominio Ducis Albenſis, conſtat, ex litteris datis ibidem à Don Bernardo de Cordua, quem ille elegerat Capitaneum ad Guerram, Gubernatorem, & Caſtellanum Civitatis Terracinæ, & Terræ Setiæ; Hic poſtmodum Joannem Paulum Flormontium ſuo loco ſubſtituit, cui ſequentem epiſtolam exaraſſe narratur.

Don Bernardus de Cordua per Illuſtriſſimum, & Excellentiſſimum D. Proregem [ſcilicet Ducem Albẹ erat Vice Rex Regni Neapolis] Gubernator, & Capitaneus ad Guerram, & Caſtellanus Terracinẹ, & Setiẹ electus, & Duputatus.

Magnifico juris utriuſque doctori Domino Joanni Paulo Flormonnio de Civitate Sueſſa nobis dilectiſſimo ſalutem, & diligentiam in commiſſis.

Virtutum tuarum merita, probitas, ac laudabilia geſta, quibus apud nos digno commendaris teſtimonio, nos inducunt, ut te quibus poſſumus honoribus, & favoribus proſequamur. Hinc eſt, quod viſa electione à Civibus Setiæ facta de te in ſuum Poteſtatem, te Dominum Joannem Paulum prædictum Locumtenentem, & Poteſtatem Setiæ, cum illùc te contuleris ad dictum officium incohandum, & ut ſequitur finiendum, & deindè ad noſtrum beneplacitum cum honoribus, & oneribus ſalario, & emolumentis ſolitis, & veluti in officio tui prædeceſſores habere conſueverunt, harum ſerie facimus, conſtituimus, & deputamus, mandantes Syndico, & Officialibus Setinis, & aliis, ad quos ſpectat, quatenùs te ad dictum officium, & ejus liberum exercitium recipiant, & admittant, tibique faveant, & aſſiſtant, & ſecundum rei exigentiam obtemperent &c. ſub pæna arbitrii noſtri, in quorum fidem has tibi fieri fecimus noſtra propria manu ſubſcriptas, & ſigilli noſtri impreſſione munitas. Datum in Civitate Terracinæ die ſexta Novembris 1556.

D. Bernardus de Cordua.

Hac eadem tempeſtate Paulus Quartus Terracinenſium ſtemma, quod binas Turres, geminoſque Leones cum porta patenti in medio elevat, proprio ſuæ familiæ Inſigni, & Diadema-

V te

te Pontificio, quod ſuper eminens claves in formam Crucis connexas habet, & triplici corona cingitur, exornavit; Tanti autem decoris Terracinæ indulti cauſam, rationemq; poſteris, ubi otium fuerit, indagandam relinquimus, nam certè admiramur; Præterea Judæos, qui dictam Civitatem incolebant, in Urbem compulit, ibidemque cum aliis multis coactos, & unitos Caſtro peroppurtuno præcluſit. Verum enim verò prædictæ omnes cladium atrocitates, & procelloſæ ærumnæ tanti non erant, ut Civitas Terracina emergere à ſuis miſeriis nequiret ampliùs, niſi ob crebram morborum popularium graſſationem, præſertim ſub Gregorio XIII. quando ſęviit morbus ille peſtifer vulgò (il Caſtrone) ultimum exterminium in ſuis Civibus experta eſſet, adeò ut ad 40. familiarum capita tota Civitas redacta penitùs contabeſceret; Unde idem Gregorius XIII. animo excitandi novam Urbem in aere ſalubriori, redditus, ac proventus Terracinen. ſequeſtro appoſito fidei, curæ, & miniſterio, ſeù gubernio Illm̃i Theſaurarii generalis commiſit, en ſubſequens Breve exindè emanatum.

Venerabili Fratri Thomæ Epiſcopo Sorano Theſaurario noſtro Generali.

GREGORIUS PAPA XIII.

Venerabilis Frater ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CUm Populi noſtri Terracinen. ſaluti, & incolumitati conſulere paterna charitate cupiam, quoniam is locus, ubi nunc habitat propter aeris intemperiem, & gravitatem valdè, ut ipſa ratio, & uſus docet, habitatores noxius eſt, in locum ſalubriorem traduci, eum & novam Civitatem hac de cauſa in Monte Sancti Angeli conſtrui, & ædificari juſſimus, ſed cum præter cętera ad hanc ipſam Civitatem muris cingendam non pauca impenſa opus ſit, idque ad publicam ejuſdem populi utilitatem, & defenſionem præcipuè pertineat, idcircò æquum, & juſtum maximè videtur, ut Communitatis ipſius Terracinen. redditus, & proventus, qui publicè percipi ſolent, hinc etiam publico illorum commodo ſerviant. Quocircà fraternitati tuæ committimus, & mandamus, ut noſtro, & Cameræ Apoſtolicæ nomine omnes, & quoſ-

& quoſcumque fructus, redditus,& proventus ad ipſam Communitatem, & Populum ex quavis cauſa ſpectantes, & pertinentes apud homines fide, & facultatibus idoneos ſequeſtro poni cures, ità ut poſthac nihil ex eis ſolvatur cuiquam, niſi abs te, vel aliis, quos ad id deputaveris, juſſum fuerit; dantes prætereà tibi plenam, & liberam poteſtatem, & facultatem ejuſdem Communitatis agros, ſylvas, paſcua, & alia quæcumque bona vectigalia, redditus, & proventus uni, vel pluribus proùt tibi, vel ab hoc abs te conſtitutis placuerit pro pretio bene viſo locandi, mercedeſque, & pretium hujuſmodi exigendi, necnon conductoribus etiam, ſi quod hoc tempore ſolvere debeant, ne quidquam alteri hoc nomine præterquam tibi,vel deputatis ſupradictis ſolvant, inhibendi, ac propterea Officialibus, ac Communitati ipſi diſtrictiùs percipiendi, ne poſthac aliquid ex dictis bonis, & redditibus exigere,vel in eis ſe quocumque modo intromittere audeant, eam autem pecuniam, quæ redacta indè fuerit ad novæ Civitatis mænia ædificanda fidelitèr erogari volumus, & mandamus, declarantes durante hujuſmodi fructuum, & reddituum depoſito, exactione, & erogatione ſalarium Gubernatori prò tempore ibi exiſtenti, & quæcumque alia ſubſidia, & impoſitiones Camerales ex eiſdem fructibus, & redditibus per illorum depoſitarium, ſeù alium ad id ante deputandum ſolvi debere; non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & dictæ Civitatis ſtatutis, & conſuetudinibus, & juramento, confirmatione Apoſtolica,vel quavis firmitate aliqua roboratis,privilegiis quoquè, indultis, & litteris Apoſtolicis eidem Communitati, & hominibus publicè, vel privatìm ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis conceſſis approbatis, & innovatis, quibus omnibus illarum tenores præſentibus prò ſufficientèr expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxàt ſpecialitèr, & expreſsè derogamus, cçteriſquè contrariis quibuſcumquè. Datum Romæ apud S.Petrum ſub annulo piſcatoris die 20.Aprilis 1574.Pontif.noſtri Anno ſecundo.

Tranſcripſimus hoc Breve ex quodam libro exiſtente in Cella ſecreta Magiſtratus Terracinen.,ubi inſertum legere eſt ad pag.89. an.1572.Cçterum id, quod ordinaverat Gregorius XIII. confirmavit Sixtus Quintus immediatus ejus ſucceſſor conſt. 36. Bullæ 100., uti videtur innuare Jacobus Choelius in Bulla boni

regiminis cap. 16. de Theſaurario num. 48. iis verbis. Civitatis Terracinen. introitus curat, illamque reparandi, & ſalubriori loco reædificandi licentiam habet [nempè Theſaurarius:] Porrò Sixtus Quintus haud ignarus miſerrimi ſtatus, in quo Terracina jacens ab omnibus deſpiciebatur, eam ſi fieri poterat, in pristinum ſplendorem reſtitui optabat, ideoquè plura meditatus eſt, nam præter Urbis renovationem duas alias res magnificentiſſimas efficere volebat, nempè paludes Pomptinas exiccare, & novum portum conſtruere, at morte preventus eorundem deſiderium nobis reliquit: Adeò autem cordi erat tàm Illuſtre facinus Sixto, ut aliorum miniſterio, relatibuſquè minimè contentus Pontifex Terracinam accedens cuncta propriis oculis luſtrare voluerit: Extat memoria ejus adventus apud Fratres Ord. Minor. Conventualium S.Franciſci in libris proventuum,& impenſarum, ubi die Sabbathi decima quarta, & die Lunæ decima ſexta menſis Octobris anno 1589.tempore Guardianatus R.P.Fr.Joſeph Siculi mentio fit de eleemoſynis acceptis, & ſumptibus factis prò Fratribus ejuſdem Ord.Sixto V.Terracinæ manente:Preterea noſtra ętate ſpectabatur in Atrio Eccleſię Conventus pręd.Fratrum, ubi prælibatus Pontifex commoratus eſt, non indecens in pariete bene lævigato, pictura, in qua expreſſum erat ſtemma Sixti Quinti, Prorex Neapolis ad pedes Pontificis procumbens, ac demùm ipſe Pontifex Pontificio more veſtitus dexteram elevatam habens ad benedicendum; hanc vero picturam incurioſi ejuſdem Conventus Laici dealbarunt, ità ut vix quædam ſigna exiſtant. Poſt hæc autem tempora, cum tàm nobiles, tàm inclytæ generoſo Sixti animo inſidentes curæ fruſtra eſſent, eò miſeriarum deventum eſt, ut ſylveſcente Civitate propter infrequentiam Populi herbis ubique pullulantibus, fruticantibuſque ubique ceſpitibus Vicus, & plateæ Terracinenſes pratorum inſtar vireſcerent, & præter paucos incolas ex morbo peſtifero ſuperſtites nemo eſſet, qui aut ibidem habitare vellet, aut vacantibus Eccleſiam beneficiis oculos, animumque adiiceret, quam ob rem plura Templa in præceps cecidiſſe ſcimus; Sacri Paſtores ovium, nimirum Epiſcopi Terracinenſes relicta Civitate, & Epiſcopio per loca Diœceſis vagabantur, donec Cæſar Vintimilia Terracinen. Antiſtes Sedem fixit in oppido Setiæ, ubi, & palatium Epiſcopale à fundamentis excitavit. Hæc novitas tanto fuit detri-

Digitized by Google

trimento Terracinæ, ut præter maxima Damna, quæ in dies experitur, coacta fuerit ſuperioribus annis ſuper jure abſoluto ſuæ Cathedræ varias, & acerbiſſimas lites ſuſtinere: quia verò Eccleſiam ſuam Principem jam jam prolapſuram cernebat, prò ejuſdem reparatione plures ſupplices litteras dedit, quæ optatum eventum non ſunt conſecutæ. Tandem quaſi hoc eſſet Divinitùs inſpiratum Sanctiſſimo Noſtro Clementi Papæ XI., extemplo ab eodem expeditum vidimus Viſitatorem Apoſtolicum prò dicta Civitate Terracinen. ejuſdem Diœceſi Illuſtriſſimum Dominum Victorem Felicem Couccium Epiſcopum Fundanum, qui in Viſitatione cuncta ſincero, defæcatoque animo ordinans nobis ſuæ germanæ probitatis eximium ſpecimen dedit; obduruit tamen iis decretis, quæ fecerat ille, Epiſcopus Terracinen., & multa prò ſe congerens contrà Commune hujus Civitatis cauſam deduxit in Sacram Congregationem Epiſcoporum Regularium, ex qua tale decretum emanavit.

Die 11. Decembris 1705.

In decisis, & Epiſcopus Viſitator aſſignet Epiſcopo Terracinen. ſcuta 600., ex reliquis incumbat celeri reparationi. Eadem die vertentis Anni 1405. ex mandato ejuſdem Sacræ Congregationis ſcripta eſt Epiſcopo Viſitatori epiſtola ſequentis tenoris.

Illuſtre, e molto Reverendo Monſignor come fratello.

Riferita in Sacra Congregatione dall'Eminentiſſimo Sperelli la controverſia introdottavi circa la reparatione della Cathedrale di Terracina, e proviſione delle Sacre ſuppellettili della medeſima; Queſti Eminentiſſimi miei Signori volendo, che reſti fermo, e nel ſuo vigore il ſequeſtro appoſto ſopra i frutti della Menza Veſcovale, mi commandano di ſcrivere ad V.S., che aſſegni à Monſignor Veſcovo di detta Città ſcudi ſeicento annui di moneta Romana per la di lui Congrua, e del rimanente, che ſi ritrarrà dei frutti ſequeſtrati, ella ne faccia riparare prontamente la Cathedrale, e provederla delle neceſſarie ſacre ſuppellettili, nel che l'EE. loro incaricano la di lei conſcienza, & il Signore Iddio la proſperi. Roma 11. Decembre 1705.

Come Fratello
G. Card. di Carpegna
N. Grimaldi Segretario.

Hec

Hæc ſunt, quæ de Civitate Terracinæ à nobis dicenda erant: Cętera, quę ſuperant, aliis inveſtiganda, & perſcribenda relinquimus; interim quoniam felicioribus auſpiciis (nam diù febri laboravimus) ſe dant nobis ineuntis Anni 1706. exordia, ſecundum librum pręſentis operis aggredi non pigeat, præſertim cum iis, quę continet, & ſi adhùc primam manum non impoſuimus, certè pręluſimus.

DE HISTORIA TERRACINEN.

LIBER SECUNDUS.

PROŒMIUM.

CUM Textoris munus obierim in hoc volumine compingendo, nemo erit, qui me arguat, ſi claudicet in diſtributione noſtrum opus; aut ſi rudi ſtylo, craſſaquè Minerva ea, quæ ſcripta ſunt, ducta fuere: Quamvis enim meliori ordine diſtinctas, & ſelectiori verborum ornatu deſcriptas res Patriæ concinnare poteram, quia tamen tempus ſæpè ſtylum vertendi non ſuppetebat, cum medicis curis eſſem diſtractus, & quia non raró licentiam proprio genio indulgendi ingenuus ſibi arrogat Scriptor, mirum eſſe non debet, me hujuſmodi libertate uſum à legibus benè diſponendi hiſtorica monumenta declinaſſe, ac potiùs meæ mentis conceptibus, & arbitrio, quàm Artis præceptis conformaſſe ſcribendi rationem, & forſitàn multa, quæ in primo dicere debueram, perperam in hunc ſecundum librum tranſtuli, & vice verſa: Quod venia dignum erit, ſiquidem ſcriptor hiſtoricus non ſum, nequè famæ cupidus, ut nomen meum ire per ora Virorum audirem, in hanc deliberationem deveni, quæ profectò in animum non obrepſit, ſed protinùs illapſa eſt; Etenim cum Natale ſolum affici nonnullorum dicteriis intelligerem, me continere non potui, quin calamum arriperem, reſquè Patrias inquirerem, colligerem, atquè deſcriberem, quas quidem ruditèr, & proùt jacent, non verò multis periodorum rotundè ſonantium, lepideque cadentium ornamentis contexui, quo-

quoniam præſtantiùs eſſe videtur, ut potiùs alii, quàm ipſe, & ut potiùs aliorum auctoritates, quam mea ſcripta, aut laudes abjectam, deſpectamquè Patriam extollant: Sed ne longiùs abeam; continet hic liber acta Civium Terracinenſium, eorumquè familias, ac Viros Illuſtres, atque alia recenſitu digna, quę nobis indagantibus occurrerunt, amplectitur. De reliquis, ſi quæ ſuperſunt, videant poſteri.

CAPUT I.

De Civibus Terracinen.

FOrtes, ac jaculo utentes in modum veru erant olim Terracinenſes, nunc verò vileſcentes niſi venatui incumberent, otio contabeſcerent: Verutorum uſum apud eos viguiſſe docet illa conſuetudo, quę penès reliquos Volſcos Terracinen. dominatui obnoxios, adeò invaluerat, ut omnes iis, quaſi ex præſcripto ordine cum hoſtibus congreſſuri uterentur, hinc Virgil. 2. Georg. ait Volcoſque verutos: Fortitudinis argumentum ſuggerit ipſorum ſuprà cæteros Volſcæ Regionis incolas antiqua dominatio [teſte Catone in lib. de origin.], ac tarda eorumdem expugnatio facta à Romanis, quibus per longum temporis ſpatium reſtitere, negotiumque haud leve faceſſerunt, ac tandem arguta quadam fraude à Fabio Servilii Stalę ſocio, qui imminentem Urbi collem cæpit, obſtupefacti, expugnatique in ditionem Populi Romani, ſicut reliquæ gentes venerunt. Prætereà fortitudinis nota vel ex ipſorum ſtemmate deſumitur, duas enim Turres, duoſque Leones, in quorum medio Porta patens conſpicitur, prò Inſigni elevant Anxurates: Turres ſignum priſcæ fortitudinis eſſe, & Leones idem, aut animi magnitudinem arguere, quis ibit inficias? Porta patens in medio horum conſiſtit, vel quia ob animi robur Terracinenſes nullas hoſtium opes, vireſque reputabant, vel quia apud eoſdem tanquam veros Janigenas in Templo Jani tempore belli patebat, tempore autem pacis claudebatur, unde Patulejus, Cluſius cognominatus eſt Janus. Plura bella geſſiſſe cum Gentibus finitimis, & ſuperbientium temeritati, atque jugum excutientium audaciæ reprimendi cauſa faſtum plurièS obviam iviſſe prò certo eſſe poteſt; cum iis verò aliquandiù

diù luctatus regalia ſceptra ſuſtulit; Oſcorum, Volſcorumque Dominus univerſam illorum regionem ſui juris fecit. Quo autem tempore, aut quo caſu à veteris dominationis apice dejectus Populus Anxurnas exciderit, ignoratur; ignorantur etiam propter ſcriptorum inopiam egregia Terracinenſium facta, non ſolùm ea, quæ ante Romam conditam, verum etiam, quæ poſteà progreſſu temporis enituere; adeò ut vix nonnulla, quæ poſt natum Jeſum evenerunt, reperiantur. Veteri fortuna opulentos facit Livius lib.4., ibidemque à Romanis expugnatos docet, ſub quorum imperio ità ſubditi vixerunt, ut apud eoſdem præoculis fuerint, adeoquè ne quid mali ſubirent, ſemper providerint, uti potiſſimum legitur penès Polybium lib.3., ubi fœdus Romanorum cum Carthaginenſibus narrat ità: Similitèr Romani de Latio, cavent enim, ne fiat injuria Ardeatibus, Antiatibus, Circenſibus, Terracinenſibus; hæc autem ſunt oppida Latii, quæ legibus hujus fœderis volunt eſſe comprehenſa: Hinc mirum eſſe non debet, ſi Civitatem ipſorum modò Coloniam, modò factam Municipium, pluribuſquè ædificiis, villiſquè magnificis à Romanis exornatam intelligamus. Quinam verò fuerit primus, medius, ac poſtremus Terracinenſium ſtatus, ne cocta recoquam, recole quæ ſuperiùs diximus de Civitate Terracina, aut certè ex inferiùs dicendis in liquido erunt. Porrò Anxurates non ſolum fuerunt accepti apud Romanos, ſed etiam in magno honore habiti ſunt apud alios Principes, Reges, Summoſque Pontifices: Rem ità ſe habere recenſenda monſtrabunt. Mores ipſorum antiquitùs varii perindè ac imbuebantur à profugis Græcis, aut Spartanis, aut aliis populis, quibuſcum commixti vitam communem duxerunt; poſtmodum à Romanis debellati, cum eiſdem obnoxii viverent, ab ipſis mores egregios hauſerunt, ac Latinum ſermonem mutuati ſunt; priùs enim idem erat Idioma cum Oſcis, & Volſcis, quibus dominabantur: Leges, ac ſtatuta omnem germani juris æquitatem habentia ità præſcripta erant, ut Reipublicæ multum proficerent, & ad Civitatis ſplendorem, ac honeſtatem quampluri-mum facerent: Defunctorum cadavera, ut in propatulo eſt, non intrà, ſed extrà ipſorum Urbem tumulabantur in loco, qui hactenùs appellatur vulgò (gli Monumenti) hac verò lege, ut infimæ ſortis, ac inferioris notæ homines hic tantùm, cæteri verò nobili ſanguine prognati ad libitum alibi ſepelirentur proptèr ma-

gnifica atavorum, proavorumque monumenta, quorum veſtigia paſſim per Viam Appiam, ac proximos colles viſuntur: Ab his tamen aberant Sepulchra Chriſtifidelium, poſtquàm Chriſtiana Religio radices agere cępit Terracinæ, ſiquidem prò ipſis remotus erat locus propè Oratorium S. Salvatoris ad Vallem Sanctam, ſeù Vallem Sanctorum. Quibus opibus affluerent, quibuſque Viribus pollerent Terracinenſes, vel ex hoc colligi poteſt, licet enim pluribus damnis, cladibuſquè affecti fuerint à Gothis, Vandalis, Longobardis, Saracenis, aliiſquè barbaris Gentibus præter antiqua excidia à Pęnis, Latinis, aut etiam Romanis ſibi illata, nihilominùs uſquè ad milleſimum ſuprà quingenteſimum ſemper in robore, & flore rerum omnium viguere. Hinc à Bonifacio Octavo in Bulla relata à nobis lib. 1. cap. 9., qua Cives Terracinen. inter ſe digladiantes componi, præcipitur, ità celebratur eorum Urbs: Verendum, inquit, occurrit, ne dicta Civitas, quæ multis utiquè hactenus Viris decorata prudentibus, conferta divitiis, & delitiis affluens exiſtebat, in extremum collabatur exterminium:. Verum enim verò hæc poſtrema Bonifacii verba vaticinium fuere; Siquidem Anxurates paulatim in varias ærumnarum anguſtias decidentes cunctis opibus, bonis, fortuniſque, quibus eminebant, defloruere; quapropter præfata Civitas Civibus exhauſta prudentibus, populo infrequens facta, divitiis, & delitiis emuncta, ab univerſis deſpecta, in cunctis jacens, & in ſuis miſeriis immerſa marceſcere viſa eſt, adeò ut, quæ priùs vividum corpus Civitatis cum ſuis Incolis efformabat, non ampliùs Civitas, ſed potiùs Civitatis cadaver appareret, niſi quod nuper veluti reviviſcens cæpit articulos movere, populo frequentari, Civibus florere eruditis, ac aliis ſcatere bonis, & à tantis calamitatibus emergens reſpirare. Ut autem ad vetuſtiora redeamus; indulſit Papa Gregorius (an fuerit Sextus, vel Septimus penitùs ignoro) Terracinen. ipſam Civitatem cum omnibus pertinentiis ſuis, qua ſuper re ſervatur in Archivio Terracinen. diploma ſequens, per vetuſtum.

GRE-

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Terracinenſibus Omnibus.

CUm tantæ immenſitatis veſtræ excellentiæ, quam circà noſtrum Apoſtolatum non ſolum, quæ noſtro ore veſtris ſonuit auribus explere curaſtis noſtra juſſa, quæ reppetere valuiſtis efficacitèr juge ſub noſtris Almificis præceptis providimus tantùm Romanam Eccleſiam veſtris exhibitionibus non eſſe abnuendum. Compenſare oportet quomodò deinceps valeatis perſpicaciùs in ea curam habere; prævidimus enim, ità contingere. Ideò cum magno animo, & mente noſtra gratiſſima vobis concedimus eandem Civitatem, in qua commoraturi eſtis, ut ampliùs, & perfectiùs meliùs valeatis dominari, & detinere hoc eſt Terracinam Civitatem, ſicut de ſtirpe hominum germina protrahet, & veſtro condecens jure eſſe judicandum, ità etiam cum omni rerum ratione, & ſui datione, & vectigalibus qualiſcumquè mos tribuendi, inde videtur eſſe tàm de intus, quàm de foris, verum etiam quo extendit intra ipſum mare milliaria numero duodecim, nam & in agris, ſylvis, montibus, ejuſquè prædiis, & poſitum fuerit locis, quæ ſolita eſt, ipſam Terracinam Civitatem, verùm campis, terris, padulibus, ripis, aquis cum ſuis piſcariis, necnon cum omni diſtrictione ſua, & omni publica functione quæcumquè ad noſtrum Palatium pertinent, quod eſt inter affines incipientes à Sancta Anaſtaſia, & vertit uſquè ad portellas, & aſcendit ad Montem Daſati, & deſcendit in Sinninum, & deindè vadit in ipſam Drogam, & prevenit ad portaturum; deindè vadit ad palliata, & deſcendit in riguum martinum, & deſcendit per flumicellum S. Donati uſque ad fucem Fullani, & extenditur per mare duodecim milliaria, & revertitur ad Sanctam Anaſtaſiam.

Hæc omnia juris noſtræ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, cui Deo auctore deſervimus, vobis ad tenendum, & perfruendum concedimus, & quantum S.R.E. Pontifices, non eſt penſionis, per certas conditiones hæc, & alia nonnulla attribuiſſe indifferentèr conſtat, cum lucris operam darent, & ſub parviſſimo cenſu ma-

Digitized by Google

ximas res Eccleſiæ perderent. Hoc quippè genus penſionis dignum ducimus, ut milites in pace obſequio, in bello armis prò honore, & ſalute S.R.E. decertent, ſed ne res Eccleſiaſticæ in poſſeſſionem, & poteſtatem alicujus tranſire poſſint ſub nomine penſionis ab hac quarta pręſenti decima indictione conſtituimus, ut actionariis S.R.E. tres auri ſolidi difficultate poſtpoſita perſolvantur, ideſt in menſe Januario. Quod ſi in primo anno perſolvi non potuerit, in ſecundo primi, & ſecundi anni penſio perſolvatur. Per hujus præceptionis ſeriem prædictam Terracinam cum omnibus ad eam pertinentibus, ſicut ſuperiùs legitur, ſtatuimus Apoſtolica cenſura ſub Divini judicii obteſtatione, & anathemate interdictum, ut nullus hominum, nullus Rex, nullus Marchio, nullus Princeps, nullus Epiſcoporum, nullus in quolibet ordine, & miniſterio conſtitutus audeat moleſtè cauſis ejuſdem Civitatis incumbere, aut de rebus, & poſſeſſionibus, quæ ei pertinere videntur quoquo modo auferre, aut alienare præſumat, ſed potiùs ad jus, & dominium ipſius perpetuis temporibus perſeverent. Si quis autem, quod non optamus, nefario auſu pręſumpſerit hæc, quæ à nobis pro ſtabilitate Civitatis ſtatuta ſunt transgredi ſciat ſe anathematis vinculo innodatum, & cum Diabolo æterni incendii atrociſſimo ſupplicio deputatum. At verò qui prò intuitu cuſtos, & obſervator extiterit omnimodæ benedictionis gratiam, omniumque ſuorum peccatorum abſolutionem, & indulgentiam, & cæleſtis vitæ beatitudinem cum Sanctis, & Electis Dei à miſericordiſſimo Domino Deo noſtro conſequi mereatur. Scriptum per manum Joannis Scriniarii S.R.E. in menſe Januario Indict. quarta decima.

Bene Valete.

Dat. 7. Kal. Januar. per manum Joannis Epiſcopi, & Bibliothecarii Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Anno Pontif. Domini Gregorii Sanctiſſimi Papæ ſecundo in menſe, & Indictione ſupradicta.

Præter Civitatem Terracinæ aſſignata fuit Terracinenſibus cuſtodia Arcis Circeæ, quæ erat tutus aſyli locus Summis Pontificibus tempore tyrannicæ perſecutionis, uti docet Baronius ad annum 1118. tomo 12. dicens. Rediit, & inter alios Hugo magnus, ac nimium honorabilis Apoſtolorum Presbyter Cardinalis à Circeà Arce, quam ei ob rubiem Theutonicam præcavendam ad omnia providus quondam Paſchalis Papa homini nobili, & illuſtri no-

novitèr commendaverat,quam Papa novus (ſcilicet Gelaſius Secundus) reddi Terracinenſibus per Nuntios, apiceſque mandavit. Plures verò pias largitiones Piis locis feciſſe Anxurates conſtat; hinc penes Chron. Caſſin. lib. 2. cap. 26. ſcriptum eſt ità. Per idem tempus Cives Terracinenſes admoniti à Joanne Pontifice ſuo obtulerunt in Monaſterio S. Stephani de Terracina unam Piſcariam, quæ eſt ab ipſo fluvio ſupradictæ Civitatis loco, qui dicitur Gambara uſque in mare appoſita pæna trium librarum auri obrizi; ſimilitèr etiam Roffridus Patritius obtulit ibidem unam Piſcariam ſuam in Pantano Tranſectu in prædicto fluvio de Terracina, & cap. 13. ejuſdem libri legitur. Eodem tempore Terracinenſes Cives commoniti a Joanne Epiſcopo ſuo propter cladem quandam, quam tunc patiebantur ipſo die Paſchæ unanimitèr omnes devoverunt, ac promiſerunt daturos ſe per ſingulos annos in hoc Monaſterio ſex millia anguillas, & ſcriptum inde fieri terribili anathemate ſuppoſito ad Poſterorum memoriam præceperunt. Hæc Leo Oſtienſis, Paulus verò Diaconus, qui auctarium fecit ad Chron. Caſſin. referens ad laudem loci dictum illud Caroli Magni. Hic olus hoſpitibus, piſces, hic panis abundat, ait. exemplum verò hujus Terracinenſium oblationis extat in regeſtro num. 241. viciſſim autem à Manſone Abbate, & Monachis chartam fraterniratis habuerunt. Theodorus à Valle eadem ex Chron. Caſſin. reponens in hiſt. Privern. expreſſis verbis declarat calamitatem, quàm tunc temporis patiebantur Anxurates dicens. Saraceni ante diem Feſtum Paſchatis cum claſſe ſeſe dedere in conſpectum Urbis Terracinæ, quamobrem ejus Incolæ tàm terribili ſpectaculo conſternati ad Eccleſiam Matrem confugere, unaque cum Joanne Epiſcopo ſuo ibidem orantes unanimitèr devoverunt, ac promiſerunt omnes daturos ſe quotannis Monaſterio Caſſinen. ſex millia anguillas; itaque B. Patris Benedicti interceſſione, cui ſeſe, ſuaque commendarunt, magna exorta eſt tempeſtas, quæ Barbarorum Claſſem procul hinc in ſuos fines abegit, & Civitas Terracinen. libera quievit à manibus Tyrannorum, Terracinen. autem gratias quam maximas retulere Sancto Dei. Dum verò male feriati Urbem ſibi conceſſam à Gregorio Papa oſcitantèr incolunt, & cuſtodiunt, quo pacto, quibuſvè viis eam occupaverint Frajapanes, retulimus ſuprà lib. primo cap. ſexto; quamobrem ejuſdem Cives, & Populum variis legibus,

gibus,pactiſque circumvenire, & obſtringere cæperunt uti legere eſt penès inſtrumenta,quæ ſervantur in Archivio Terracinen;eſt autem primum tenoris ſequentis,

In Nomine Domini Amen : Anno Dominicæ Incarnationis 1169. decimo Anno Pontif: Domini Alexandri Tertii Papæ Indict.2. menſis Junii die prima . Quoniam remedium Divina , & humana jura certiſſimum eſt,& juſtitiæ rationibus congruit fidelibus ſuis , atque devotis quemque in his , quæ decent , providere ; Ideo ego Oddo Frajapan. Dei gratia Rom. Conſul , & Sacri Lateranen. Palatii Comes prò me , & Domino Cencio Frajapan.Rom.Conſule dilectiſſimo fratre meo dono,largior, atque concedo vobis Baroni Aldrude , Jo: Bello Militi , Ingibaldo de Zitio , & Matthæo Notario Terracinen. prò vobis , & omnibus aliis Terracinenſibus , veſtriſque , veſtrorumque hæredibus uſque in perpetuum his moribus vivere , quos inferiùs ſignificabimus prò devotione , & congruo ſervitio , ac fidelitate , quam erga nos , & demum noſtram ſemper reverentèr exhibuiſtis , & ut meliùs vos , & dicti Terracinenſes , & veſtri , veſtrorumque hæredes uſque in ſempiternum nobis, & hæredibus noſtris in anteà exhibeatis.

In primis volumus,atq;jubemus,ut nullus Terracin.bonorum mediocrum atq;vilium,cui aliquod delictum obiiciatur, à noſtra Curia capiatur ipſe, vel bona ejus,ſi fidejuſſores dare poterit, exceptis proditoribus,ſtivatoribus, & homicidis; veſtra etiam bona vivendo , & moriendo liberè habeatis . Dupla autem de præſtito noſtræ Curiæ reddatur mediet. pænæ injuriarum,& mediet.de obligo rei præfatæ Curię noſtræ more ſolito perſolvant. Tertiam quoque duplæ de domibus , vineis, terris , dotibus rei tribuant . Salem liberè , & abſolutè vendere , & emere , ſicut antiquitus fuit , ſit licitum, cuicumque volueritis , nihil interim noſtræ Curiæ , & vobis prę̨ſtito . Sylvam Clujani liberam ad faciendum , quod volueritis , habeatis , ità tamen quod non deſtruatur , & nemo niſi Terracinen.Populus , & noſtra Curia in hac ſylva porcos habeat , nec glandaticum de hac ſylva auferre permittimus , niſi prò alia ſylva cucurrerint. Rogatum eſt inſtrumētum per Nicolaum Judicem, & ſcriniarium S.R.E. in die, Anno , menſes , & indict.ſupradictis.

Signum ✠ manus propriæ Domini Oddonis Illuſtriſſimi Roma-

manorum Conſulis,& Sacri Lateranen.Palatii Comitis conceſſoris, & rogatoris.

Henricus de Tufo teſtis.
Petrus Roberti teſtis.
Joannes Mancinus teſtis.
Cencius Bonfilii teſtis.
Leo Anetu teſtis.
Romanus Bonelle teſtis.
Ecerius de Bonfilio teſtis.
Vigila in Nocte teſtis.
Petrus de Paulo teſtis.
Nicoraus Novellus teſtis.
Bono de Careze teſtis.

Nicolaus de Innuo Judex, & Scriniarius S. R. E. de mandato ſupradicti Domini Oddonis Frajapan.hoc ſcripſi &c.

Sive tales præſcriptionum leges factæ fuerint ad captandam benevolentiam, seù ad componendos Civium mores, nihil profecerunt;ſiquidem Anxurates jugum tyrannicum excutere nitentes contrà Frajapanes tumultuare cęperunt;unde ad compeſcendos animi motus, nova pacta inter ſe ineunt, atquè ſeſe juramento obſtringunt Terracinenſes, & Frajapanes; en aliud pacis Inſtrumentum ex Archivio Civitatis Terracinæ erutum.

In nomine Domini, & individuæ SS.Trinitatis Anno Dominicę Incarnationis 1185. Indict. tertia menſis Julii die ſecunda intrante, & Anno Pontif.Domini Lucii Summi Pontificis, & univerſalis III. Papæ Quarto in Sacratiſſima Sede B.Petri Apoſtoli. Ad perpetuam pacem, & Sanctiſſimam concordiam, illibatamquè fidelitatem conſervandam, atquè graviſſimam diſcordiam, quæ inter Dominos Frajapan., & Terracinen. populum orta fuerat, perennitèr ſequeſtrandam per inviolabile Sacramentum Dominos, & Terracin.populum ab utraquè parte placabilitèr interpoſitum, & gratantèr traditum ſupernus Artifex, Divinus amor ſua ſancta benignitate felicitèr, & devotiſſimè confęderavit. Ut ergo inter eos totius ambiguitatis error, & diſſidii ſeminarium pęnitùs abiiciatur, juramenti ſeries ab utraquè parte confecti qualis fuerit inferior ſequens pagina liquidò explicabit.Nos itaquè Dominus Oddo Frajapan., & Dominus Robertus Frajapan. Dei gratia Romanorum Conſules, & Sacri Lateranen. Palatii Comites juramus vobis viribus,& mulieribus Terracinæ præſentibus, & futuris perſonas veſtras ſalvas facere, & omnia bona veſtra vivendo, & moriendo liberè habere, & dimittendo, cui volueritis. Bona veſtra non auferemus ſine juſtitia, & judicis judicio.

dicio. Non tenebimus vos ad occaſionem; plaguam vobis non auferemus, nec de grano, nec de ſale, nec de lignamine, nec de aliquo alio. Bannum Curia noſtra non mittet ſine conſenſu populi, & omni anno renovetur, & ultrà annum non valeat. Judices, & Vicecomites uſus veſtros jurabunt, excepto judice, qui de appellatione cognoverit. Damus veram pacem omnibus hominibus Terracinæ viris, & mulieribus, & remittimus eis omnem indignationem pro hoc facto. Si quis Terracinenſium habuerit diſcordiam cum aliquo Civium, & ille Curiæ proclamaverit, Curia poteſtatem habeat mittendi bannum inter eos, ne ſe ad invicem moleſtent. Siquis negaverit, ſe incidiſſe in banno, ſi duobus idoneis teſtibus probatum fuerit, ſine judicis judicio teneatur,& ſi probatum non fuerit, Sacramento ſe purget. Siquis Terracinenſium cauſa fraudandi plaguam Curiæ lignamina prò quolibet accotomaverit, & Curia probare poterit fraudis pęna in duplo teneatur, ſi probari non poterit, Sacramento ſe purget. Jubemus, & volumus, ut nullus Terracinenſium bonorum minorum, mediocrum, atquè vilium, cui aliquod delictum obiiciatur, à noſtra Curia capiatur ipſe, vel bona ejus, ſi fidejuſſores dare poterit, exceptis ſtivatoribus, proditoribus, & homicidis probatis, de his homicidis intelligendum eſt, quos leges faciunt homicidas. Veſtra, Domini, bona vivendo, & moriendo liberè habeatis. Dupla autem de præſtito noſtræ Curiæ reddatur; medietatem pœnæ injuriarum, & medietatem de obligo rei præfatæ Curiæ noſtræ perſolvant more ſolito; tertiam quoque duplæ de terris, domibus, vineis, & dotibus rei noſtræ Curię tribuant. Sylvam Clujani liberam ad faciendum, quod volueritis, habeatis; ità tamen quod non deſtruatur, & nemo niſi Terracinen. Populus, & Curia noſtra in hac ſylva porcos habeat; nec glandatitium ab hac ſylva de porcis Terracinenſium auferri permittemus, niſi ad aliam ſylvam cucurrerint. Juramus hoc omnibus viris, & mulieribus Terracin., qui nobis juramento aſtringuntur, exceptis mulieribus, quæ Sacramentum facere non debent, & his, qui juramentum non cognoſcunt, quibus Sacramento aſtringimur. Et ſi quis nobis juramento aſtringi noluerit, non ei juramento teneamur. Et ſi unus, vel plures viri de Terracina, qui nobis juramento non aſtringuntur, aliquo tempore nos, vel res noſtras moleſtare præſumpſerint, Populus

Ter-

Terracinen. nobiſcum ſe teneat. Juramus hoc, & ſine malo ingenio, & fraude ſalvis noſtris juſtitiis, & ſalva fidelitate, & mandato Domini Papę, & Romanæ Curię videlicèr Cardinalium. Siquis autem contrà hos uſus venire temptaverit, promittimus nos auxiliaturos vobis cum toto poſſe noſtro hoc tantùm excepto quouſque ego Dominus Robertus Frajapan. cum Domino Leone Frajapan. loquar, poſtea hoc juramento pręcisè tenear. Siquis Dominorum hunc uſum jurare noluerit, vos Terracinenſes ei Sacramento non aſtringamini.

Juramentum Terracinen. Populi tale eſt.

Nos Terracinenſes juramus vobis Dominis Frajap. Domino Oddoni, & Domino Leoni, & Domino Roberto, & Domino Henrico, & Domino Manueli, & veſtris hęredibus, quod ab hodiè in anteà erimus veſtri recti fideles, quod non erimus in facto, aut conſilio ut vitam perdatis, aut membrum, aut mala captione capiamini, conſilium, quod nobis creditis, ad veſtrum dapnum nulli manifeſtabimus. Dapnum veſtrum ſi poſſumus, faciemus remanere, ſi non poſſumus, quam citiùs poterimus, ad noſtrum expendium vobis ſcire faciemus, & vos nobis illud reddetis. Juramus vobis Traverſam, & Terracinam cum munitionibus ſuis, Roccam Circei, & peſclora manutenere, & defendere contra omnes homines ſine fraude, & malo ingenio. Hoc autem pacis, & concordiæ inſtrumentum, & factum eſſe nos Domini, & Terracinen. Populus rogavimus per manum Mag. Joannis Scrin. Civitatis Terracin. in menſe, & indict. ſupradicta.

✠ Signum per mandatum horum Dominorum, & Terracinen. populi, qui hoc pacis, concordiæ Inſtrumentum fieri rogaverunt.

Ego Dñus Leo de Somnino Somnini Dominus rog. teſtis.
Ego Gualterius de Razano rog. teſtis.
Ego Macharius Miles teutonicus rog. teſtis.
Ego Vallembrunus Domini Leonis de Somnino filius rog. teſtis.
Ego Henricus de Tuſo rog. teſtis.
Ego Leo Siculus Miles rog. teſtis.
Ego Bartholomæus Joannis Martii Romanus rog. teſtis.

Y Ego

Digitized by Google

Ego Loffridus de Olibano de Somnino rog.teſtis.
Ego Silverius Bonæ de milo rog.teſtis.
Ego Bellarunca rog.teſtis.
Ego Petrus Craſſus rog.teſtis.
Ego Binulfus filius Binulfi rog.teſtis.
Ego Milo Gottifredi rog. teſtis.
Ego Candulfinus de Ra. . . . rog.teſtis.
Ego Mag.Joannes Scrin Civitatis Terracin. hoc pacis, & concordiæ Inſtrumentum ſcripſi,complevi, & abſolvi.

Poſthæc aliquandiù freti otio tranquillæ pacis Frajapanes de uſurpatis prædiis,& piſcariis ſibi nummos congerebant,uti eruitur ex Inſtrumento cujuſdam conceſſionis, quod ſervatur vnà cum aliis multis in Archivio Terracinen., eſt autem tenoris ſequentis.

In nomine Domini, & individuæ SS. Trinitatis Anno Dominicæ Incarnat. 1194. Indict.13. menſis Decembris die 12., & Anno quarto Pontif. Domini Cęleſtini Summi Pontificis,& univerſalis Tertii Papæ in Sacratiſſima Sede B.Petri Apoſtoli. Quoniam ea, quæ inter homines contrahuntur facil. oblivioni mandantur, propterea juris eſt remedio ſtabilitum, ut ea, quæ in publicis litteris adſcribuntur fidem rei geſtæ contineant. Ideoquè ego Dominus Leo Frajapan. Dei gratia Romanorum Conſul pro me, & fratre meo Manuele Pantanum Antiſſam piſcari, & claudere, & naſſarios facere omni tempore in perpetuum concedo vobis Philippo Caluelo, Petro Clamaſole, Joanni de Parolfo, Landulfo de Amata Reatino, Joanni de Silleↄto, & Miecinę ſorori ejuſdem Joannis: & Vivo Danydis, & Mariæ ſorori ſuæ, ſicut poſſidetis, & tenetis habit. Civit.Terracin. veſtriſque hæredibus, & ſucceſſoribus, vel cuicumque eum largiri, vel concedere placueritis. Qui ſic terminatur à primo latere pantanum de vivenzo, à ſecundo latere flumen antiſſam, à tertio latere altura mureli, à quarto latere murelus longus. Prò qua verò conceſſione accepi à vobis omnibus quatuor lib. bonorum S. pretii, & ideò ab omni homine præfatum pantanum defendere promitto una cum Manuele fratre meo, & hæredibus, & ſucceſſoribus noſtris vobis, veſtriſquè hæredibus, & ſucceſſoribus contra lites, contrariationum nomine pęnam duplam vobis promitto, & pęna ſoluta hoc Inſtrumentum firmum permaneat. Quod conceſſionis

In-

Inſtrumentum factum, & ſcriptum eſſe rogavi per manum Nicolai Scrin. Terracinen. in menſe, & Indict. ſupradicta.

✠ Signum per mandatum ſupradicti conceſſoris, qui hoc Inſtrumentum fieri rogavit.

Ego Joannes de S. Eſtaſio rog. teſtis.

Ego Berardus de Gualterio rog. teſtis.

Ego Landinulphus Joannis Boni rog. teſtis.

Ego Cencius Palumbus rog. teſtis.

Ego Joannes Amati rog. teſtis.

Ego Nicolaus Guercius Dei gratia Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Civitatis Terracin. Scrin. hoc conceſſionis Inſtrumentum ſcripſi, complevi, & abſolvi.

CAP. II.

POſt obitam prælibati Cęleſtini ſedit Innocentius Papa Tertius, ſub quo plura de Terracinen., ac præcipuè illud, quod ſui impotentes, cum ampliùs ferre non poſſent tyrannides Frajapan. Traverſam illorum eminens Caſtrum demoliti ſunt; quapropter ingraveſcente diſſentionum morbo, ad omnia providus Romanus Pontifex, ut diſcordes animos componeret, ad Apoſtolicam Sedem cauſam reiici jubet, interim plurima per litteras, ac nuncios molitus eſt ad pacem inter eos ſanciendam; ut liquidò patet ex litteris ejuſdem datis Terracinen., quæ ſunt tenoris hujuſmodi.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis Conſulibus, & Populo Terracinen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

LIcet ſit gravis injuria, & grandis offenſa, quam diruendo Tranſverſam contrà Romanam Eccleſiam commiſiſtis. Volentes tamen circà vos ordinatè procedert, ad ſatisfaciendum nobis vos monitis, & conſiliis priùs duximus invitandos, ut ità demùm, ſi fortè contumaces fueritis, & rebelles ad exercendam

vindictam juſtiùs procedamus. Mittimus igitur ad vos de communi Fratrum noſtrorum conſilio dilectum filium Hug. tit. Sancti Martini Presb. Cardinalem virum providum, & honeſtum, quem inter fratres noſtros ſpeciali diligimus charitate per Apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandantes, quatenùs iis, quæ vobis ex parte noſtra dixerit, & ſuggeſſerit ſine dubitatione credatis, & ea quæ mandeverit, & injunxerit ſine contradictione ſtudeatis implere. Datum Lateran. Kalend. Januarii Pontificatus noſtri Anno quinto.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis filiis Conſulibus, & Populo Terracinen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Recepimus litteras veſtras, quas nobis per dilectum filium Guid. Subdiaconum, & Cappellanum noſtrum miſiſtis, & quæ ſignificaſtis, per eas notavimus diligentèr. Gaudemus autem, quod ſano uſi conſilio ſuper his, quæ nobiles viri Frajapanes adverſum vos proponere volunt, & vos contrà illos habeatis, noſtrum non recuſaſtis ſubire judicium, cum illud pro certò nulla ratione debeatis habere ſuſpectum; verum cum nos omnimodam ſecuritatem tàm in perſonis, quàm rebus in veniendo, morando, & redeundo vobis, & his, qui vobiſcum acceſſerunt, vel quos duximus deſtinandos, providere velimus, & neceſſarium etiam advocatorum patrocinium exhibere: Miramur non modicum, & movemur, ſi fortè negotium ipſum recuſatis in præſentia noſtra tractari; Cum hoc, & in noſtrum opprobrium, & in veſtrum diſpendium redundaret. Quocircà diſcretioni veſtræ conſulimus, & per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenùs hoc quod vobis offerimus acceptantes, viros idoneos eligatis, quibus concedatis plenariam poteſtatem, ut in agendo, & reſpondendo nomine Univerſitatis veſtræ procedant, ratum, & firmum, quod per eos factum fuerit, habituri, & id nobis per veſtras litteras quantociùs intimetis, ut ſecuritatem vobis omnimodam procuremus. Alioquin ſecundum formam prioris mandati con-

ti contrà vos noveritis procedendum. Dat.Lateran.5.Kal.Martii Pontificatus noſtri Anno ſexto.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis filiis Conſulibus, & Populo Terracinen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Mirari cogimur, & moveri, quod ſententiam, quam inter vos, & nobiles viros Frajapan. protulimus, contemnitis obſervare, licet ad obſervationem illius teneamini juramento; licet igitur expectaverimus hactenus Nuntios veſtros, quos ſcripſiſtis ad noſtram præſentiam vos miſſuros, quia tamen. . . . . ad Sedem Apoſtolicam acceſſerunt, & Frajapan. ſuper hiis graviter conqueruntur. . . . . . per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenùs infrà quindecim dies poſt. . . . . . præſentium, quod poteritis, juxtà tenorem ſententiæ compleatis, & incipiatis. . . . . conſumare. Alioquin vos ex tunc noveritis diffidatos, & Civitatem veſtram. . . . . interdicto, & non nobis, ſed vobis potiùs imputetis; ſi quid ex inobedientia veſtra incurretis detrimenti. Talitèr autem, quod mandamus curetis executioni mandare, quod dilectus filius F. Subdiacon, & Cappellanus noſter, quem proptèr hoc ſpecialitèr deſtinamus, in reditu ſuo non fruſtrà de vobis, ſed accepta reportet. Dat. Anagniæ 11. Kal. Martii Pontif. noſtri Anno ſexto.

Præter dirutam Tranſverſam Roccam Circegii occuparunt Terracinenſes, quamobrem prænominatus Pontifex ſequentibus litteris arguit eoſdem, & ut illam reſtituant, imperat abſolutè.

INNO-

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Conſulibus, & Populo Terracinen. ſpiritum conſilii Sanioris.

SAtis vobis ſufficere potuit, quod de Tranſverſa in noſtram injuriam attemptaſtis, unde nunquam debuit in mentem veſtram venire, ut Roccam Çircegii raperetis, cum nos eam ad tempus præſtiterimus dilectis filii Nobilibus Viris Frajapan., vobis cum juberemus continuò reſignandam. Quocircà præſentium vobis auctoritate mandamus, & diſtrictè præcipimus, quatenùs eam dilecto filio Jord. tit. S. Pudentianæ Presbyr. Cardinali noſtro nomine reſignetis, certi modis omnibus, & ſecuri, quod ex quo eam ipſi neſciverunt, ſicut oportuit, cuſtodire, nos ipſam ità faciemus, auctore Domino, cuſtodiri quod nullam per ipſam de cętero guerram ſuſtinebitis, vel jacturam. Alioquin nos guerram ipſam à modo contrà vos curabimus exercere, & tunc ſcietis quid poſſit dextera noſtra. Cæterum ea, quæ dilectus filius G. Subdiaconus Cappellanus noſter vobis ex parte noſtra duxerit proponenda, credatis. Dat. Ferentin. 4. Kalend. Julii Pontificatus noſtri Anno ſexto.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis filiis Conſulibus, & Populo Terracinen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

PRæſentium vobis auctoritate mandamus, firmiterquè pręcipimus, quatenùs Roccam de Circejo dilecto filio Nobili Viro P. de Anibaldo Sororio, & Seneſcalco noſtro omni mora, & excuſatione poſtpoſitis aſſignetis. Dat. Anagniæ 6. Id. Decembris Pontif. noſtri Anno ſexto.

Tandèm tum his ultimis Pontificis mandatis parviſſe Terracinenſes, tum audientes etiam fuiſſe illis primis, quibus pacem inter Frajapanes, & dictos Terracinenſes expedire curabat Innocen-

nocentius, diſcimus ex tomo primo Raynaldi, qui proſequitur Annales Baronii, ad annum 1204., ubi inquit. Hoc inſuper anno ſcripſit (nempè Innocentius Tertius) ad nobiles Viros Manuelem, Jacobum, Odonem, Cencium, & Deodatum Frangipanum de Traverſa à Terracinenſibus occupata, cumquè de judicio inter ſe conflictarentur eos ad Apoſtolicam Sedem cauſam reiicere jubet. Poſt hujuſmodi autem epiſtolam, recitatur ipſorum Terracinenſium fidelitatis Sacramettum Romano Pontifici Innocentio Tertio delatum.

In Nomine Chriſti Amen.

Nos Conſules, & Populus Terracinenſis ab hac hora in antea erimus recti fideles, & Ligii homines Domini Papæ Innocentii, & ſucceſſorum ſuorum, & Eccleſiæ Romanæ. Non erimus in dicto, vel facto, conſilio, vel aſſenſu ut perdant vitam, vel membrum, vel capiantur mala captione. Conſilium quod nobis crediderint ad eorum damnum nulli manifeſtabimus. Ipſorum certum malum impediemus prò poſſe. Quod ſi forſitàn illud nequiverimus per nos impedire, ſignificabimus illud per nos, aut litteras, vel Nuncios noſtros, quam citò poterimus eis, vel tali perſonæ, per quam credamus, quod eis debeat fidelitèr intimari. Papatum Romanum, & regalia B. Petri, quæ habet tam in Urbe, quàm extra Urbem, & nominatim Terracinam cum omnibus pertinentiis ſuis adjutores erimus ad retinendum, & defendendum, & quæ non habet ad recuperandum contrà omnes homines. Prætereà guerram, & pacem ad mandatum ipſorum contrà omnes homines faciemus. Reſtituemus ipſi Domino Papæ Roccam Circegii, & aſſignabimus, quibus ipſe mandaverit. Munitiones quoquè, quas circà Civitatem habemus ſcilicet Peſclum Montanum, & Ferronum dabimus ad opus, & mandatum ipſius Domini Papæ tenendas, nec vi, nec dolo auferemus eas illis, qui de ipſius mandato ipſas tenebunt. Reddemus etiam ad mandatum ipſius univerſa regalia, & jura, quæ in ipſa Civitate cum pertinentiis ſuis Romana Eccleſia conſuevit, & debet habere. Si Frangipani inſtiterint faciemus eis juſtitiam ſub examine Domini Papæ, dummodò & ipſi juſtitiam exhibeant nobis coram eo. Hæc omnia ſupraſcripta juramus nos à modo ſervaturos

bonæ

bona fide, & recta intentinne, ſic nos Deus adjuvet; & hæc Sancta Dei Evangelia.

Hæc acta videntur Anno ſexto Pontif. præfati Innocenti Tertii, Anno verò ſeptimo idem Pontifex alias quoquè litteras Terracinenſes dedit, quæ ſunt tenoris ſequentis.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Conſulibus, & Populo Terracinen. ſpiritum conſilii ſanioris.

Recepimus litteras veſtras benignitate paterna, & quæ ſignificaſtis per eas, notavimus diligentèr. Suggerimus igitur, & conſulimus vobis de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, ut ſufficientem nobis cautionem præſtetis, quod ad mandatum noſtrum ſententiam, quam inter dilectos filios nobiles viros Frajapanes, & vos cauſa ventilata diligentèr, & cognita promulgavimus, plenè curabitis mancipare, quatenùs, & ipſis nobilibus, & vobis congruè providere poſſimus. De captivis autem, quos eo tenore recepimus à prædictis nobilibus, ut vos noſtrum adimpleretis mandatum. Illud prò certo ſciatis; quod heri nos eos mandaverimus ipſis reſtitui, prò eo quod vos mandatum noſtrum neglexiſtis implere. Nihil tamen in eos temptare præſument, ſicut ex certa ipſorum promiſſione tenemus. Dat. Lateran. 8. Id. Maii Pontif. noſtri Annno ſeptimo.

Anno autem ejuſdem octavo poſt varios bellorum turbines cum Dominis, & Populo Conchæ pacem ineunt Anxurates, cujus memoria ſervatur in Archivio Terracinen., & eſt ejuſmodi.

In nomine Domini, & individuæ SS. Trinitatis Anno Dominicæ Incarn. 1205. Indict. 8. menſas Januarii die 17., & Anno 8. Pontif. Domini Innocentii Summi Pontificis, & univerſalis Tertii Papæ in Sacratiſſima Sede B. Petri Apoſtoli. Hæc eſt concordia, quæ inter Dominos Conchæ ſcilicet Dominum Marabrancam de Petro, & Dominum Malabrancham de Gregorio cum Populo Conchæ, & cum omnibus fidelibus ſuis, & Conſules Terracinen., & Populo conſtituitur. Quæ talis eſt. Terracinenſes prò

re-

reverentia, & devotione, & mandato Domini Senatus, & Domini Joannis de Statio,& Domini Joannis de Raynone, qui hanc concordiam ſtabiliverunt,remittunt omnem quæſtionem,& actionem, & malivolentiam, quam contra Populum Conchæ habuerunt, & aſſecurant eos, & omnia bona ſua per totum poſſe eorum. Simili verò modo prædicti Domini ſcilicet Marabranca, & Malabranca remittunt omnem quæſtionem, & actionem, & malivolentiam, quam habent contrà Populum Terracin. prò ſe, & prò Populo Conchæ, & prò omnibus ſuis fidelibus, & dant firmam pacem, & ſecuritatem hominibus, & rebus Terracin. in perpetuum, ut nulla inter eos poſſit oriri diſſentio,ſi quod autem dapnum intervenerit, quod certum eſt, intra octo dies emendabitur, & quod dubium infra dies quindecim rationabiliter decidetur. Prætereà Concenſes neque ſturmum, neque retultam Terracin.facient. Hæc concordia à dictis Dñis, & Conſulibus prò ſe, & fidelibus ſuis, & ſucceſſoribus juramento firmatur, ſalva Univerſitate Romanorum,ità quod ſi Univerſitate Rom. mandaverit Conchenſibus contrà Terracinen. ire, ipſi ibunt mitiùs, quam poterunt, & cum venerit ſicut ad amicos nullum dapnum ſine fraude facientes, & poſtquam redierint in eadem ſtabilitate pacis permanebunt. Cæterum Terracinenſes non intrabunt à ponte de turri, & à rivo de Muſſano ad nocendum alicui. Hæc ſunt nomina ſubſcriptorum Conſulum Dominus Landulfiuus, Dominus Milo, Dominus Matthæus de Roſa, Dominus Nicolaus Bulzola,Dominus Joannes de Monte.

✠ Signum per mandatum ſupradictorum Dominorum,& Conſulum, qui hoc Inſtrumentum fieri, & ſcribi rogaverunt per manum Nicolai Scrin. in menſe, & Indictione ſupradicta.

Ego Dominus Mercurius de Villano rog.teſtis.
Ego Tedelgarius Griani Roman.rog.teſtis.
Ego Petrus de Laurentio Romanus rog.teſtis.
Ego Joannes de Griſato Roman.rog.teſtis.
Ego Laurentius de Andrea Roman.rog.teſtis.
Ego Nicolaus Guercius Dei gratia S.R.E.,& Civitatis Terracinæ Scrin. hoc conventionis, concordiæ, & pacis Inſtrumentum ſcripſi,complevi,& abſolvi.

Inſuper præter jam deſcriptum ſervatur in Archivio Terracinen.

Digitized by Google

nen. aliud pacis Inſtrumentum initæ inter Frajapanos, & Terracinenſes exaratum Anno decimo Pontif.Domini Innocentii III., & eſt ſequentis tenoris.

In Nomine Domini Amen. Anno Dominicæ Incarnationis MCCVII.Pontif.verò Domini Innocentii III.Anno ejus decimo Indict. 10. menſis Martii die 18. Ad perpetuam pacem Deo annuente habendam.

Nos Manuel, Oddo, & Petrvs Frajapanus Dei gratia Romani Conſules,& Sacri Lateranen. Palatii Comites juramus vobis Civibus Terracinen.Viris, & mulieribus præſentibus, & futuris, perſonas veſtras, & res veſtras ſalvas facere, & omnia bona veſtra vivendo, & moriendo liberè habere, & dimittendo,cui volueritis. Bona veſtra non auferemus ſine juſtitia, & judicis judicio. De facto Traverſæ promittimus, nos omninò neque in præſenti, neque in futuro petituros, nec ſtudebimus per nos, neque per interpoſitas perſonas, ut aliquo tempore reficiatur; nec per ſententiam Domini Papæ petemus, nec aliquo excogitato modo, nec aliam turrim ſtudebimus in Civitatem habere, & prò deſtructione Traverſæ, & prò aliis damnis, quæ nobis feciſtis,& in terram noſtram, nullam retributionem mali alicui Civium retribuemus, & omnem indignationem, & malivolentiam prò bono pacis remittimus, & firmam pacem vobis omnibus damus. Conjurationem,aut illicitam ſocietatem contrà Communitatem, aut ſpeciales homines nec faciemus, nec fieri patiemur; non tenebimus vos ad occaſionem; placquam vobis non auferemus,nec de grano, nec de ſale, nec de lignamine, nec de aliquo alio mercimonio. Bannum Curia ſine conſenſu Conſulum, & Populi non mittet, & omni anno renovetur, & ultrà annum non valeat. Judices, & Vicecomites uſus veſtros jurabunt excepto judice, qui de appellatione cognoverit. Si quis Terracinen. cum aliquo Civium diſcordiam habuerit, & ille Curiæ proclamaverit Curia poteſtatem habeat mittendi bandum inter eos, nè ſe ad invicem moleſtent. Si quis negaverit ſe incidiſſe in bandum, ſi duobus idoneis teſtibus probatum fuerit, ſinè judicis judicio teneatur ſolvere, & ſi probatum non fuerit Sacramento ſe purget. Si quis autem Terracinen. cauſa fraudandi placquam Curiæ lignamina, & alia mercimonia prò quolibet accottomaverit, & Curia probare poterit, fraudis pęna in duplo teneatur, & ſi probare non

po-

poterit, Sacramento ſe purget. Si verò alicui Civium majori, vel minori Civi aliquod deliƈtum obiiciatur, à noſtra Curia non capiatur ipſe, & bona ejus, ſi fidejuſſores dare poterit, exceptis probatis ſtivatoribus, proditoribus, & homicidis: De his homicidis intelligendum eſt, quos leges faciunt homicidas. Dupla autem de præſtito noſtræ Curiæ reddatur, medietas pænæ injuriarum, & medietas de obligo à reo præfatæ Curiæ noſtræ perſolvatur more ſolito. Tertia quoquè duplæ de terris, & domibus, & vineis, & dotibus, & de aliis contraƈtibus à reo noſtræ Curiæ tribuatur. Sylvam Clujani liberam ad faciendum, quod volueritis, habeatis, ità tamen quod non daſtruatur, & nemo niſi Terracinen. Populus, & Curia noſtra in hac ſylva porcos habeat, nec glandaticum de ipſa ſylva, & de aliis ſylvis Terracinen. auferri permittimus. Juramus hoc omnibus viris, & mulieribus Terracinen., qui nobis juramento adſtringuntur, exceptis mulieribus, quæ juramentum facere non debent, & his, qui Sacramentum non cognoſcunt, quibus juramento adſtringamur. Et ſi quis nobis juramento adſtringi noluerit, non ei Sacramento teneamur. Et ſi unus, vel plures viri de Terracina, qui nobis juramento non adſtringuntur aliquo tempore nos, vel res noſtras moleſtare præſumpſerit Populus Terracin. ſe nobiſcum teneat. Juramus hoc, & ſinè malo ingenio, & fraude, ſalva tamen fidelitate Domini Papæ. Si quis autem veſtrum contrà hos uſus venire temptaverit, nos auxiliaturos vobis cum toto poſſe noſtro promittimus. Si quis Dominorum hunc uſum jurare vobis noluerit, Vos Terracinen. ei non adſtringamini Sacramento.

In Nomine Dñi Amen. Nos omnes Terracin. juramus vobis Dñis Manueli Frajap., & Oddonì, & Petro Frajapan. ſupraſcriptis ab hodierna die in antea perſonas veſtras ſalvas facere, & non erimus in facto, neque in conſilio, ut vitam perdatis, aut membra, aut mala captione capiamini. Conſilium, quod nobis credetis ad veſtrum damnum nulli manifeſtabimus, damnum veſtrum, ſi poſſumus, faciemus remanere, ſi non poſſumus quam citiùs poterimus ad noſtrum expendium vobis ſemper ſcire faciemus, & vos nobis illud reddetis. Juramus vobis Terracinam cum his munitionibus ſcilicet Roccham Circegi, ex quo ad manus veſtras pervenerit, & peſclora manutenere, & defendere contrà omnes homines ſalva fidelitate Domini Papæ. Salvo

tamen pignore, & feudo, & Saſſona ſcilicet Alturam, & Caput ſilicem, & medietatem piſcariæ de Barcis, & medietatem redditum portus, & medietatem reddituum paſſagii de ponte, & medietatem dohanæ de ſale, & placitorum, & bannorum, & placquarum, & jus lacus de barcis, quod debetur occaſione itineris piſcariæ, & Templum, & medietatem molendini de Canneto, & terras, quas per guerram dextruximus, & omnes terras, quas habuiſtis initio guerræ, & omnia jura ſylvarum, quæ habuiſtis in ſilvis, & ſalvis bonis uſibus noſtris, quæ prædicta ad præſens reſtituimus, & damus. Item reſtituimus, & damus vobis partem Terracenę ſecundum quod vobis contingit cum omnibus juſtitiis, & rationibus, quas habuiſtis intus, & foris. Quæ omnia juramus vobis defendere contra omnes homines ſine fraude, & ſine malo ingenio, & hoc juramentum facient omnes Terracinen. à quatuordecim Annis ſuprà, & hii, qui in futurum in prædicta ætate quatuordecim annorum venerint, cum fuerint rei ſciti per tempora. Et Conſules, qui per tempora erunt tempore ſuæ amminiſtrationis jurabunt omnia ſupradicta manutenere, & defendere, & juramus, quod nullam conjurationem, aut illicitam ſocietatem nec faciemus, nec fieri patiemur, quæ poſſit eſſe contra perſonas veſtras, & dominium, & rationes veſtras. Si verò aliis Frajapan. Jacobo, & Deodato meliorem conjunctionem attulerimus, vel per nos, vel per interpoſitas perſonas, vel quocumquè alio modo habuerint; Vobis ſimilitèr conditionem adimplebimus. Si qua verò partium contra prædictas conventiones fecerit, incidat in pænam L. libr. auri parti ſervanti, & pæna ſoluta hæc conjunctio firma permaneat.

Quam ſcribendam rog. Andreas Scriniarius S.R.E. in menſe, & indict. ſupradictis coram Domino Petro Stephani Communitatis Cauſidico, & ſubſcriptis teſtibus ad hoc ſpecialitèr rogatis, & vocatis.

Dominus Philippus Lombardi teſtis.
Benedictus Margoni teſtis.
Milo teſtis.
Sinibaldus de Scrinio teſtis.
Marcus teſtis.
Joannes Montis teſtis.
Joannes Titi teſtis.

Pe-

Petrus Nicolai Florii teſtis.
Baro de Aldruda teſtis.
Petrus Bulgamini teſtis.
Leonardus Fordivoliæ teſtis.
Binulfus teſtis.
Joannes Taurinorum teſtis.
Gualterius miles teſtis.
Gerardus Noctuni teſtis.
Nicolaus Oddonis Palliarii teſtis.
Giardinus teſtis.
Berardus Gualterius teſtis.
Ego Andreas Scriniarius S.R.E. à S.Marco complevi.

CAP. III.

PRæfatum Innocentium Honorius Tertius excepit, qui nonnullas litteras Terracinen. dedit, qua de re Odericus Raynaldus tomo 13. annal. Eccleſ. ad ann. 1218. loquitur ità. Tum prænobilis pueri Henrici Frangipani arrepto patrocinio Terracinenſes ad ſervanda illius jura eſt cohortatus, in quibus litteris hæc in Frangipanæ familiæ clariſſimæ laudem exaravit. Invicta Fides, & devotio indefeſſa, quam Magnifici Viri antiqui Frangipani à progenie in progenies erga Romanam Eccleſiam habuerunt, nobis efficacitèr perſuadet, ut nunc eorum ſuperſtites paterno complectentes, affectu eos favorabili foveamus, & ipſorum jura ſervemes. Datum Romæ apud S.Petrum nonas Maii. Scripſit quoquè eiſdem dictus Pontifex ann. 1219., ut idem auctor tradit ibidem dicens. Cumquè Interamnenſis Eccleſia ob memoratum bellum ſcilicet inter Eradum Brennenſem, & Blancum, & filium ejus Theobaldum diù paſtore viduata eſſet, & Narnienſis, Spoletanuſquè illius jura occupaſſet à Raijnerio Interamnæ Epiſcopo Pontifex poſtulatus Apoſtolica auctoritate uſurpata reſtitui juſſit, pacemquè Odonem Frangipanum inter, & Petrum Frangipanum, ac fratres Hoſtienſis Epiſcopi opera firmatam ſervandam curavit, eaquè de re ad Terracinenſes ſcripſit in hanc ſententiam.

Con-

Digitized by Google

Conſulibus, & Populo Terracinen.

Cum inter dilectos filios Nobiles Viros Oddonem Frajapanem ex parte una, & Petrum Frajapanem, & fratres ſuos ex altera inſtigante humani generis inimico diſcordia dominii non ſine utriuſquè partis detrimento duraret, tandem favente Domino per miniſterium Ven. Fratris noſtri Ughonis Hoſtienſis Epiſcopi, qui ad reconciliationem eorum de mandato noſtro interpoſuit partes ſuas, ad compoſitionem amicabilem devenerunt, in qua inter alia cautum eſt ſpecialitèr, quod ſi qua partium à compoſitione reſilire præſumpſerit. Vos parati compoſitionem ſervanti aſſiſtetis eidem de juſtitiis, & rationibus partis alterius reſponſuri. Nos itaquè de prædictorum Nobilium reconciliatione gaudentes, de quorum diſſidio meritò dolebamus: Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, & diſtrictiùs præcipimus, quatenus de ſalvo mandato noſtro ſtudeatis fidelitèr obſervare. Dat.Reat.6.Kal.Octobris Pontif.noſtri Anno quarto.

Idem Pontifex anno ſeptimo ſui Pontif. commendavit Terracinen. quemdam Comitem Alemannum, qui navibus appulerat Terracinam, en ejus epiſtola.

HONORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis Conſulibus Terracinen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

EX litteris veſtris accepimus, quod Nobilis Vir Comes Alemannus cum navibus, & aliis vaſis ſuis nuper applicuit Terracinam; qui cum ibi proponat aliquamdiù commorari apud vos, deſiderat ſub noſtra ſecuritate, & protectione manere. Licet autem libentèr abſtineamus ab omnibus, per quæ Imperator reputare ſe poſſet offendi à nobis, quia tamen ab anno præterito, quo ad partes iſtas idem Comes acceſſit per eum, & alios intelleximus, quod ab eodem Imparatore litteras ſecuritatis habeat, devotionem veſtram monemus, & hortamur attentè per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenùs eum tanquam veſtræ

ſtræ protectioni,& ſecuritati ſuppoſitum cum familia, & omnibus aliis bonis ſuis habeatis propensiùs commendatum,& insupèr honorare curetis; cum & ipſe ſit talis, de quo vobis, & Civitati veſtræ poteſt utilitas provenire. Datum Signiæ 4.Idus Julii Pontif. noſtri Anno ſeptimo.

Et Anno decimo ſui Pontif. eiſdem ſæpèfatus Pontifex hujus tenoris epiſtolam alteram tranſmiſit.

HONORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis filiis Conſulibus Terracinen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CUm ſicut intelleximus per litteras veſtras Imperator petat à vobis res baliſtariorum, quæ apud Terracin. exiſtunt,nos nolentes ei occaſionem tribuere,undè contrà vos ipſum moveri contingat, præſentium vobis auctoritate mandamus quatenùs tale ſuper hoc habeatis conſilium, quod indè difficultatem incurrere non poſſitis; quidquid tamen de rebus fieri debeat,perſonas nulla ratione tradatis. Dat. Reate 10.Kal.Januarii Pontif. noſtri Anno decimo.

Succeſſit Honorio Gregorius Nonus, qui Roccham Circeii Terracinenſibus cuſtodiendam tradidit, qua ſuper re una cum aliis ſuperioribus ſervantur in Archivio Terracinen.ſubſcriptæ in forma Brevis litterræ.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis Conſulibus, & Populo Terracinen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

VOlentes ut ad majorem Civitatis veſtræ, ac illius Patriæ ſecuritatem Roccha Circeii munita conſiſtat, dilectum filium Petrum Rubeum Canonicum Anagnin. Clericum noſtrum pro-

propter hoc ſpecialitèr ad vos duximus deſtinandum. Quocircà devotioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenùs de ipſius Roccæ munitione talitèr cum eodem providere curetis, per aliquos ex vobis diligentèr cuſtodiri facientes eandem, quod per eam ſecuritas partibus illis proveniat, & ab aliquibus Eccleſiæ inimicis non valeat occupari mandatum noſtrum talitèr impleturi, quod de negligentia redargui non poſſitis, & nos devotionem veſtram commendare meritò debeamus; expenſas autem ad hoc neceſſarias faciatis, quia ipſas vobis earum quantitate per eundem Clericum intellecta curabimus deſtinare. Dat. Lateran. 3. Kal. Junii Pontif. noſtri Anno XIII.

Per hæc tempora inoleverat apud Terracinenſes uſus non ſolum eligendi Conſules, qui vacabant gubernio Civitatis, ſed etiam Comeſtabulum, qui forſitan dignitate, & officio Viris Conſularibus eminebat; hujus rei fidem facit inſtrumentum pacis initæ Anno Domini 1233., & Anno ſeptimo Pontif. Gregorii Papę Noni inter Terracinenſes, & Pipernenſes propter confines territorii, ubi legitur, quod hi Loffridum Ferro de Terracina, illi Noredinum de Piperno elegerunt judices finiendæ litis, & Conſules Terracinæ erant Stephanus de Affortia, & Stephanus Petri Judicis Oddo de Sanguineo Comeſtabulo. Conſules autem Terracinæ præfuiſſe teſtantur plura inſtrumenta publica, & litteræ quamplurimæ in forma authentica ſervatæ in Archivio ejuſdem Civitatis, has inter affero nonnullas Senatorum Urbis, quę ſic habent.

Foris.

Conſulibus, & Populo Terracinen.

Intus.

GREGORIUS JOANNIS LEONIS RAINER.

Dei gratia Almæ Urbis Illuſtris Senator. Conſulibus, & toti Populo Terracinen. ſalutem, & ſinceræ dilectionis affectum.

QUoniam de vobis plenè confidimus, & ſperamus, ideò noſtras ſecuritèr vobis duximus preces porrigendas. Inde eſt, quod veſtram dilectionem prece, qua poſſumus exo-

exoramus, inducimur, & hortamur, ut hominem, & fidelem Orlandi Nobilis Avi noſtri, & omnes alia res ſuis Sociis, & Fidelibus ablatas eidem remittatis ad præſens. Talitèr ſuper hiis noſtras exaudiatis preces, quod merito veſtram commendemus dilectionem, & ob hoc nullum poſſit offendere Civem . . . . . . Aprilis die 15. indict. 11.

Foris.

Conſulibus Terracinen.

Intus.

GREGORIUS JOANNIS LEONIS RAINER.

Dei gratia Almæ Urbis Senator Illuſtris Nobilibus Viris Conſulibus Terracinen. ſalutem, & amoris conſtantiam.

IN noſtra prçſentia conſtitutus Nobilis Concivis noſter Pariſcius ſua nobis adſertione moſtravit, quod cum vos teneretis hactenus in captionem quendam Concivem noſtrũ Thomam ipſe Pariſcius prò eodem Thoma fide juſſit in certam pecuniæ quantitatem prò eo in captionem revertendo. Quia verò non eſt conveniens, & nobis importabile foret, Romanos Cives in captione teneri dilectionem veſtram, quanta valemus affectione rogamus, quatenus ipſum Concivem noſtrum Thomam quietetis, quod in captionem veſtram non revertatur, & ipſum Nobilem Virum Pariſcium à Plejar. qua pro eodem Thoma tenetur, abſolvatis, & quietum vocetis noſtras preces talitèr audituri, quod nos debeamus preces veſtras in multo majoribus exaudir. Miſs. menſ. Jan. die 16. indict. 11.

Foris.

Conſulibus Terracin.

Intus.

GREGORIUS JOANNIS LEONIS.

Dei gratia Almæ Urbis Illuſtris Senator Nobilibus Viris, & amicis ſuis Conſulibus Terracin. ſalutem, & ſincerum amorem.

LAtor præſentium fidelis noſter ſua nobis inſinuatione mõſtravit, quod cum ipſe quoddam jumentum in agris Caſtel-

ſtelli noſtri, in quo habitat, perdidiſſet, quidam Latrones ipſum jumentum invenientes illud ad Civitatem veſtram ad vendendum duxerunt, quod cum ipſe apud vos, qui illud dictis latronibus abſtuleratis, inveniſſet, noluiſtis illud ſibi reſtituere, niſi cum Senatoriis litteris vobis ſe repræſentaret. Quocircà dilectionem veſtram rogamus, ut dictum jumentum eidem latori præſentium reſtituatis indubitantèr credentes, quia ipſe Vaſſallus noſter eſt, & Caſtri noſtri habitator, & dictum jumentum ſibi fuit ablatum. Miſs. menſ. Octob. die 22. Indict. 12.

Foris.

Conſulibus, & Populo Terracin.

Intus.

GREGORIUS JOANNIS LEONIS RAINER.

Dei gratia Almæ Urbis Illuſtris Senator Conſulibus, & toti Populo Terracinen. ſalutem, & amoris plenitudinem.

CUm vos ſæpè monuerimus, ut Romanos, & eorum res diligeretis, & eos nullatenùs offenderetis, quia hoc ad veſtrum commodum plurimum redundaret, miramur quamplurimum, quod à Romanorum læſione non ceſſetis, ſed eorum res læditis, & moleſtatis; propoſuit enim nobis dilectus noſter Petrus Cencii Sax. de Alcherio, quod vos porcos ſuos, & Saxois fratris ejus abſtuliſtis; ſuper quo tanto miramur, atquè dolemus, quantò prædicti Petrus, & Saxo nobis dilectionis, & ſanguinitatis ſunt linea copulati. Quocircà dilectionem veſtram rogamus, monemus, inducimur, & ortamur, ut prædictos porcos latori præſentium cum integritate reſtituatis, & Romanorum res ne lædatis, ſed ubi vobis occurrunt . . . . & eorum res benignè tractetis, quia hoc veſtræ Civitatis commodis plurimum noſcitur expedire. Miſs. menſ. Septembris die 11. Indictione undecima.

Foris.

Foris.

Conſulibus Terracin.

GREGORIUS JOANNIS LEONIS RAINERII.

Dei gratia Almæ, ac venerandæ Urbis Illuſtris Senator. Conſulibus Terracinen., & Theobaldo Dopnæ Annæ.

QUoniam vos diligimus, & cuſtodimus, & in animo habemus, & voluntate: Vos, in quibus decet manutenere; meritò igitur toto tempore noſtri Senatus noſtros debetis cuſtodire Cives, & eorum bona: Hinc eſt ergo, quod veſtram dilectionem prece, qua poſſumus, rogamus, inducimur, & monentes ortamur, & modis omnibus, quibus poſſumus. . . . . ut omnes vaccas hæredis Oddonis Franconis, & Angeli Peruſini integrè ad præſens reddatis, & deliberetis, & hinc in anteà nec in ipſos, nec alios noſtros offendatis Cives. Talitèr ſuper hiis noſtras audiatis preces, quod de cætero nulla de vobis proponatur coram nobis querela, alioquin nec poſſumus, nec debemus, quin noſtros ad ſuas rationes recuperandas adjuvemus Cives virilitèr. Miſſis menſ. Novemb. die 9. Indict. 11.

Foris.

Conſulibus Terracinen.

PHILIPPUS LOMBARDI.

Dei gratia Almæ Urbis Illuſtris Senator Conſulibus Terracinen., & ſincerum amorem.

NObilis Vir Joannes Capuæ in noſtra præſentia conſtitutus gravem de vobis, & Civibus veſtris propoſuit querelam, quod quidam veſtri Cives quoſdam boves nuper ſibi abſtulerunt. Quaproptèr præſentium auctoritate vobis mandamus, & firmitèr præcipimus, ut omnes boves dicti Joannis Capuæ, & aliorum noſtrorum Civium talitèr reddatis, & reddi faciatis, ut ex hoc ammodo non audiam querelam, nec de vobis habeat juſtam materiam conquerendi. Scituri prò certo quod ſi hoc ad

præſens non fuerit ſatisfactum, quod nos dante Domino talitèr procedemus, quod de cętero talia committere non attemptabitis Miſs.menſ.Octobr.die 27.Indict.12.

Adduximus in medium has litteras, quamvis res frivolas, & nullius momenti contineant, quoniam ex Senatoriis aliæ non extabant, in Archivio Terracinæ, ubi præter illas, quas retulimus lib.1.cap.7. ſubſequentes Innocentii Papæ Quarti in forma Brevis litteræ ſervantur,& ſunt huiuſmodi.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis Conſulibus, & Populo Terracinen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

PUra Fides, & ſincera devotio, quibus inter alios Sedis Apoſtolicæ fideles ſpecialitèr refulgetis, meritò nos inducunt, ut Civitatem veſtram favore multiplici proſequentes ſingularis eam privilegio gratiæ attollamus. Sanè fuit nobis ex parte veſtra propoſitum; quod cum Nobilis Vir Henricus Frajapan. in Territorio Civitatis ejuſdem quædam ædificia de novo in veſtrum præjudicium erexiſſet vos ea,quia ipſe illa ſæpè à vobis monitus diruere renuebat feciſtis totalitèr demoliri propter quod idem Nobilis coram Venerabili Fratre . . . . Epiſcopo Oſtienſi, & dilectis filiis noſtris S. tit. Sanctæ Mariæ Tranſtyberim Presb., & R.S.Angeli Diacon.Cardinalibus Campaniæ, Maritimæquè Rectore fecit in judicium evocari. Verum quia Territorium ipſum ſecurè his diebus egredi vix poteſtis, nos volentes vobis paterna in hac parte diligentia providere præſentium vobis auctoritate de ſpeciali gratia indulgemus, ut ſuper præmiſſis per litteras Apoſtolicæ Sedis, vel Legatorum ipſius, ſeù Rectoris Campaniæ, ac Maritimæ, aut quorumcunquè aliorum auctoritate Apoſtolica ultrà Caſtrum Nymphæ Velletren. Diœceſ. trahi aliquatenùs non poſſitis. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum

Pe-

Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Lugduni 11. Kal. Novembris Pontif. noſtri Anno ſexto.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis Conſulibus, & Populo Terracinen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

MEretur devotionis veſtræ ſinceritas, ut inter alios Sedis Apoſtolicæ filios, & ſpeciali vos proſequamur benevolentia, & favore multiplici attollamus. Hinc eſt, quod cum ſicut intimantibus vobis accepimus, olim quidam Campaniæ, & Maritimæ Rectores prætextu quarundam offenſarum, quas ſibi ab ejuſdem Civitatis Communi, vel aliquibus ex eo illatas eſſe dicebant, ſuppoſuerint certis bannis, & propter hoc plura ſuſtinetis detrimenta. Nos veſtris ſupplicationibus inclinati banna hujuſmodi relaxantes Univerſitati veſtræ, ut prò ipſis eiſdem Rectoribus, vel eorum ſucceſſoribus abſquè noſtro ſpeciali mandato nihil ſolvere teneamini, non obſtante confirmatione Sedis ejuſdem, ſi qua ſuper illis forſitan eſt obtenta, & juratoria, vel qualibet alia cautione, ſi ſuper eiſdem aliquam præſtitiſtis, auctoritate præſentium indulgemus. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Lugduni 6. Id. Maii Pontif. noſtri Anno ſexto.

Eodem Anno ſuper eadem re favore Terracinenſium hæc ſcripſit Innocentius Abbati Foſſænovæ, & Archipresbytero Pipernen. Terracinen. Diœceſ.

INNO-

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis . . . Abbati Foſſænovæ, & . . . Archipresbytero Pipernen. Terracinen. Diœceſ. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

MEretur ſincera devotio dilectorum filiorum Conſulum, & Populi Terracinen., ut inter alios Sedis Apoſtolicæ filios, & ſpeciali eos proſequamur benevolentia, & favore multiplici attollamus. Hinc eſt, quod ſicut intimantibus eis accepimus, olim quidam Campaniæ, Maritimæque Rectores prætextu quarundam offenſarum, quas ſibi ab ejuſdem Civitatis Communi, vel aliquibus ex eo illatas eſſe dicebant, ſuppoſuerint certis bannis, & propter hoc plura ſuſtinuerunt detrimenta. Nos ipſorum ſupplicationibus inclinati banna hujuſmodi relaxantes Univerſitati eorum, ut prò ipſis eiſdem Rectoribus, vel eorum ſucceſſoribus abſque veſtro ſpeciali mandato nihil ſolvere teneantur, non obſtante confirmatione Sedis ejuſdem, ſi qua ſuper illas forſitan eſt obtenta, & juratoria, vel qualibet alia cautione, ſi ſuper ejſdem aliquam præſtiterunt, auctoritate litterarum noſtrarum duximus indulgendum. Quocircà diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenùs ipſos non permittatis contra conceſſionis noſtræ rationem ſuper hiis ab aliquibus indebitè moleſtari; moleſtatores hujuſmodi per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Quod ſi non ambo hiis exequendis potueritis intereſſe, alter veſtrum ea nihilominus exequatur. Dat. Lugduni 6. Id. Maii Pontif. Noſtri Anno ſexto.

Commendatitiis litteris eoſdem Terracinenſes munit Innocentius, cui ſemper cordi fuiſſe videntur.

INNO-

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Venerabilibus fratribus univerſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis Filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ad quos litteræ iſtæ pervenerint. Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

MAgna Terracinen. devotio Civium plena erga Eccleſiam ſinceritate coruſcans, ſic tenacitèr eſt adſcribenda memoriæ, ut nulla exinde oblivione ſuccedente tempore valeat aboleri. Hinc eſt, quod nos profectum, & honorem ipſorum volentes non ſolùm per nos, ſed per alios etiam procurare. Univerſitatem veſtram rogamus, & hortamur attente per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenùs eoſdem Terracinenſes Cives, quos ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcepimus quandocumque ad terras, & loca veſtræ juriſdictionis ipſos accedere, vel exindè tranſire contigerit, habentes prò noſtra, & Sedis Apoſtolicæ reverentia tanquam ipſius Sedis filios ſpeciales præcipuè commendatos, & eos in perſonis, & rebus favorabilitèr protegentes non permittatis ipſos à quoquam moleſtari aliquatenùs, vel offendi, moleſtatores hujuſmodi per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Dat. Januę Non. Junii Pontif. Noſtri Anno octavo.

Accidit interea, ut Romani adverſus Terracinenſes, quia ipſorum mandatis aures dare nolebant, exercitum, & arma pararent, jamque hoſtilitèr contra eoſdem procederent. Hoc intelligens præfatus Pontifex ſequentibus litteris in forma Brevis ſcriptis Terracinenſium conſtantiam animat.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filii. . . . Poteſtati, Conſilio, & Communi Terracin. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

INtellecto, quod nobilis Vir . . . . Senator, & Populus Urbis exercitum jam indixerint, quem nos hoſtilitèr proce-

cedere intendentes, quodquè perſonarum, & rerum ſubſtantiam omni diſpendio conſtantèr exponitis, ut ſtatus vobis libertatis perpetuæ non depereat, qua eſtis actenùs tranquillo gaviſi ſub dominio Romanæ Eccleſiæ Matris veſtræ; turbati de tali eorum proceſſu plurimùm, & commoti affectum veſtræ ſinceritatis, & fidei, zelumque conſtantiæ, quibus magis, ac magis apud Apoſtolicam Sedem veſtra ſemper ſincerior auro claret devotio, dignis laudibus commendamus. Verùm cum jam liquido clareat, quod in nullo apud Romanorum duritiem actenus Apoſtolica perſtiterint monita, quibus eoſdem credidimus ab injuſto revocare propoſito, quod de vendicandis ſibi juribus, ac juriſdictione Romanæ Eccleſiæ, quæ in vobis, & aliis ſuis filiis hærere dinoſcitur, nequitèr conceperunt, & jam virulenti eorum conceptus in partus dolorum, & nequitiæ prodeant, de quo merito non poſſumus non dolere, admodùm expedire vidimus, ut contra eos, qui ubera maternæ lenitatis deſpiciunt, & inſolentiores redduntur, fiuntque precibus implacabiles, manus exaſperans extendatur, propter quod de veſtro ſollicitè cogitantes auxilio; Ecce univerſis Poteſtatibus, Conſiliis, & Communibus Civitatum, Caſtrorum, & aliorum locorum per Campaneam, & Maritimam conſtitutis, aliiſque nobilibus fidelibus noſtris ſub debito fidelitatis, qua Eccleſiæ Romanæ tenentur, & certa pœna diſtrictè præcipiendo noſtris damus litteris in mandatis, ut in auxilium veſtrum ſic virilitèr, & potenter procedant, quod ſuo adjutorio inimicorum robora conterantur; & hoſtilibus à vobis propulſis inſultibus, in fidei, & fidelitatis ſinceræ conſtantia, quam laudabilitèr amplexamini, inconcuſsè perſiſtere valeatis; aliud etiam vobis ad præſens ſubſidium deſtinantes, per quod robur ad oportunæ defenſionis præſidium viribus veſtris accreſcat, & numero bellatorum. Quocircà Univerſitatem veſtram propenſiùs confortamus in Domino, & hortamur quatenùs fiducia plena concepta de noſtro, & Apoſtolicæ Sedis præſidio, & auxilio agonem juſtitiæ, quem cepiſtis, & cauſam, quam proſequimini ſtatus veſtri, quin potiùs noſtri, & Romanæ Eccleſiæ conſtantèr, ac perſeverantèr intrepidis animis percurratis ſecuri, quod prò vobis, præcipuè, aliiſquè devotis filiis, & fidelibus Sedis prædictæ, qui cauſa ſervandæ fidelitatis, ac devotionis ipſius, & perpetuæ libertatis tuendæ hoſtilibus ſe abſquè delectu perſonarum, & rerum

oppo-

Digitized by Google

opponunt congreſſibus, clypeum defenſionis ex adverſo ponere, ac exponere nos intendimus, ſicut oportunum fuerat, & honori Eccleſiæ, ipſorumquè fidelium viderimus expedire tranquillo. Dat. Aſſiſii 5. Id. Junii Pontif. noſtri Anno decimo.

Ut contenta hujus epiſtolæ percipias, lector, recole litteras ejuſdem Innocentii Quarti deſcriptas libro primo cap. 7. Hiſtoriæ Terracinen.

CAP. IV.

Obiit dictus Innocentius, & mox Pontificatus apicem Alexander Quartus aſcendit, qui intellectis moleſtiis, quibus Senatores Urbis vexare perſeveraverant Terracinenſes, ſequentis tenoris litteras eiſdem tranſmiſit.

ALEXANDER EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis Conſilio, & Communi Terracinen. fidelibus noſtris. Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

INtelleximus, quod Nobiles Viri Neapolionus Matthæi Rubei, & Riccardus Petri de Anibaldo Senatores Urbis quaſdam nuper vobis litteras tranſmiſerunt inter alia continentes, quod licet in quadam ordinatione facta dudum ſuper quibuſdam articulis inter progenitores Nobilium Virorum Petri, & Raynonis Frajapan., & Theolbaldi Petri Anibaldi Civium Romanorum ex parte una, & Commune veſtrum ex altera habeatur, quod dictum Commune quandocumquè velit aſſumere poteſtatem ad veſtræ regimen Civitatis aliquem ex ipſis, & nullam aliam perſonam aſſumere debeat ad hujuſmodi regimen, niſi velit aliquos forſan ad hæc Conſules de ipſa Civitate creare, proùt in Inſtrumentis publicis ſuper hoc confectis dicitur contineri, nihilominùs tamen vos contrà ordinationem hujuſmodi temere venientes ſuper Nobilem Virum Petrum Guidonis de Velletro in Poteſtatem Terracinen. in prædictorum Nobilium præjudicium elegiſtis, propter quod vobis per eoſdem ſub pæna trecentarum marcha-

rum argenti litteras mandaverunt ; ut dicto Petro , ejuſque Vicario ab hujuſmodi Poteſtariæ officio prorſus amotis , nec ipſum Petrum , nec alium extraneum de cætero ad ipſum aſſumetis officium comminantes,quod ad exactionem dictæ pænæ contra vos procederent , ſi secùs forſitan ageretis . Cum igitur dicti Senatores nullum in vos , vel veſtrum aliquem , aut Civitatem veſtram juriſdictionem habeant , ſeù etiam Poteſtatem ; Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta ſub debito fidelitatis , quo Eccleſiæ prædictæ tenemini , & pæna mille librarum provenien. diſtrictè præcipiendo mandamus , quatenùs hujuſmodi eorum mandatis nequaquam , ſicùt noſtram , & Apoſtolicæ Sedis caram habetis gratiam , pareatis , quinimmò prædictis Petro , & Vicario uſque ad tempus ſui regiminis in omnibus , quæ ad poteſtariæ officium pertinent , efficacitèr intendere procuretis . Verum quia vos , ſicut nos ipſi bene recolimus quaſcumque perſonas etiam aliundè , quàm de Civitate prædicta in Poteſtatem, & Rectores veſtros liberè proùt voluiſtis , hactenus aſſumpſiſtis , Conſuleſque de ipſa Civitate creaſtis . Nos pati nolentes quod libertates, & jura veſtra quomodolibet minuantur , ſed cupientes illa potiùs augere Apoſtolica vobis auctoritate concedimus , ut perſonas Eccleſiæ Romanæ devotas etiam ſi non de Urbe veſtra , ſed de aliis quibuſcumque Civitatibus , Caſtris, Terris, & locis exiſtant in poteſtates , ac Rectores veſtros aſſumere , ac creare Conſules de Civitate ipſa libere valeatis prædictorum contradictione,& aliorum quomodolibet non obſtante.Si verò dicti Petrus, Raynonus, & Theobaldus, aliique Frajapanen., ſeù alii quicumque aliquod contrà vos ſuper hiis ſe dixerint jus habere : Nos, ad quos eſt in hac parte recurrendum ſpecialitèr , parati erimus eis, ſi de ipſorum jure experiri voluerint, juſtitiæ plenitudinem exhibere. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire . Siquis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei , & Beatorum Petri , & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum . Dat. Anagniæ 15. Kalendas Junii Pontificatus noſtri Anno quinto .

Alias quoquè litteras Terracinen. dedit præfatus Alexander , quæ ſic ſe habent .

ALE-

Digitized by Google

ALEXANDER EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis filiis univerſo Populo Terracinen. tàm majoribus, quàm minoribus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

MEmores exiſtentes devotionis, & Fidei, quam à noſtræ promotionis exordio circà Beatum Petrum,& circà nos ipſos firmitèr, & conſtantèr exhibuiſtis, & nunc laudabilitèr exhibere noſcimini, Vos ſicut Devotos Eccleſiæ filios, & fideles ſincera charitate diligimus, & de commodis, & profectibus veſtris libentèr, & prompto animo cogitamus. De illo igitur privilegio, quo Pipernenſibus Territorium ſuum cum finibus ſuis confirmavimus, non moveamini, neque turbemini, quia nos in eodem privilegio, antequàm Nuntii veſtri veniſſent, poni feceramus ſalvo tenimento S.Andreæ,& ſalvis juſtitiis omnium aliorum, ſi quas infrà fines ipſos habere noſcuntur: Non enim eſt noſtri propoſiti, vel voluntatis vobis jura veſtra ſubtrahere, minuere, vel auferre, ſed potiùs integra, & illibata ſervare. Dat. Ferent.2.Id.Mar. . . . . . .

Inter alias res poſſiderunt Terracinenſes Dohanam Salis, quam Urbanus Quartus immediatus ſucceſſor prænominati Alexandri ſequentibus litteris confirmat.

URBANUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis filiis Poteſtati Conſilio, & Communitati Terracinen. fidelibus noſtris. Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

INtellecto nuper, quod dilectus filius Nobilis Vir Jacobus Cantelmi Vicarius in Urbe dilecti filii Nobilis Viri Caroli Andegaviæ, ac Provinciæ Comitis, Senatoris Urbis per ſuas de facto vobis injunxit litteras, ut Dohanam Salis, quam ab antiquis

tiquis conſueſtis habere temporibus, nullatenùs haberetis, ſed illam devaſtare totalitèr curaretis. Nos attendentes, quod mandatum hujuſmodi, cum Civitas veſtra ſit noſtra, & Romanæ Eccleſiæ ſpecialis in magnum præjudicium ejuſdem Civitatis, & ipſius Eccleſiæ redundabat, præfatum Vicarium monendum, rogandum attentè duximus, & hortandum noſtris ei ſub certa forma dantes litteris in mandatis, ut mandatum ipſum revocans permittat liberè Civitatem ipſam hujuſmodi habere Dohanam, ſicut eam habere hactenùs conſuevit, ipſam ejuſque Cives hac occaſione nullatenùs moleſtando.

Ideoq; Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenùs prædictum mandatum nullatenùs obſervantes veſtram in hoc libertatem, & conſuetudinem manutenere curetis. Dat. apud Urbem veterem Id. Januarii Pontif. Noſtri Anno tertio.

Per hæc autem tempora homines Caſtri S. Felicis adſciti ſunt in Cives à Terracinenſibus in cujus rei teſtimonium ſequens extat memoria in Archivio Terracinæ.

In nomine Domini, Anno ejuſdem 1270. Indict. 13. menſis Febr. die 3. Apoſtolica Sede Paſtore vacante poſt obitum Domini Clementis Quarti Papæ. In præſentia mei Scrin., & teſtium ſubſcriptorum ad hæc ſpecialitèr vocat., & rogat. Homines Caſtri Sancti Felicis ſuper Sanctis Evangeliis præſtiterunt juramentum continentiæ talis. Nos homines Caſtri S. Felicis juramus ad Sancta Dei Evangelia Citadinantiam Civitatis Terracin. perpetuò permanſuram, & promittimus ipſum Commune Terracin. cum tenimentis, juribus, & rationibus ſuis prò poſſe ab omni homine defendere, & non erimus in conſilio, dicto, vel facto, quod Poteſtas, ſeù Conſules, qui erunt prò tempore, & generalitèr omnes homines ipſius Civitatis tàm Cives, quàm habitatores univerſi, & ſinguli per ſe vitam perdant, aut membra, aut mala captione capiantur. Immo promittimus obedire eis, & omnibus eorum mandatis, ſicut quilibet Terracinen. eis obedire tenetur, & debet, venire ad parlamentum, exercitum, judicem, & comitia prædictæ Civitatis cum à prædictis, ſeù per eorum Nuntium, vel litteras vocati fuerimus, vel etiam requiſiti, & omnia alia facere, & exercere, & eis obedire quemadmodum alii Terracinenſes facere, exercere, & obedire tenentur, & debent. Item juramus, & promittimus perſonas Dominorum Frajapanenſium non offen-

dere,

dere, nec permittere offendi, ſed obedire omnibus Dominis Frajapan. in omni jure Curiæ, quemadmodùm Curia prædictorum Dominorum Frajapan. habet, tenet, exercet, & poſſidet in Civitate Terracin., & ejus territorio, nec fraudare eos, ſeù prò noſtro poſſe fraudari permittere de prædictis, ſeù aliquo prædictorum, & prædictis omnibus; prò parte Dominorum Frajapan. interfuerunt Dominus Judex Petrus Graſſus,& Jacobinus Vicecomites prædictorum Dominorum, & prò parte, & nomine Communis interfuerunt Conſules Civitatis ejuſdem qui præſente Dño Petro dicto Majore prædictum juramentum ab hominibus ſupradictis receperunt, & conſtituerunt loco prædictorum Dominorum ad jura Curiæ perquirenda, exigenda, & recipienda, & reſignanda Dominis ſupradictis, & eorum Curiæ Petrum de Avena, qui præſtito juramento ad Sancta Dei Evangelia promiſit jura Curiæ in eodem Caſtro, & territorio fidelitèt tractare. Teſtes Matthæus de Roſa, Riccardus de Roſa, Presbyter Petrus, Joannes Cimera,& Nicolaus de Calinulo.

Scripſit has juramenti notas Oddo Domini Stephani de Terracina Notarius, quas exemplavit Oddo Frajapanis de Terracena Notarius Anno Domini 1347. Pontif. Domini Clementis Papę Sexti quinto die 20. menſis Januarii.

Poſt mortem Clementi Papæ Quarti quatuor Annos, & novem Menſes Apoſtolica Sedes vacavit, accidit intereà, ut Cajetani Cives quædam mercimonia Terracinenſibus eriperent, quæ Conclave Cardinalium ejuſdem reſtitui juſſit, eaque de cauſa has litteras dedit.

Miſeratione Divina Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales.

Venerabili Fratri B. Arelaten. Archiepiſcopo, & dilecto filio Nobili Viro . . . . Duci Burgundiæ.

Magnifici Principis Domini C. Regni Siciliæ Regis Illuſtris in Regno ipſo Vicariis ſalutem in Domino.

Dilecti Filii Conſules, Conſilium, & Commune Terracinen. noſtri, & Eccleſiæ Romanæ fideles gravi nobis expoſue-

poſuere querela, quod cum nonnulli Concives eorum ſua per mare mercimonia tàm frumenti, quàm aliarum rerum valoris non modici deferentes verſus propria remearent . . . . . . Capitaneus, & Commune Cajetan. eos aggredientes hoſtilitèr, & injurioſè tractantes uſque Cajetam ipſos duxerunt invitos, ac eis dicta mercimonia nequitèr abſtulerunt. Iidem verò Terracinen.id cum ea patientia tolerarunt, quod ad recuperationem ablatorum, vel ad juridicandam injuriam noluerunt per viam diſſentionis intendere, ne per hoc in partibus illis turbationem contingeret ſuſcitari; ſed ad nos potiùs ſuper hiis recurſum devotè, ac humilitèr habuerunt, Ideoquè ſinceritatem veſtram rogamus, & hortamur attentè quatenùs attendentes, quod non decet tantam injuriam, tantumque diſpendium fidelium eorumdem à vobis æquanimitèr tolerari eis præfata mercimonia, & alia ſiqua fuerint illis ablata integra reſtitui facias, ità, quod ipſis non remaneat conquerendi materia,nec exindè contingat gravius ſcandalum exoriri· Noſquè veſtræ ſollicitudinis ſtudium exindè commendare merito debeamus. Dat. Viterbii 7. Kal. Novembris Apoſtolica Sede vacante.

Poſt longam Sedis Apoſtolicæ viduitatem aſſumptus eſt ad ſolium Pontificium Gregorius V.,qui audiens Terracinen. Pipernen.,& homines Caſtri Aquæputridæ gravitèr affligi propter impotentem Romanorum avaritiam Vicario Urbis ejuſmodi in forma Brevis litteras direxit.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio Vicario Urbis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

GRave gerimus admodùm, & moleſtũ, & quod ſicut nupèr accepimus tu non attendens,quod fideles Eccleſiæ præſertim in Campania,& Maritima conſtitutos te non decet indebitis exactionibus, ſeù gravaminibus fatigare,ſed eos potiùs in ſuis juribus,& libertatibus tanquam devotioni filiũ præſertim ob reverentiam Romanæ Eccleſiæ, cui Provincia illa ſpiritualitèr, & tem-

temporalitèr ſubeſſe dignoſcitur confovere. Dilectis filiis Terracinen. Pipernen. ſuiſque Communitatibus, & hominibus Caſtri Aquæputridæ Terracinen. Diœceſis mandare feciſti, ut certam comitivam hominum ad Urbem tranſmitterent cauſa Ludi de Teſtacio vulgaritèr nuncupati, qui in dicta Urbe Annis ſingulis exercetur. Victualia inſuper illico defferri facerent, ac coram te de ſe querulantibus reſponderent in Judicio. Et quia prædicti Communitates, & homines mandato hujuſmodi minimè parverunt, proùt nec etiam tenebantur cum nobis, & Romanæ Eccleſiæ tantummodò ſint ſubjecti, eos condemnari feciſti in quadam pecuniarum quantitate, & demùm prò tuæ voluntatis libito diffidari,& nihilominùs ad depopulationem eorum exercitum tranſmiſiſti, per quem blada in Campis Caſtri ejuſdem inventa fuerunt incendio devaſtata, nec hiis contentus ad graviora contrà eoſdem Communitates,& homines procedere comminaris. Cum igitur, hæc ſi vera ſint, non ſolùm in jacturam, & præjudicium Communitatum, & hominum prædictorum, verum etiam in noſtram, & ejuſdem Eccleſiæ Romanæ offenſionem, & injuriam redundare noſcuntur. Nos nolentes ea, proùt etiam nec debemus æquanimitèr tolerare, Nobilitatem tuam rogamus, & monemus attentè per Apoſtolica tibi ſcripta diſtrictè pręcipiendo mandantes quatenùs ab hujuſmodi exactionibus, & gravaminibus, moleſtiis, & injuriis Communitatum, & hominum prædictorum penitùs conquieſcas, attentare ſimilia contrà nos de cætero non præſumas. De damnis verò, & injuriis de mandato tuo, ut pręditur, eis irrogatis facias plenariam ſatisfactionem impendi. Preces noſtras, & mandatum, quæ à te ad effectum omninò perduci cupimus in hac parte talitèr impleturus, quod non oporteat nos proptèr hoc ſcribere iterato: Ut autem tibi noſtrum in hac parte propoſitum pleniùs exponatur dilectum filium Rainerium Propoſitum Florentin. Cappellan. noſtrum ad præfatam Urbem duximus perſonalitèr deſtinandum, cui ſuper iis, quæ tibi ex parte noſtra retulerit, exhibeas plenam fidem nobis per eum quidquid ſuper præmiſſis faciendum duxeris, relaturus. Datum apud Urbem veterem undecimo Kalendas Auguſti Pontificatus noſtri Anno primo.

Servantur autem hæ omnes litteræ in forma authentica in Archivio Terracinen., ubi & ſequens alia exiſtit, qua idem Pon-

tifex

tifex Siciliæ Regem admonet, ut compeſcat Officiales ſuos à moleſtiis Civibus Terracinen. illatis.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Cariſſimo in Chriſto filio Carolo Regi Siciliæ Illuſtri ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

AD ea, quæ digna ſunt fieri, tanto confidentiùs regalem excellentiam invitamus, quantò inter alios Orbis Principes te fore credimus præcipuum juſtitiæ zelatorem. Ex parte ſiquidem dilectorum filiorum Conſulum, Conſilii, & Communis Terracinen. noſtrorum, & Eccleſiæ Romanæ devotorum fuit propoſitum coram nobis, quod Officiales tui ad ipſorum, & Civitatis Terracinen. gravamina prò libito aſpirantes juribus Regni Siciliæ, quod eſt à tenimento ejuſdem Civitatis ſeparatum certis limitibus non contenti eos ſuper tenimento ipſo indebitè moleſtare præſumunt ingrediendo illud interdum hoſtilitèr, & ſegetes ibidem prò tempore conſiſtentes rapiendo, & etiam devaſtando, necnon homines in tenimento eodem inventos ad terras inibi excolendas temere capiendo nitentes per hoc, prædictum tenimentum eorum ſubmittere ditioni, ſuper quo dicti Conſules, Conſilium, & Commune ad noſtram duxerunt providentiam recurrendum. Nos igitur attendentes, quod præmiſſa non ſolùm in prædictorum Conſulum, Conſilii, Communis, & Civitatis, verum etiam ejuſdem Eccleſiæ Romanæ cujus Proprietatis Civitas ipſa fore dinoſcitur, prejudicium, & jacturam redundare noſcuntur, ac per hoc cupientes hęc per tuę providentię remedium proùt tuam decet magnificentiam emendari Serenitatem Regiam rogamus, & hortamur attentè quatenùs ſi præmiſſis veritas ſuffragatur, præfatos Officiales ab hujuſmodi moleſtiis, & gravaminibus dictorum Conſulum, Conſilii, Communis, & Civitatis tradita tibi poteſtate compeſcas, ac de dapnis per hęc illatis eiſdem facias ipſis debitam ſatisfactionem impendi. Preces autem noſtras in hac parte ſic admittat Regia celſitudo, quod Regalem excellentiam poſſimus exindè dignis in Domino laudibus

Digitized by Google

bus commendare, nec oporteat nos propter hoc ſcripta Apoſtolica iterare. Datum apud Urbem veterem 5. Kal. Maii Pontif. Noſtri Anno ſecundo.

Quid profecerit Pontifex dictis monitis ignoramus, certè Officiales Regios perſeveraſſe moleſtiis afficere Terracinenſes, conſtat ex ſequentibus.

In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anno à Nativitate ejuſdem 1273. 17. die menſis Junii primæ indict. Pontif. Domini Gregorii Papæ X. Anno ſecundo.

In præſentia mei Not., & teſtium ſubſcriptorum Dominus Petrus de Piozolo Judex, & Syndicus, ſeù actor Cummunis Terracinę audito rumore plurium, & clamantium, quod Regius Juſtitiarius terrę laboris, & Comitatus Miliſii Dñus Raynaldus de Polſellis, & alii Officiales Sereniſſimi Regis Caroli intraverant, & invaſerant territorium Terracinę ſcilicet ſaltum, & meſſes ibidem exiſtentes devaſtabant, & violentèr auferebant exercitu congregato militum, & peditum per mare, & per terram, & quod deterius eſt, veniant uſque ad flumicellum juxta molendina canneti propè Terracinam infra duo milliaria; accedens ad locum una mecum, & ſubſcriptis teſtibus invenit exercitum congregatum militum, & peditum Galliorum, & hominum de Regno de Civitate Fundorum, & Cajetæ, & aliis Civitatibus, & Caſtris terræ laboris poſitum in dicto loco flumicelli Territorio Terracinæ juxtà molendina Canneti infrà duo milliaria propè dictam Civitatem Terracinæ, & ibi Caſtra-metati ſunt cum territoriis exercitu militum, & peditum per mare, & per terram, & homines dicti exercitus hoſtilitèr, & violentèr armata manu devaſtantes, & aſportantes ſegetes, & fruges hominum Terracinæ poſitas in ipſo ſaltu, & per ipſos ibi ſeminatas, & invadentes tenutam, & pertinentia Civitatis ejuſdem uſquè ad molendina Canneti Terracinæ propè ipſam Civitatem infrà duo milliaria. Idem Syndicus prò parte, & nomine Rectoris, Conſilii, & Communis Terracinæ, quæſivit ab hominibus dicti exercitus quis eſt Juſtitiarius, & ubi eſt? ad quæ Dominus Francus, Dominus Maranulæ Regius Miles reſpondit non eſt hic, ego ſum ejus Vicarius, quod & plures Milites de familia Juſt. ibidem exiſtentes illud affirmarunt, qui quidem Petrus Syndicus clamans ego quæro Dominum Raynaldum Regis Juſt., & hoc ſæpius repetiit alta voce

Digitized by Google

in exercitu clamando, & cum dictus Syndicus prædictum Juſt. invenire non poſſet in ipſo exercitu ſecundò in infraſcriptum modum proclamationis, & appellationis vocem emiſit. Coram vobis Domine Raynalde de Polſellis, Magnifice Domine terræ laboris, & Comitatus Miliſii Regie Juſtitiarie, & vobis Domine France ejus Vicarius, ut aſſeritis, & vobis Domini Officiales Sereniſſimi Regis Caroli; Ego Petrus Piozolus Scindicus Civitatis Terracinæ prò parte, & nomine ipſius Civitatis, & hominum ejus propono, & proteſtor, quod contra Deum, & juſtitiam nequitèr, & injuſtà invaſiſtis, & intraſtis manu armata, & hoſtilitèr ſaltum, & alia tenimenta Civitatis prædictæ in præjudicium, & gravamen ipſius Civitatis, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, cujus eſt proprietas uſquè ad locum ſuperiùs memoratum ſcilicet Molendinum Canneti ſegetes, & fruges in ſaltu exiſtentes devaſtantes, & aſportantes; Unde propter prædicta gravamina, & injurias ipſius Civitatis,& hominum ejuſdem, & per hoc ipſi Romanæ Eccleſiæ illatas ad Summum Pontificem,& ipſam Sanctam Romanam Eccleſiam proclamo, & appello. Ponens ipſam Civitatem Terracinæ, & ipſum ſaltum, ſegetes, & fruges ibi ſeminatas per homines Terracinæ ſub protectione, defenſione, & tutela Domini Noſtri Summi Pontificis, & Eccleſiæ Romanæ, & Officialium ejus; pręſentibus, & ad hoc adjectis, vocatis, & rogatis teſtibus Dño Fratre Franciſco Venerabili Epiſcopo Terracinæ, Fratre Joanne Socio, & Cappellano ejuſdem, Domino Nicolao de David, Benedicto Molinario, Stephano de Mario Probenzone de Terracina, & aliis pluribus. Actum fuit hoc in loco ſupradicti flumicelli juxtà mare tenimento Civitatis Terracinæ coram exercitu ſupradicto ibidem exiſtenti anno, menſe, die, & indict. prętitulatis.

Ego Stephanus de Piro de Terracina auctoritate Sanctę Romanę Eccleſię publicus Notarius hiis prędictis interfui, & pręſens publicum Inſtrumentum rogatus exindè manu propria ſcripſi, complevi, & abſolui.

CAP. V.

Poſt obitum Gregorii Decimi ſucceſſivè Romanę Eccleſię regimen tenuere Innocentius Quintus, Adrianus Quintus,

tus, & Joannes XXI., qui omnes breves fuere Pontifices; ſub Nicolao autem Tertio ultimi Papę ſucceſſore iterum Terracinenſes vexantur à Romanis una tamen cum Pipernen., & Setinis, in quorum ſubſidium hujuſmodi litteras dedit prędictus Pontifex.

NICOLAUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio Nobili Viro . . . . Senatori Urbis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

GRave gerimus admodum, & moleſtum, quod ſicut nupèr accepimus tu non attendens, quod fideles noſtros, & Eccleſiæ præſertim in Campania, & Maritima conſtitutos, te non decet indebitis exactionibus, ſeù gravaminibus fatigare, ſed eos potiùs in ſuis juribus, & libertatibus præſertim ob reverentiam noſtram, & Romanæ Matris Eccleſiæ, cui Provincia ipſa ſpecialitèr in ſpiritualibus, & temporalibus immediatè ſubeſſe dinoſcitur, confovere. Dilectis filiis Terracinen. Pipernen., & Setinis Communitatibus Eccleſiæ prędictę fidelibus per tuas litteras ſub certa pæna mandaſti, ut infra certum terminum ad Cameram Urbis ſpeciales Nuncios mitterent bladi, vini, aliorumque liquorum menſuras inibi recepturos contra eos, ſi id non facerent comminando te acritèr proceſſurum. Alias etiam quoſdam ex hominibus ipſius Communitatis Setiæ non ratione contractus, vel ex alia cauſa ſimili, quæ ipſis in Curia Capitolii juris cenſura conſtringeret, per tuas litteras citari feciſti, ut quibuſdam de ſe querelantibus in eadem Curia reſponderent. Cum igitur noſtra intereſt ſuper hiis de oportuno remedio providere, nec ſit à nobis æquanimitèr tolerandum, quod ipſi, vel alii fideles Eccleſiæ ſubiiciantur jugo inſolitæ ſervitutis eiſdem Cōmmunitatibus ſub debito fidelitatis, quo nobis, & Romanę Eccleſię tenentur, damus noſtris litteris firmitèr in præceptis, ut tibi tàm in hiis, quàm in aliis, quæ nunquam Senatori, vel Urbi conſueverunt facere, nec tenentur, & in præjudicium libertatis eorum, ac derogationem juriſdictionis Sedis Apoſtolicæ redundare noſcuntur, ſicut noſtram, ac ipſius Sedis caram habent gratiam, parere aliquatenùs

non præſumant. Quocirca Nobilitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur attentè per Apoſtolica tibi ſcripta firmitèr præcipiendo mandantes quatenùs provide penſans, quod te non decet fideles Eccleſiæ in derogationem, & enervationem noſtræ juriſdictionis gravaminibus opprimere inſuetis, nec extendere ad indebita manus tuas, ipſos debita libertate gaudere permittas, & eos prętextu prȩcepti tui hujuſmodi, cum illud adimplere minimè teneantur in aliquo non aggraves, vel moleſtes.

Proceſſus verò ſi quos occaſione prȩmiſſa indiffidando, vel condempnando eoſdem, vel eorum aliquem feciſſe dinoſceris, ſtudeas penitus revocare; nullam eis, vel eorum aliquibus de cętero ſuper conſimilibus injuriam, vel moleſtiam illaturus. Preces, & prȩceptum noſtrum, quȩ à te ad effectum perduci cupimus in hac parte talitèr adimplere procures, quod non oporteat propter hoc ſcribere iterato, ſed potiùs devotio tua poſſit proindè merito commendari. Dat. Romȩ apud S. Petrum 10. Kal. Decembris Pontif. noſtri Anno primo.

Quidam Auctor alio modo has litteras exhibet, nimirùm Pipernenſes poſtponit Setinis, quibus in noſtris monumentis prȩcedunt Pipernenſes, ſicuti fidelitèr hic ſcripſimus ex notis Archivii Terracinen. ubi in forma authentica, & originalitèr ſervantur una cum ſequentibus datis Communitatibus dictis.

NICOLAUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis Terracinen., Pipernen., & Setinis Communitatibus noſtris, & Eccleſiæ Romanæ fidelibus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

GRave gerimus admodum, & moleſtum, quod ſicut nuper accepimus dilectus filius Nobilis Vir . . . Senator Urbis non attendens, quod fideles Eccleſiȩ prȩſertim in Campania, & Maritima conſtitutos eum non decet indebitis exactionibus, ſeù gravaminibus fatigare, ſed eos potiùs in ſuis juribus, & libertatibus prȩſertim ob reverentiam Romanȩ Matris Eccleſiȩ, cui Provincia ipſa ſpecialitèr in ſpiritualibus, & tem-

temporalibus immediatè ſubeſſe dinoſcitur; confovere, vobis per ſuas litteras ſub certa pena mandavit, ut intrà certum terminum ad Cameram Urbis ſpeciales Nuncios mitteretis bladi, vini, aliorumquè liquorum menſuras inibi recepturos contrà vos, ſi id non feceritis comminando ſe acritèr proceſſurum: Alias etiam quoſdam ex vobis filii Setin. non ex ratione contractus, vel ex alia cauſa ſimili, quæ ipſos reſpondere in Curia Capitolii juris cenſura conſtringeret, per ſuas litteras citari fecit, ut quibuſdam de ſe querelantibus in eadem Curia reſponderent; Cum igitur noſtra interſit ſuper hiis de oportuno remedio providere, nec ſit à nobis æquanimitèr tolerandum, quod vos, vel alii fideles Eccleſiæ ſubiciamini jugo inſolitæ ſervitutis: Univerſitati veſtræ ſub debito fidelitatis, quo nobis, & Eccleſiæ Romanæ tenemini per Apoſtolica ſcripta firmitèr præcipiendo mandamus, quatenùs Senatori prædicto tàm in hiis, quàm in aliis, quæ nunquam Senatori, vel Urbi conſueſtis facere, nec tenemini, & in præjudicium libertatis veſtræ, & derogationem juriſdictionis Sedis Apoſtolicæ redundare noſcuntur, ſicut noſtram, & ipſius Sedis caram habetis gratiam parere nullatenùs præſumatis. Nos etiam eidem Senatori noſtris damus litteris in præceptis, ut vos debita libertate gaudere permittens prætextu præcepti ſui hujuſmodi cum illud adimplere minimè teneamini, vos in aliquo non aggravet, vel moleſtet, & proceſſus ſi quos occaſione præmiſſa in diffidando, vel condempnando vos, vel veſtrum aliquem feciſſe dinoſcitur, ſtudeat penitùs revocare nullam vobis, vel veſtrum aliquibus de cætero ſuper ſimilibus injuriam, vel moleſtiam illaturus. Dat. Romæ apud S. Petrum 10. Kal. Decembris Pontif. noſtri Anno primo.

Cum Terracinenſes Nicolaum Papam Quartum in Poteſtatem ſuæ Civitatis eligerent, acceptavit ille Provinciam, & ità eiſdem reſpondere dignatus eſt.

NI-

NICOLAUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis filiis Conſilio, & Communi Civitatis Terracinen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

NUper nos ad vitam noſtram, & poſt obitum noſtrum Collegium Cardinalium Romanæ Eccleſiæ, ac futurum Summum Pontificem uſque ad ſui Pontificatus annũ in veſtrum, & Civitatis Terracinen. Rectorem, ac Poteſtatem unanimitèr, & concorditèr elegiſtis habita prò nulla, & caſſa omni alia electione dudum in Civitate præfata de perſonis quibuslibet celebrata, ſeù facta, proùt in Inſtrumento publico ſuper hoc confecto pleniùs, & ſeroſiùs continetur. Cum autem hujuſmodi regimen Civitatis ejuſdem nobis ex parte veſtra oblatum ſit, & etiã acceptatum à nobis. Nos attendentes, quod occaſione quarundam electionum de Civitatis prædictæ regimine utpotè in diſcordia celebratarum ibidem Civitas ipſa, quæ eſt Romanæ Eccleſiæ ſpecialis graviorem turbationem, & diſſentionem incurrerere, ac etiam animarum poſſent pericula evenire, ac propterea volentes, proùt ad nos ſpectare dinoſcitur, periculis obviare, prædictas electiones de quibuslibet celebratas Apoſtolica auctoritate caſſandas duximus, & etiam irritandas, ac de probatione dilecti filii Nobilis Viri Octaviani de Brunforte Campaniæ, Maritimæque Rectoris plenam in Domino fiduciam obtinentes ſibi prædictum regimen uſque ad beneplacitum Apoſtolicæ Sedis commiſimus confidentèr. Univerſitatem veſtram rogantes attentiùs, & hortantes per Apoſtolica vobis ſcripta, nihilominùs injungendo quatenùs eundem Octavianum ad dictum regimen admittatis, ſibique tanquam Poteſtati veſtro in hiis, quæ ad ſuum ſpectare officium intendet, ac obedire curetis ità, quod devotionem veſtram exindè poſſimus non immeritò commendare. Dat. Reate 11. Kal. Auguſti Pontif. noſtri Anno ſecundo.

Idem Pontifex cum reſciviſſet nonnullos Cives Romanos profectos eſſe in depopulationem Civitatis Terracinæ, Senatori Urbis hujuſmodi litteras dedit.

NI-

NICOLAUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio Nobili Viro Joanni de Columna Senatori Urbis. Salutem,& Apoſtolicam Benedictionem.

DUdùm tibi ſcripſiſſe recolimus, quod nonnulli de Anibaldenſibus, & alii Cives Romani ſuis limitibus non contenti ad turbationem, & occupationem Terrarum Romanæ Eccleſiæ venire aſpirantes ad capiendam Civitatem Terracinen., quæ temporalitèr, & ſpiritualitèr nobis ſubeſt, oſtilitèr acceſſerunt, & cum illam capere nequiviſſent ad populationem, & deprædationem intendentes ipſius animalia Civium Civitatis ejuſdem deſtructis nequitèr eorum ſegetibus abduxerunt in prædam eis alia dapna quamplurima irrogando propter quod tibi inter alia ſub certa forma dedimus litteras in mandatis, ut prædictos Anibaldenſes, & Cives Romanos, quos in prædictis reperires culpabiles ex officio tuo ſtuderes pæna debita caſtigare ex parte noſtra prædicens eiſdem, quod niſi ab hujuſmodi præſumptionibus, & inſolentiis reſilirent, ipſos dominiis Caſtrorum, & Vaſſallorum, & aliorum bonorum, quæ in terra Eccleſiæ obtinent, privaremus. Verum, quia ſicut nupèr fuit expoſitum coram nobis; Nobiles Viri Laurentius de Candulfis Miles, Anibaldus, & Petrus filii Traſmundi, eorumque filii, & nepotes Riccardus, & Nicolaus filii quondam Theobaldi, Jacobus Riccardi de Miliuris, & nonnulli alii de Anibaldenſibus Civitatem prædictam perturbare,ac habitatores ipſius quominùs in territoriis ejuſdem Civitatis, in Maritima terras eorum laborare, ac beſtias ibidem tenere poſſint, impedire nituntur. Nobilitati tuæ præſentium tenore diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenùs dictis Nobilibus ad certas, & graves pænas firmitèr inhibere procures, de quibus ſolvendis, ſi ea commiſerint, per te ab eis recipi volumus idoneas cautiones, quod ab hujuiſmodi impedimentis, & moleſtiis dictorum Civium penitùs conquieſcant, alioquin ad exactionem dictarum penarum contrà eos, proùt viſum fuerit, procedere non poſtponas; non obſtante, quod dicti Terracinen. dicuntur in Capitolio diffidati; ſuper hiis autem ſic te reddas ſolli-

ſollicitum, & attentum quod Civitas, & Cives Terracinen. prędicti tuo auxiliante præſidio in eorũ libertate quieſcere valeant; Noſquè devotionem tuam dignis in Domino laudibus poſſimus in Domino commendare. Dat. apud Urbem veterem 5. Kal. Octobris Pontif. noſtri Anno tertio.

Sub eodem Pontifice Terracinenſes, teſte Raynaldo tom. 14. ad annum 1299. (vide cap. 9. lib. primi) in arma, & ſeditiones converſi quam plurimis diſſidiarum, bellorumque civilium tumultibus exagitati ſunt, qui gliſcentes tempore Bonifacii Octavi cauſa fuerunt, ut idem Pontifex eligeretur in Poteſtatem Civitatis Terracinæ ad componendas turbas, & Civium motus; Forma autem electionis talis eſt.

In nomine Domini Amen. Hæc eſt forma electionis factæ per Commune Civitatis Terracin. de Sanctiſſimo Papa Bonifacio Octavo in Poteſtatem ipſius Civitatis ad vitam ſecundi. Infraſcripta Capitula facta per ſubſcriptos homines dictæ Civitatis electos ad hoc ſecundum quod ipſe Dominus Papa, ſeù Vicarius dicti Domini Papæ debet regere, & manutenere homines dictæ Civitatis, & ſecundum quod debet aſſignari dicta poteſtaria prędicto Domino noſtro Papæ, ut regat, & regi faciat homines dictæ Civitatis per Syndicum hominum, & Communis dictæ Civitatis. Videlicet in primis, quod ipſe Dominus Papa, ſeù ejus Vicarius habere debeat annuatim prò officio ſuæ poteſtariæ cum ſalario floren. auri centum, & medietatem omnium pęnarum condepnatorum exceptis pęnis condepnatorum operis publici ſecundum ſtatuta ipſius Civitatis facta, & facienda, quas ſibi dictum Commune reſervat, & ut ejuſdem Civitatis homines ſub ſua protectione in pace, quiete, bono, & tranquillo ſtatu manuteneat, & gubernet, & ab inimicis eorum æmulis, & perſecutoribus tanquam fideles, & devotos Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ foveat, protegat, & defendat, & ut diſcordes ad firmam, & ſtabilem pacem reducat, & ſpecialitèr intrinſecos Peruntinos, qui ſunt de parte, & ſequaces ſuos, & filios D. Petri Tranſimundi ex una parte, & D. Anibaldum de Ceccano, & D. Joannem ejus filiũ, & alios filios eorum, & eorum ſequaces, de quibus potiſſimè dubitatur, & etiam exteros Civitatis ejuſdem ex alia parte, quæ ſit conſtans, & firma, perpetua, & durabilis, & rumpi nequeat, nec infringi, & ut iterùm non rumpatur, proùt rupta extitit. Prò

dicto

dicto autem ſalario idem Populus, & Commune fecit, conſtitui, & ordinavit eorum Syndicum Joannem Ventrem de Puſterula Civem Civitatis præfatæ, & Ambaxatores videlicet Riccardum de Roſa, Matthiam de Berardo, Petrum Thedini, Rogerium Joannis Cairi &c. reſervata ſibi Communi electione Judicis, & Not. eorum de quacumque parte,& undecumque, proùt actenus extitit conſuetum. Item quod Poteſtas,Vicarius, ſeù Rector miſſus per vos Sancte Pater,qui prò tempore erunt in Civitate Terracinæ teneatur regere,& gubernare, & manutenere homines dictæ Civitatis Terracin. ſecundum ſtatuta ipſius Civitatis facta, & facienda per homines Civitatis præfatæ, & in defectu ſtatutorum ſecundum jura. Item quod omni anno mittatur ei Poteſtas novus prò Sanctitate veſtra, qui ſit miles vel judex. Item ſupplicant, ut ejuſdem Civitatis homines, & Commune ſub veſtra protectione recipiatis, & ità manuteneatis, ut ab aliquibus eorum æmulis, & inimicis, & perſecutoribus offendi, & deſtrui nequeant, nec turbari.

Item ſupplicant vobis Domine Sancte Pater,quod ſi per vos aut de mandato veſtro reformabitur pax inter prædictas partes, quod non permittatis ulli dictarum partium immiſcere inter eos aliquem bonum hominem de Terracina. Item quod ſi dicta pax reformabitur inter dictas partes, quod dictum Commune non obligetur prò ipſis partibus,ſeù pro pace eorum. Scripta fuerunt prædicta per me Jacobum de Piperno Not.Civitatis Terracin.de mandato Domini Joſeph.Judicis dictæ Civitatis, & ex deliberatione Communis, ſeù Populi Civitatis præfatę ſub Anno Domini 1295.ind.8.menſ.Jan.die 22.Pontif.D. Bonifacii Papæ VIII.præſentibus D.Traſimundo de Monte,Petro Babuci.Judice Philippo de Berardo, Jacobo Pervenſano, Jacobo Magrino de Terracin. Hæc autem forma electionis ſigillata erat vero,& legitimo ſigillo dicti Communis, & de cera viridi, quod quidem ſigillum eſt rotundum, & in eo ſunt ſculptæ duæ Turres cum una porta, & duo Leones, & alia in eo exiſtentia.

Et ego Petrus Scoccus de Ferent.Notarius Communis Terracin.exemplavi coram Domino Matthęo Clerico, Petro de Roſa Not.,& Girardo de Orto Not., meoque ſigno ſignavi ſub Anno Domini 1295. Pontif. Domini Bonifacii Papę VIII. Anno primo die Auguſti 19.

Acceptaſſe hujus electionis Provinciam innuit ipſemet Bonifacius Octavus in Bulla relata à nobis lib. 1. cap. 9., ubi Terracinenſes diſſidiarum tuturbinibus conquaſſatos inter ſe conciliare laborat; id, quod accidit Anno primo ſui Pontificatus, Anno verò ſecundo eiſdem Terracinen. gratioſe permiſit liberum arbitrium ſuper quibuſdam Captivis, uti docet ejus epiſtola tenoris ſequentis.

BONIFACIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis Nobili Viro Nicolao de Buccamatiis Civi Romano Campaniæ Maritimæque Rectori, Poteſtati, Conſilio, & Communi Terracinen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

SUper ſtatu Captivorum, qui per vos de mandato noſtro tenentur, noſtrum ſuper hoc beneplacitum imploraſtis. Nos igitur vos, & Civitatem veſtram ſuper hoc honorare volentes gratioſe permittimus, ac placet nobis, ut de captivis ipſis, & eorum ſtatu, proùt honori, & commodo veſtro, ac Civitatis ejuſdem expedire videritis diſponatis. Dat. Anagniȩ 6. Kal. Julii Pontif. noſtri Anno ſecundo.

Anno autem tertio cum rei frumentariæ caritate laborarent Terracinenſes, eiſdem de victualibus ſibi alibi provideri conceſſit; patet hoc ex ſequentibus litteris.

BONIFACIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis Communi Civitatis Terracinen. Eccleſiæ Romanæ fidelibus. Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

NUpèr nobis intimare curaſtis, quod defectum non modicum in victualibus ſuſtinetis propter quod aliundè ſub-

ſubſidium quærere vos oportet. Quare nobis humilitèr ſupplicaſtis, ut in Inſula Iſclæ, & aliis Regni Siciliæ partibus frumentum, & alia victualia emere, & ad Civitatem Terracinen. deferre liberè, benignam vobis licentiam concedere dignaremur. Cum itaquè Civitatem prædictam, utpotè fidelem, ac devotam Romanæ Eccleſiæ filiam ſpeciali proſequamur affecta, & ad bonum ſtatum ejus, & proſperum paternis ſtudiis intendamus Univerſitati veſtræ, quod in Inſula Iſclæ, & aliis ejuſdem Regni partibus quibuſcumque, Inſula Siciliç dumtaxat excepta, frumentum, & alia victualia quotieſcumquè, & per quoſcumquè veſtras litteras deferentes licitè, ac impunè emere, & ad Civitatem prędictam deferre liberè valeatis, plenam vobis licentiam auctoritate pręſentium impertimur. Dat. Romę apud S. Petrum 7. Id. Martii Pontif. noſtri Anno tertio.

Eadem ſuper re ne Terracinenſes à Rectore Provinciç impedirentur, aut divexarentur moleſtiis idem Pontifex infraſcripta ſcripſit eidem.

BONIFACIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio Nobili Viro Boſtayno Cantelmi Campaniæ, Maritimæquè Rectori ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

NUpèr nobis Commune Civitatis Terracinen. intimare curarunt, quod ipſi defectum non modicum in victualibus patiuntur propter quod oportet eos ſubſidiū quęrere aliundè, quare nobis humilitèr ſupplicarunt, ut in Inſula Iſclę, ac aliis Regni Siciliç partibus frumentum, & alia victualia emere, & ad Civitatem prædictam deferre liberam eis licentiam concedere dignaremur. Cum autem Civitatem prędictam, utpotè fidelem, & devotam Romanę Eccleſię filiam ſpeciali proſequamur affectu, & ad bonum ſtatum, ejus, & proſperum paternis ſtudiis intendamus eidem Communi, quod in Inſula Iſclę, & aliis ejuſdem Regni partibus quibuſcumquè Inſula Siciliç dumtaxat excepta, frumentum, & alia victualia quotieſcumquè, & quaſcumquè pręfati

fati Communis litteras deferenti licitè, & impunè emere, & ad Civitatem prædictam deferre liberè valeant, plenam eis licentiam per noſtras duximus litteras impendendam. Volumus itaquè, & per Apoſtolica tibi ſcripta mandamus quatenùs præfatum Commune frumentum, & alia victualia in Inſula Iſclæ, & alii Regni partibus ſupradicti liberè, & abſquè ulla exactione pecuniæ ſine pęna juxtà conceſſionis noſtræ tenorem emere, & ad Civitatem eandem deferre permittas, nullam occaſione hujuſmodi eidem Communi generalitèr, vel ſpecialitèr turbationem, vel moleſtiam inferendo ſic te in hoc efficacitèr habiturus, ut devotionem tuam exindè non immeritò commendemus, & indigentię Communis ejuſdem poſſit celeriter auctore Domino ſubveniri. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum 7. Id. Martii Pontificatus noſtri Anno tertio.

Hoc eodem Anno rupta fuit pax inita inter Peruntinos, & alios Cives Terracinenſes, qui paulò ante turbis, bellicisque motibus tumultuando totam fere Provinciam Campaniæ ſuſdequè verterant, quapropter ne iterum ſimilis procella gliſcendo detonaret contrà eoſdem inquiſivit prælibatus Provinciæ Rector, ut liquet ex ſequentibus in Archivio Terracinen. ſervatis.

Magnificus Vir Dominus Boſtaynus Cantelmi Miles Campaniæ, Maritimæquè Rector Anno Domini 1297. Anno tertio Bonifacii Papæ Octavi opera Domini Gentilis de Briatico Judicis ejuſdem fecit inquiſitionem contrà omnes, & ſingulos Valeriorum, & ſanguinorum, & ſpecialitèr contrà Judicem Boetium, & Judicem Joannem Paulum Terracin. ſuper eo quod diabolico ſpiritu inſtigante cum pax, & concordia eſſet facta, & ſolemnitèr celebrata inter ipſos, & quoslibet ipſorum ex parte una, & Peruntos ex parte altera tempore Rectoriæ Domini Nicolai de Buccamatiis (conventiones, & capitula in Inſtrumento pacis continentur) contraveniendo contrà pacis capitula in ipſa Civitate dicuntur feciſſe rumorem movendo guerram, & prælium contrà Peruntos, & illos de parte ipſorum Peruntorum cauſa expellendi omnes de ipſa Civitate, & contrà honorem, & reverentiam Sanctiſſimi Patris Domini Bonifacii Papæ VIII. dicuntur pluribus, & diverſis vicibus miſiſſe Nuncios, & litteras ad Dominum Joannem de Ceccano Juniorem, & ipſe Dominus Joannes venire deberet cum multitudine armatorum ad Civitatem Ter-

Terracinam, & ipſam Civitatem mittere in manibus ipſius Domini Joannis, & una cum ipſo Domino Joanne movere guerram, & prælium contrà partem de Peruntis &c. mandatum fuit Judici Boetio, & Judici Joanni Paulo fratribus de Terracina, ut appareant Fruſin.&c.exbandiat ex tota Provincia, & ſi capi poterunt, vinciantur &c.Omnia bona mandavit annotari ad opus Eccleſiæ. Exemplavit Joannes Dñi Riccardi de Balena Canonicus Terracin., & Notarius Anno Domini 1298. tempore Pontif. Bonifacii VIII.Anno quarto.

Ex his, quid poſtmodùm evenerit, ignoramus, certè ſub Benedicto Papa XII.cum loca Campanię,Maritimæquè per nonnullos Barones, & Principes jactarentur variis tumultibus, quia ji temeritate propria, & audacia ſe intrudebant in officia Rectoriæ, ſeù Poteſtatis, ſequentibus litteris illorum maleſanæ proterviæ obviam ivit Pontifex prædictus; ne faceſſerent negotium Terracinenſibus.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis Communi Civitatis Terracinen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

DEſideriis affectantes intenſis Campaniam,& Maritimam, aliaſquè Provincias, ac terras nobis, & Eccleſiæ Romanæ immediatè ſubjectas, & habitatores, & incolas earundum ſub cultu juſtitiæ gaudere commodis tranquillitatis, & pacis, ad hæc procuranda, & eis obvia ſummovenda libentèr interponimus ſollicitudinis partes noſtras, ideoquè dudum relatione veridica, & docente magiſtra rerum experientia intellecto, quod ex eo quia Comites, Barones, Magnates, & alii Nobiles potentes, eis, vel aliis Procuratoribus prò eiſdem in nonnullis dictarum Provinciarum Campaniæ Maritimæque Civitatibus, Caſtris, & locis electi fuerunt hactenùs, ſeù aſſumpti ad Civitatum, Caſtrorum, ſeù locorum eorundem regimina, ſeù quod ipſi etiam interdum regimina hujuſmodi temeritate propria occuparant, partialitates, diſſenſiones, commo-

motiones, & odia non abſquè turbatione magna ſtatus Provinciarum ipſarum pacifici, ac animarum, perſonarum, & rerum diſpendiis ibidem fuerunt multiplicitèr ſuſcitata. Nos ut hujuſmodi obviaretur periculis, & incommodis, conſuleretur-què ſalubritèr ſtatui Provinciarum ipſarum auctoritate Apoſtolica duximus, ordinandum, ut nullus Princeps, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Baro, aut alius nobilis potens, vel eorum frater, filius, aut nepos, ſeù quivis alius ipſis procurantibus quovis modo, colore, vel cauſa per ſe, vel aliam perſonam quomodolibet ſummittendam in Rectorem, Gubernatorem, Defenſorem, Poteſtatem, Capitaneum, vel Officialem alium quocumquè nomine cenſerentur, alicujus Civitatis, Caſtri, vel loci partium prædictarum poneretur, eligeretur, vocaretur, vel etiam aſſumeretur, eaſdem decernimus eſſe nullas, & omni carere robore firmitatis, electores, vocatores, & aſſumptores, necnon electos, vocatos, & aſſumptos hujuſmodi ſi eiſdem electioni, nominationi, vocationi, & aſſumptioni prȩſtarent cōſenſum, aut jam aſſumpta per eos hujuſmodi regimina infrà quindecim dierum. Spatium poſt publicationem ordinationis prędictæ ſolemnitèr in illis partibus faciendam non dimitterent, ſe de illis intromittendo per ſe, vel alium quovis modo, necnon obedientes, & in hoc dantes ejuſdem electoribus, nominatoribus, vocatoribus, aſſumptoribus, ſeù electis, nominatis, vocatis, & aſſumptis auxilium, conſilium, vel favorem publicè, vel occultè, ſi forent ſingulares perſonæ cujuſcumque dignitatis, præeminentiæ, conditionis, & ſtatus, etiamſi Epiſcopali, vel quacumque alia dignitate fulgerent excommunicationis ſententiam incurrerent eo ipſo. Si verò Univerſitas, vel Communitas alicujus Civitatis, Caſtri, vel loci electionem, nominationem, vocationem, vel aſſumptionem, aliquam contra ordinationem noſtram facere, vel attemptare præſumerent interdicti ſententiæ ſubjacere volumus ipſo facto.

Et inſupèr quȩlibet mandata, præcepta, ordinationes, quȩ dicti, nominati vocati, electi, ſeù aſſumpti prætextu officii hujuſmodi facerent, omneſque ſententias, quas ferrent, & quidquid indè fecerent irrita prorſus ex tunc, & vacua duximus nuntianda nobis, & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus abſolutione, ac relaxatione prædictarum ſententiarum ſpecialitèr re-

reſervatis, ſed per hæc eis, ad quos nominatio, electio, vocatio, ſeù aſſumptio hujuſmodi ex privilegio, conſuetudine, vel de jure in dictis Civitatibus, Caſtris, & locis noſcitur pertinere, quominùs inferioris ſtatus perſonas, de quibus univerſalitèr, vel particularitèr pacificum ſtatum partium, Civitatum, Caſtrorum, vel locorum prædictorum poſſe turbari, veriſimilitudo probabilis non admitteret, ad hujuſmodi regimina poſſent aſſumere liberè, ſicut priùs non intelleximus aliquod præjudicium generari, ſicut in litteris noſtris ſuper hujuſmodi ordinatione confectis, & in eiſdem Provinciis, ut credimus, ſolemnitèr publicatis pleniùs continetur. Sanè cum ordinationem eandem provida, & matura deliberatione factam, & editam, ac ſtatui dictarum Provinciarum proſpero, & pacifico multiplicitèr accomodam velimus in eiſdem Provinciis inviolabilitèr obſervari, Univerſitatem veſtram rogamus attentiùs requirimus, & hortamur. Quatenùs ipſam ordinationem, ſic obſervare tenaciter nihil attemptando contra tenorem ipſius, nec attemptari etiam per alios, quantum in vobis fuerit, permittendo, curetis, quod non ſolum pænas, & ſententias vitetis in ipſa ordinatione contentas, ſed potiùs de obedientia, & devotione, apud Deum, & Sedem prædicta commendari exindè meritò valeatis, ac noſtram, & Sedis ipſius benedictionem, & gratiam uberiùs promeri. Dat. Avvenion. 15. Kal. Junii Pontif. noſtri Anno quarto.

Anno huic proximo cum ob quædam facinora Civium Anagnin. ſtatus Provinciarum Campaniæ, & Maritimæ variis motuum fluctibus agitaretur, idem Pontifex hujuſmodi litteras Terracinen. direxit.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis Communi Civitatis Terracinen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CUm novitèr ad audientiam noſtram fuerit diſplicabili nimis inſinuatione perductum, quod ex quibuſdam facinoroſis exceſſibus hiis diebus preteritis inſtigante inimico humani

ni generis in Civitate Anagnin., ſicut fertur, commiſſis, & exindè multorum mentibus exceſſuum eorundem horrore concuſſis ſtatus Provinciarum noſtrarum Campaniæ, Maritimæquè pacificus commotus extitit quodammodò, ſeù etiam perturbatus Univerſitatem veſtram rogamus, requirimus, & in Domino attentiùs exhortamus, quatenùs dilectis filiis Rectori, & . . . . . Theſaurario noſtris Provinciarum ipſarum circa reformandum, confovendum, & manutenendum ſtatum hujuſmodi, & alia officiorum ſuorum, & cujuslibet ipſorum exercitui concernentia aſſiſtere ſic fidelitèr, & conſtantèr curetis, quod nos fidelitatem, & devotionem veſtras erga nos, & Eccleſiam Romanam præſertim turbato tempore, quod fulgor earum, clariùs, dum reſplendet, aſpicitur, per exhibitionem operis cognoſcentes, reperiamur non immeritò in veſtris oportunitatibus magis propitii, & benigni. Dat. Avvenion. II. Non. Martii Pontificatus noſtri Anno quinto.

CAP. VI.

PRæter Summos Pontifices Reges quoquè litteras Terracinen. dare dignati ſunt, proùt rerum tempora exigebant; Hinc Robertus Siciliæ Rex ſequentem epiſtolam Terracinen. miſit.

Robertus Dei gratia Rex Jeruſalem, & Siciliæ, Ducatus Apuliȩ, & Principatus Capuæ, ac Pedemontis Comes.

Nobilibus, & diſcretis Viris conſilio, Populo, & Communi Terracenen. delectis, & devotis ſuis ſalutem, & dilectionem ſinceram.

INter Orbis Terræ Principes cæteros meritò ſpecialis reputamur, & ſumus Sanctæ Romanæ Matris Eccleſiæ filius, & alupnus, cujus vota ſunt noſtris conformia, & ea reverentèr exequimur ut materna, prȩſertim cum de honore ipſius Eccleſiȩ agitur ubi noſtra per conſequens honorificentia procuratur. Cum igitur Dominus noſter Summus Pontifex certos Rectores Campaniæ, & Maritimæ in ſpiritualibus, & temporalibus ordinavit

prò

prò reverentia, honore ipſius Domini noſtri, cujus ſuper hoc litteras recepimus ſpeciales, devotionem veſtram rogamus, requirimus, & hortamur attentè, quatenùs voluntates veſtras ipſius in hac parte Domini beneplacitis commendabilitèr coaptantes, ac ſuſcipientes Rectores ipſos, reverentèr, ut expedit, ac devotè pareatis, & obediatis eis in hiis, quæ ad ipſorum Rectoriæ officium pertinere noſcuntur, ac fidelitèr, & effectivè intendatis. Alioquin ipſius Matri Eccleſiæ filialis promptitudinis debitum non negantes continere nequibimus quin in præmiſſis dictis Rectoribus auctoritatis Regiæ auxiliis, conſiliis, & favoribus aſſiſtamus. Dat. Neapoli per Bartholomæum de Capua . . . . . . Militem . . . . Siciliæ Anno Domini MCCCXI. Decembris 10. indict.

Idem Robertus ſcripſit eiſdem, dum per Nuncios ad ipſum habuere recurſum prò pace ineunda cum Comite Fundorum; en ejus epiſtola.

Robertus Dei gratia Jeruſalem, & Siciliæ Rex.

Prudentibus Viris Rectoribus, Conſilio, & Communi Civitatis Terracinen. fidelibus S. Matris Eccleſiæ, ſuiſque devotis. Salutem, & dilectionem ſinceram.

VEnientibus ad Majeſtatis noſtræ præſentiam prudentibus Viris . . . . Nuntiis, & Procuratoribus veſtris, & Magnifici Viri . . . . Comitis Fundorum fidelis, & devoti noſtri, licet intenderemus, & intendamus inter vos, & ipſum veram pacem, ac firmam, auctore Domino, ineundam. Quia tamen aliqui ex eis procuratorium, & mandatum ſufficiens non habebant, nec plenum ad illa, ſicut fuiſſet expediens, per complenda, volentes tamen materiam ad idoneam diſpoſitionem, & quælibet perturbantia interim amovere, treguas per totum menſem Auguſti proximo futurum de communi aſſenſu præmiſſorum duximus indicendas, quibus volumus, & notum, quod qui illas, quod abſit, infregerit, turbationem Regiam non immeritò gravitèr provocabunt. Dat. Neapol. ſub annulo noſtro ſecreto die 19. Junii 9. indict.

Porrò inter Comites Fundorum, & Cives Terracinenſes

Ee plu-

pluriès dimicatum, pluriès etiam pace compoſitos eſſe conſtat ex ſequentibus.

In Nomine Domini Amen. Hæc eſt forma pactionis,& conventionis habitæ inter Dominum Roggerium de Aquila egregium Comitem Fundan., & Cives Terracin. videlicet, quod dictus Dominus Comes promittit juvare, & defendere ſupradictos Cives Terracin., & bona eorum in ipſa Civitate, & cum tenimentis ſuis ad expenſas, & redditum Terracinenſium de equis, & armis poſtquam apud Terracinam fuerint. Item Terracinenſes promittunt ſupradicto Domino Comiti juvare,& defendere Dominum Comitem, Vaſſallos, bona eorum, & totum Comitatum Fundanum uſque Garelian.contrà omnes inimicos ſuos, qui vellent ipſum Comitem, Vaſſallos, & Comitatum prædictum offendere ad expenſas, & redditum ſupradicti Domini Comitis de equis, & armis poſtquam cum eo fuerunt.

Hęc omnia jurabunt per Evangelia Dei ſervare ſine fraude, & malo ingenio uſque ad decem annos ſalvo mandato, & fidelitate Domini Papæ ex parte Terracin., & ſalva etiam fidelitate Dominorum Frajapanorum, & ſalvis poſitis ſuis ſcilicet Velletrenſibus, & Coranis; & ſalva fidelitate, & mandato Domini Papæ, & Domini Regis ex parte Domini Comitis, & ſalvis etiam poſitis ſuis de Regno Siciliæ, & ſi quid addendum, vel immittendum fuerit communi voluntati reſervetur. Hoc actum eſt annò Dominicæ Incarnat. 1216. menſe Julii 24. die, & indictione quarta.

Hæc itaquè pacta, ſeù conventiones antiquiora ſunt, & ad tempora Roberti Regis non cadunt; colligitur tamen ex ipſis, Terracinenſes ferè ſemper divexatos fuiſſe à Comitibus Fundorum; id quod potiſſimum accidiſſe ſcimus regnante præfato Roberto, uti oſtendunt monumenta Terracinen. Anno enim Domini 1319. tempore Pontif. Domini Joannis Papæ XXII. cum quæſtio orta eſſet inter Magnificum Virum Dominum Roffridum Gaytan. Comitem Fundorum, & Commune Terracin. conſilium ejuſdem Civitatis elegit procuratores ad pacem diſcretos Viros Odonem Sanguineum,& Bartholomęum Saviolum de Terracina.

Anno autem Domini 1338., Pontif. Benedicti XII. Anno quarto cum Terracinenſes diù contendiſſent cum Nicolao Comite Fundorum, tandèm procurata fuit pax à Terracinen. cum

dicto

dicto Nicolao, ejuſque fratribus, & Vaſſallis per honorabilem Communitatem Piperni de mandato, & conſilio Nobilium, & diſcretorum virorum Joannis Piruntí, Gregorii de Aczo, Leonardi de Avena, & Silviani de Maſtaro Conſulum, & Chriſtophori de Archis Judicis aſſeſſoris Civitatis ejuſdem, qui miſerunt procuratorio nomine providos, & diſcretos viros Lucam Carbonem, & Blaſium Luczulam ad paſſum S. Anaſtaſiæ ad concordandum ibidem cum Magnificis Viris Domino Nicolao Gaytano Fundorum Comite, Joanne, & Bello Gaytan. fratribus ejuſdem de pace, quæ quidem pax concluſa fuit Anno ſexto Pontif. Benedicti XII., uti docent Inſtrumenta publica pacis initæ indict. 8. die 21. Maii anno ſalutis 1340., cujus pacis capitula ſummatim attingere, ac delibare liceat.

In Nomine Domini Amen. Anno à Nativitate ejuſdem 1340. Indict. 8. die 21. menſis Maii Pontif. Sanctiſſimi Domini Benedicti Papæ XII. Anno ſexto.

In præſentia mei Notarii, & teſtium ſubſcript. ad hæc ſpecialitèr vocat., & rogat. Divina diſpoſitione præambula cujus eſt proprium cunctas ſedare diſcordias, & pacis tranquillitatem inducere, aliquibus hactenùs diſcordiarum ortis materiis inter Magnificos Viros Dominum Nicolaum Gaytan. Fundorum Comitem, Joannem, & Bellum Gaytan. ejus fratres, ac per conſequens Terras, Civitates, & Caſtra ipſorum, & ſingulares perſonas dictarum Terrarum, & Caſtrorum ex parte una, ac Commune, populum, & ſingulares perſonas Civitatis Terracinæ ex altera parte. Prædictus itaque Dominus Nicolaus Comes Fundorum cum fratribus &c. ac nobiles, & diſcreti Viri Benedictus Domini Jacobi, & Silvianus de Berardo de Terracena ipſius Civitatis Syndici, & Procuratores ad hæc legitimè conſtituti &c. pacem, concordiam injerunt, ac firmarunt pactis, & capitulis infraſcriptis. In primis remittunt ſibi injurias damna, violentias illatas &c. Item quod Commune Civitatis prædictæ amicabilitèr, gratis, atquè precario, donec dicto Communi placebit, dent, & concedant ipſi Domino Comiti, Joanni, & Bello Gaytan. fratribus antedictis, & ipſorum familiaribus, atque genti ſimul, aut ſeparatim iter, ſeù paſſum liberum per Peſcum montanum, Turrim molendinarum paſſum pontis, atquè Ligulæ in eundo, & redeundo cum gente quali, & quanta, & quandocumque voluerit,

non quod debeant Civitatem ipſam, & ejus Burgos muratos ingredi, ſed tranſire recto tramite præmittendo aliquem Nuncium per ſpatium unius miliarii, qui prædicat cuſtodibus ipſius Peſcimontani tranſitum Domini antedicti &c. Item quod præfatus Dominus Comes permittat, & concedat egregium Virum Bartholomæum Piruntum, ac alios de Terracena poſſeſſiones, res, & bona habentes in Comitatu Fundorum, & in aliis ſuis Terris, vel eorum territorio, ipſis bonis, & poſſeſſionibus, ac rebus uti, frui, ac pacifica poſſeſſione gaudere &c.

Ego Rogerius Nicolai de Aquamendula Caitan. Diœc. publicus Apoſtolica auctoritate Notarius prædictis omnibus cum teſtibus præſens fui &c. Actum in Civitate Fundana &c.

Eodem Anno pax inita eſt inter Trajectum, Itrum, Speluncam, Inolam ex una parte, & Cives Terracinen. ex altera, uti docent Inſtrumenta pacis in Archivio Terracinen. adhùc ſervata. Verum hæc pax adeò fluxilis fuit, ut mox veluti umbra evolans elapſa ſit; hinc denuò bellum exortum uſquè ad annum noſtræ ſalutis 1343. protractum fuiſſe ſcimus. Hoc enim Anno indict. 11. Pontif. Domini Clementis Papæ Sexti Anno primo menſ. Januar. die 10. iterum pax inita eſt inter egregium Virum Nicolaum Gaytan. Comitem Fundorum una cum Vaſſallis, & Commune, & hominibus Terracinen. procurante magnifica, & egregia Domina Jacoba de filiis Urſi Comitiſſa Fundorum, & Venerabili in Chriſto Patre Domino Sergio Perunto Epiſcopo Terracinen. ex ipſius Dei inſpiratione interponentibus partes ſuas. Notarius rog. fuit Petrus Girardi de Terracina teſtibus vocatis eodem Reverendo Patre Domino Sergio Epiſcopo Terracinen. Domino Archipresbytero Fundano, atquè aliis &c. Actum eſt Inſtrumentum Anno Domini 1343., quo anno inter mortales degebat præfatus Sergius, & non obierat, ut quidam Auctor aſſerere viſus eſt. Eodem Anno cum Terracinen. pacem inierent Caſtrum Trajecti, Speluncæ, & Monticelli, ac homines Terræ Vallis Curſæ ex mandato Nicolai Gaytan. Comitis Fundorum; verum hæc quoquè pax paulò poſt evanuit, recrudeſcit enim bellum, & jam Fundorum Comes cum exercitu Anno 1347. irarum fluctibus æſtuans montem S. Angeli Urbi imminentem occupat, & inde in fugam vertens cuſtodias Terracinenſium tumulo ad eoſdem oppugnandos per opportuno potitur: Actum foret de Civitate Ter-

Terracinæ, ejuſquè Civibus, niſi Januenſes auxiliares præſtò fuiſſent cum 32. Galeis, ſicuti legitur in Inſtrumento compoſitionis initæ inter Terracinenſes, & Dominicum de Garibaldo Civem Januę, & portatorem 32. Galearum Januenſium, ac Patronos earundem, qui anno proximè prçterito (verba ſunt in dicto Inſtrumento exarata) menſe Madii liberarunt Civitatem, & homines Civitatis Terracenę à ſubjugatione, & devoratione tyrannidis Nicolai Comitis Fundorum tunc obſidentis hoſtilitèr dictam Civitatem, & qui partim cum gentibus dictarum Galearum liberarunt, & recuperarunt de fortia, & virtute dicti Comitis Monaſterium, & Caſtra, ac fortalitias S. Angeli diſtrictus ejuſdem Civitatis Terracenę, dudum omnia per dictum Comitem violentèr occupata &c. prò qua liberatione Terracinenſes patronis Galearum Januen. promiſerunt ſolvere ſummā 3000. flor. auri &c. Actum Terrac. in platea fori Anno Dñi 1347. Pontif. Dñi. Clementis Papę Sexti Anno quinto die ſexto menſis Februarii extant autem Inſtrumenta ſolutionis hujuſmodi ſummę in Archivio Terracinen. Eodem anno 1347. procurata eſt pax inter Terracinenſes, & Nicolaum Comitem Fundorum per Chriſtophorum de Archis Civem Terracinen., quam initam, & concluſam fuiſſe putamus; verum tamen, quia prefatæ Urbis Cives nimiùm vexabantur ab æmulis, cum Summi Pontifices Avvinione commorantes nullum eis ſuffragium afferre poſſent, parum ſano ducti conſilio ab ubere Matris Eccleſiæ deſciſcentes ſeſe, ſuaque omnia ad Commune ſpectantia in manus Roberti Siciliæ Regis dediderunt; propterea idem Rex ſcribit Communi, Poteſtati, Populo, & viginti quatuor Conſiliariis Terracinen. ut admittant Antonium Maniante de Janua Comeſtabulum, eique Civitatis cuſtodiam tradant, ſicut aliis viginti ſociis ſuis, & in alia epiſtola, ubi Viros nobiles, & Sanctæ Matris Eccleſiæ fideles appellat, eis præcipit, ut fortalitia cuſtodiri faciant per baliſtiarios, & nulla fiat novitas; quo autem tempore ab Eccleſia defecerint Terracinenſes, ex litteris præfatis ob plurimas lacunas eruere nequivimus; conjicimur itaque id eveniſſe eò temporis, quando Clemens Papa Quintus in Galliam ſe recipiens Sedem Pontificiam illuc tranſtulit; infelici ſanè memoria proditum eſt, plures converſiones, & ab Eccleſia alienationes in locis Maritimæ, & Campaniæ ob Summi Pontificis à Romana Sede abſentiam tunc conti-

tigiſſe; id quod Terracina ſita propè confines Regni Neapolis infauſto eventu perpeſſa eſt: Unde Robertus Siciliæ Rex uſurpata Civitate Anno Domini 1311. ſcribit Civibus Terracinen., ne exhibeant negotium Joanni de Ceccano ſuper quibuſdam terris poſitis in Territorio præfatæ Civitatis, quas revera ille non poſſidebat; & Anno 1322. eodem regnante inita eſt pax inter Cajetanos, & Terracinenſes diſſidentes, cujus pacis capitula brevitèr perſtringam ità. In nomine Domini amen, Anno Nativitatis ejus 1322. regnante Domino noſtro Roberto Dei gratia Illuſtriſſimo Jeruſalem, & Siciliæ Rege &c.Univerſitas, & homines Civitatis Cajetæ quærentes ſolertèr, ut pax facta, & publicata inter homines Civitatis Terracen., & homines dictæ Civitatis Cajetæ, qui occaſione, & prætextu percuſſionis ibidem factæ per aliquos improbos homines de Cajeta in perſonam Nicolai Sennorilis de Terracena in aliquali diſcordia extiterant, inviolabilitèr obſervetur, augumentetur, & duret, ut decet, ad petitionem, & inſtantiam nobilis viri Nicolai Gattulæ de Cajeta Conſulis Terracinen. in Cajeta ſtatutum novitèr ediderunt, & ordinaverunt unanimitèr coram nobis, quod nullus de Cajeta, & ejus diſtrictu de cętero dicere,nec improperare,aut repetere quoquomodo præſumat prędictam percuſſionem, & injuriam prædicto Nicolao, ut præmittitur factam aliquibus, vel alicui de Terracena, ſeù perſonis aliis in Cajeta, vel ejus diſtrictu, vel etiam ubicumque in Regno, vel extra Regnum &c.ſexdecim Cajetani, ſua nomina ſubſcripſere.

Ego Joannes de Aquila publicus Cajetæ Notarius ſcripſi.

Anno ſalutis 1350. cum pax univerſalis orta eſſet inter Commune Terracinen., & extrinſecos plura capitula peracta ſunt, & confirmata pleno conſilio in Civitate prædicta; hæc autem continentur in quinque inſtrumentis ad invicem connexis, & complicatis, quæ ſi explicentur longam faſciam præſeferunt; incipiunt autem illa hoc fere modo. Anno Domini 1350.indict.tertia Pontif. Domini Clementis Papæ Sexti Anno 9. die 3. menſ. Octobr. Hæc ſunt capitula, fidejuſſiones, at pacta inita inter Commune Terracinen., & extrinſecos, & confirmata in conſilio congregato de mandato nobilium Virorum Gregorii de Aczo, Joannis, & Pauli Vicariorum, & Officialium Civitatis Terracenæ &c. Horum narrationem, quia ſuperfluam, & ab re duximus, ſilentio præterimus. Ce-

Cęterùm Terracinenſes pęnitentia ductos ad ubera Matris Eccleſiæ remeantes, ſuorumque criminum abſolutionem humilitèr petentes Gregorius XI. Papa clementèr excepit, & ab omnibus delictis contra Romanam Eccleſiam commiſſis abſolvit, ut liquido apparet ex ejus Bulla, quam recole lib. 1. cap. 5. ſub eodem Pontifice ejſdem abſolutionem dedit de quibuſdam exceſſibus, conceſſitque Doanam Salis Franciſcus S. Sabinæ Presbyt. Cardinalis Vicarius Generalis præfati Gregorii XI. Ita exponunt litterę ſequentis tenoris ſervatę in Archivio Terracinę.

Franciſcus miſeratione divina tit. S. Sabinę Presbyt. Cardinalis in nonnullis Terris Italię Romanę Eccleſię immediatè ſubjectis prò Domino Noſtro Papa, & eadem Romana Eccleſia in temporalibus Vicarius Generalis.

Univerſitati hominum, & Communi Civitatis Terracen. Ad eandem Eccleſiam nullo medio pertinentis ſalutem in Domino.

SIncerae devotionis affectus, quem ad Dominum noſtrum Papam, & Sanctam Romanam Eccleſiam geritis, promeretur, ut petitionibus veſtris quantum cum Deo poſſumus favorabilitèr annuamus; (ſequitur Bulla Gregorii Papæ XI. directa huic Cardinali deſtinans eundem Vicarium Generalem in temporalibus, quam brevitatis ergo omittimus) Poſtmodùm verò ſicut oblata nobis prò parte veſtra petitio continebat, vos prætendentes Gabellam Salis ipſius Civitatis Doanam nuncupatam, quam Officiales ejuſdem Romanæ Eccleſiæ pro ipſa Romana Eccleſia poſſidebant ad veſtram Cameram pertinere occaſione ipſius gabellæ procurante humani generis inimico pridiè levitate populari commoti in Magnificum Virum Dominum Fratrem Danielem de Carreto militem præceptorem Domus S. Joannis Jeroſolimitan. in Cypro Provinciarum Campaniæ, & Maritimę pro eadem Romana Eccleſia Rectorem tunc in ipſa Civitate morantem armata manu ſpiritu quaſi rebellionis aſſumpto non ſine tumultu maximo inſultaſtis, & fortellitiis Peſcli montani, & Turris Molendinorum ad dictam Romanam Eccleſiam pertinentium,

ac

ac Doana prædicta, in quorum poſſeſſione dicta Romana Eccleſia pacifica exiſtebat, ipſum Rectorem, & dictam Romanam Eccleſiam temere ſpoliaſtis, ipſaque fortellitia, ac Doanam ad manus veſtras temeritate propria reduxiſtis, pęnas, & ſententias in nonnullis proceſſibus Apoſtolicis, & conſtitutionibus provincialibus contentas propterea incurrendo in animarum veſtrarum periculum,& manifeſtam dictæ Romanæ Eccleſiæ læſionem.Cum autem ſicut eadem petitio ſubjungebat, vos poſt modicum temporis ſpatium veſtrum recognoſcentes errorem contra dictam Romanam Eccleſiam, & ejus Officiales pęnituit, & pęniteat deliquiſſe, nobis feciſtis, humilitèr ſupplicari, ut omnes, & ſingulas pęnas, ſententias, ac mulctas, quas propter præmiſſa generalitèr, vel ſingularitèr incurriſtis, vobis benignè remittere, & præfatam Gabellam Salis Doanam nuncupatam prò ſalariis Officialium,& aliis vobis incumbentibus oneribus ſupportandis concedere de ſpeciali gratia dignaremur. Nos igitur attendentes, quod Sancta Romana Eccleſia nulli claudit gremium redeunti, quodquè peculiares filios revocatos à devio benignè admittit,& nonnunquam errata, & commiſſa indulget, proùt perſonarum, & temporum qualitate penſata id in Deo conſpicit ſalubritèr expedire. Conſiderantes quoquè reductionem, & obedientiam veſtram, quia decem de Majoribus veſtræ Civitatis nomine totius Univerſitatis Capitibus diſcoopertis, & corrigiis ligatis ad collum ad veſtrum confitendum errorem, & Sanctam Romanam Eccleſiam prò veſtra Domina recognoſcendam, ac de præmiſſis commiſſis exceſſibus miſericordiam, & veniam impetrandam ad noſtram præſentiam deſtinaſtis, auctoritate Apoſtolica, qua fungimur in hac parte, necnon de conſilio præfati Domini Fratris Danielis Rectoris prò vobis apud nos intercedentis omnes, & ſingulas pęnas, ſententias, ac mulctas, quas propter præmiſſa generalitèr, vel ſingularitèr incurriſtis vobis, & veſtrum ſingulis præſentium tenore remittimus,& indulgemus: Et inſuper pręfatam Gabellam Salis Doanam nuncupatam prò veſtræ Civitatis ſupportandis oneribus Univerſitati veſtræ uſquè ad beneplacitum Domini noſtri Papæ concedimus de gratia ſpeciali. Ità tamen quod durante hujuſmodi beneplacito Poteſtatibus, Judicibus, Capitaniis, Mandatariis, Fortellitiorum cuſtodibus, & omnibus, & ſingulis Officialibus in dicta Civitate prò tempore exiſten-

ſtentibus perſolvatis eorum ſalaria, ſeù ſtipendia conſueta. Præmiſſa verò omnia, & ſingula per nos remiſſa, ac indulta, & conceſſa tandiù auctoritate prædicta decernimus, valitura, quandiù in fidelitate, ac debita obedientia, & devotione præfatæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac Domini Noſtri Gregorii Divina providentia Papæ XI. ſupradicti, & ſucceſſorum ſuorum Roman. Pontificum canonicè intrantium perſtiteritis. Si verò, quod abſit à fidelitate, obedientia, & devotione præfatis vos contigerit modo aliquo deviare; remiſſa, & conceſſa hujuſmodi ſint ipſo facto caſſa, irrita, ac nullius roboris, vel momenti. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ remiſſionis, conceſſionis,& voluntatis infringere,vel auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ Kalend. Junii Pontif. ejuſdem Sanctiſſimi in Chriſto Patri, & Domini Noſtri Domini Gregorii Divina providentia Papæ XI. Anno ſexto.

CAP. VII.

Utinam poſthæc nequè in aliqua facinora irruiſſent Terracinenſes, nequè ampliùs culpis enormibus ſe coinquinaſſent, forſitan ipſorum ſtatus adeò amplus, & magnificus vigeret adhùc, & non ità labefactus, ac penè perditus cerneretur; enimverò donec fidelitatem debitam Sedi Apoſtolicæ ſervarunt Anxurates, Summoſquè Pontifices debito honore, & obſequio coluere, omnia eiſdem bene, feliciterquè vertebant, & fauſti eventus reſpondebant eorundem voluntati; Hinc Viris ſcatebant conſpicuis, deliciis affluebant, & omnibus bonis conferti erant; ubi verò ab obedientia S.R.E. diſceſſere, Romaneſquè Pontifices audire recuſarunt, omnibus fortunis depauperati, cunctiſquè opibus defloreſcentes in plurimas inciderunt ærumnas, à quibus hactenùs emergere nequivere. Proh. magnum ſanè facinus! Qui fieri potuit? ut Anxurates degeneres à ſuis Majoribus, immemoreſquè antiquæ fidelitatis ergà Sedem Apoſtolicam, poſt obitum præfati Gregorii XI. cum evectus eſſet ad Pontificatus apicem Urbanus Papa Sextus, creationi Clementis VII. Antipapę à Cardinalibus Gallis Fundis habitæ adhæſerint? Et tamen factum eſt;

quin immò Benedicto XIII. pſeudo Pontifici ejuſdem ſucceſſori diù paruerunt, ut magis enorme, & concatenatum facerent ſcelus. Tandem pęnitentia ducti de tanti criminis enormitate à Bonifacio Nono veniam expoſcunt, & impetrant, ut patet ex Bulla relat. lib.1.cap.10.Prætereà idem Pontifex tanta benignitate, atque clementia uſus eſt adversùs Terracinenſes, ut præter dictã Bullam favore eorundem ediderit alteram tenoris ſequentis.

BONIFACIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmani Pontificis providentia circumſpecta ad ea extirpanda libentèr intendit, per quæ licitum, aut diſcordiarum fomenta inter Chriſtifideles, & maximè ſuos, & Romanæ Eccleſiæ ſubditos poſſent conſurgere, aut veriſimilitèr exoriri, proùt in Domino viderit ſalubritèr expedire. Dudum ſiquidem videlicet 2.Id. Junii Pontif. noſtri Anno undecimo in reductione ad noſtram, & Eccleſiæ Romanæ fidelitatem, devotionem, & obedientiam dilectorum filiorum Populi, & Communis Civitatis noſtræ Terracinen. dudum oberrantium per nos facta, & paterna benignitate admiſſa inter cętera capitula in fęderibus reductionis, & admiſſionis hujuſmodi firmata, & ut ſupra præfertur, admiſſa, voluimus, atque conceſſimus, quod Cives, necnon habitatores Civitatis, & Comitatus Terracinen. prædictorum, qui violentèr, aut tyrannicè conceſſa aliqua bona ſtabilia aliquorum in Civitate, aut Comitatu prædictis quomodolibet hactenùs detinuiſſent, ſeù detinebant tempore receptionis ad gratiam ſupradictam, ea tenerentur, & deberent liberè relaxare, ac reſtituere illis, ad quos ea de jure pertinerent, ſeù ſpectarent; bona verò mobilia, quæ reperirentur penes aliquos exiſtere occupata, vel ut ſupra conceſſa modo ſimili deberent reſtitui, & detinentes ad illorum inſtantiam, ad quos ea pertinerent ad reddendum, & reſtituendum omni caſu cogi, & compelli valerent, proùt in noſtris ſuperindè confectis litteris, quas diligentèr in Cancellaria noſtra inſpici fecimus pleniùs continetur.

Cum

Digitized by Google

Cum autem ex relatione dilecti filii noſtri Ludovici S. Adriani Diaconi Cardinalis in Provinciis noſtris Campaniæ, atque Maritimæ prò nobis, & eadem Eccleſia in ſpiritualibus, & temporalibus Vicarii Generalis, ſub cujus gubernatione præfata Terracinen. Civitas actu exiſtit, accepimus propter fructuum, & proventuum dictorum bonorum ſtabilium, ut ſupra præmittitur, hactenùs occupatorum, ac detentorum, & conceſſorum perceptiones ſi repetantur, vel repeti poſſent, aut bona mobilia, quæ non reperirentur ab illis, qui ipſos fructus etiam de facto quomodolibet, vel bona hujuſmodi percepiſſent, maxima ſcandala in dicta Civitate poſſent conſurgere inter actores, & reos. Nos materiam quorumlibet ſurgentium ſcandalorum, & eorum, quę præmiſſorum occaſione, ſeù dependentium poſſent quomodolibet exoriri, ſeù etiam formidari, proùt ex debito paſtoralis tenemur officii ſummovere, & amputare volentes motu proprio, non ad dictorum populi, & Communis Terracenen., vel aliorum prò eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, ac ex certa ſcientia auctoritate Apoſtolica tenore præſentium decernimus, declaramus, volumus, & mandamus, quod de cætero nulli ſit licitum, vel permiſſum quoſcumque jure, actione, vel modo in judicio, vel extrà; civilitèr, vel criminalitèr, vel mixtim per ſe, vel alium petere, exigere, aut peti, vel exigi facere in aliqua Curia ſpirituali, vel temporali, ſeù alibi, vel alias quomodocumque, aut qualitercumque aliquos fructus, redditus, vel proventus ex hujuſmodi bonis ſtabilibus hactenùs quocumque tempore uſque in diem dictæ reductionis detentis, ſeù quomodolibet occupatis, aut conceſſis, perceptis, aut qui percipi potuiſſent, nec aliqua bona mobilia, quæ non reperirentur hactenùs occupata, conceſſa, vel habita per aliquos Cives, habitatores, vel incolas præfatæ Civitatis Terracinen., ejuſque Comitatus, territorii, fortiæ, vel diſtrictus, aut alios quoſcumque, & quod nullus Vicarius, ſeù Rector, vel Officialis ſpiritualis, vel temporalis Provinciarum, ſeù Civitatis prædictarum, vel alius quocumque nomine cenſeatur, aut officio fungatur, qui eſt, aut erit prò tempore, vel alibi ubicumque locorum, & fori poſſit aliquem ſuper præmiſſis, vel aliquo præmiſſorum, ſeù dependentium in judicio, vel extra, civilitèr, criminalitèr, vel mixtim audire, vel in aliquo cognoſcere adimentes

nunc ſcientia, & auctoritate præfatis cognitionem, & juriſdictionem quamlibet cuilibet quoad præmiſſa. Et nihilominùs univerſis perpetuum ſuper hiis, & eorum quolibet ſilentium imponentes, ac ad cautelam ſcientia, & auctoritate prædictis harum ſerie abſolvimus plenariè illos, qui fructus, vel bona hujuſmodi quomodolibet habuiſſent, ac eis omnia remittentes, ac irritum, & inane cenſentes ex nunc, ſi ſecùs, vel alitèr ſuper hiis à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitntionis, declarationis, voluntatis, mandati, ademptionis, abſolutionis, & remiſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire.

Siquis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei,& Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. Romæ apud S.Petrum Kal. Octobris Pontif.Anno undecimo.

Idem Pontif. Anno Domini 1403. ſui Pontif.Anno 14. conceſſit non modicum Terracinen. territorii ſpatium prò uſu ſeminandi Capitaneo,& hominibus Caſtri S.Fęlicis Terracinen.Diœceſ. Comiſſarii electi fuere Nardus Colæ Ziolæ, & Jacobus Capozia de Setia Terracinen. Diœceſ. Ità refert inſtrumentum publicum ſervatum in Archivio dictæ Civitatis, ubi inſertum exiſtit Breve directum Domino Ludovico S.Adriani Diac.Cardinali in Provinciis Maritimæ, & Campaniæ Vicario Generali, quod ſic habet. Bonifacius Papa Nonus Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem: Prò neceſſitatibus dilectorum filiorum Univerſitatis Caſtri S. Fęlicis Terracinen.Diœceſ. prò uſu ſeminandi tantum, quantum neceſſe fuerit volumus, & poſt Paſcha Dominicæ accedat ad partes illorum circumſpectio, & de Territoriis Terracinen. prò uſu prædicto, proùt opus eſſe proſpexeris, concedat univerſitati prędictę,proùt noveris expedire.Dat.Romę apud S.Petrum ſub annulo fluctuantis naviculę 5.Decemb. Pontificatus noſtri Anno.XIV.

Acceſſerunt itaque ad territorium Terracinæ ex mandato antedicti Cardinalis præfati Setini tamquam de agrigoltura experti, & Dñus Bernardinus de Imola ejus Secretarius; & hæc loca per eos ſunt aſſignata Capitaneo, & hominibus S. Fęlicis; videlicet in primis quidam locus,qui dicitur [lo Campo de la Cro-

ce]

ce] ſub iſtis finibus deſignatus,videlicet à partibus occident juxtà locum,qui dicitur[Love de Jobili.]Item ex parte Orientis ſtraverſando per directum uſque ad aquam Rivi torti. Item à Septemtrione juxtà locum, qui dicitur (Lovagnara) includ. etiam intra ipſa confinia ipſam Lagnariam; item quidam locus, ſeù Campus,qui dicitur [Palazzo] ſub iſtis finibus intercluſus, videlicet juxtà lacum S. Mariæ de Surreſca ab omnibus lateribus, & quidquid intra dictos fines includitur &c.Pleniùs hæc continentur in prælibato inſtrumento, quod nos brevitatis gratia ſummatim attigimus. Succeſſit autem Bonifacio Nono Innocentius Papa Septimus, qui juſtis motus de cauſis Terracinam una cum aliis Campaniæ, & Maritimæ locis tradidit in gubernium Ladislao Siciliæ Regi, ſub cujus dominio, & ipſi Terracinenſes vitam egerunt;Hinc plures eiſdem litteras miſit Præfatus Rex, quarum aliquę ſunt tenoris ſequentis.

Foris.

Nobilibus Viris . . . . Poteſtati, Conſilio, & Communi Civitatis Terracen. devotis noſtris dilectis.

Landislaus Rex Hungariæ Jeruſalem, & Siciliæ.

Intus.

Viri nobiles, & devoti dilecti recepimus litteras veſtras, & audivimus, quæ Joannes Amatelli, & Notarius Ciccus Belliocli Concives veſtri nobis veſtra parte dixerunt; quibus reſponſum dedimus, & certa commiſimus per eos vobis noſtri parte oretenus referenda, quibus velitis indubiam dare fidem. Dat. in Caſtro novo Neapolis ſub parvo noſtro ſigillo die XVI. Novembris II. indict.

Foris.

Nobilibus Viris. . . Poteſtati, Conſilio, & Communi Civitatis Terracenæ familiaribus, & fidelibus noſtris dilectis.

Landislaus Rex Hungariæ,Jeruſalem,& Siciliæ.

Viri nobiles familiares, & fideles devoti noſtri, accepimus litteras veſtras, quarum ſerie intellecta ecce ſcribimus

limus per alias Caſtellanis, ſeù Vicecaſtellanis. . . . . . proùt videre poteritis, quod ab hujuſmodi indebitis exactionibus, & hiis ſimilibus ſe penitùs abſtineant, ſcribimus etiam Cabellotis noſtris ſimilitèr proùt poteritis intueri, quod inquirant de exactionibus ipſis factis per eoſdem Caſtellanos, & quidquid per eos exactum fore repererint eis in ſolutionibus gagiorum ipſorum excomputent, & excomputare debeant, & perjurent. Datum in Caſtro novo Neapolis ſub parvo noſtro ſigillo die 22. Septembris 2. Indict.

Landislaus Dei gratia Hungariæ, Jeruſalem, & Siciliæ Rex.

Dohanerio, & Cabellotis Civitatis Terracenæ, aut eorum aliis, aut aliis, ad quos ſolutio gagiorum, Caſtellanorum, Caſtrorum, ſeù Fortellitiorum Civitatis ipſius, & ejus diſtrictus ſpectat, familiaribus noſtris dilectis gratiam, & bonam voluntatem.

NUpèr accepimus Caſtellanos caſtrorum ipſorum contra conſuetum debitum exegiſſe certum indebitum vectigal, ſeù Cabellam, quod non modicum diſplicet noſtræ menti, & exin per alias injunximus ipſis Caſtellanis, quod ab hujuſmodi actibus, & hiis ſimilibus ſub formidabili pæna deſiſtant. Et quoniam nolumus eoſdem Caſtellanos hujuſmodi indebita exactione gaviſos eſſe, ſed eis, quæ exegerunt in eorum gagiis computari propterea volumus, & vobis expreſſe mandamus quatenùs ſtatim receptis præſentibus de exactione hujuſmodi vos diligentèr informemini, & quidquid reperietis, ſeù veſtrum alter reperiet exactum fore per Caſtellanos eoſdem, & quemlibet ipſorum ſibi, eorum cuilibet, proùt exegit in ſolutione gagiorum eorum excomputetis, exactionem ipſam factam commodis noſtræ Curię applicando. Nulllam in hiis commiſſurus negligentiam, aut defectum, ſicut noſtram gratiam caram habes, noſtræ Curiæ commoda deſideres procurare; præſentes autem litteras parvo noſtro ſigillo munitas vobis propterea dirigentes. Dat. in Caſtro novo Neapolis ſub parvo noſtro ſigillo prędicto die 22. Septembis ſecundę indictionis.

Poſt obitum Ladislai Siciliæ Regis experti ſunt Anxurates gu-

gubernium Joannæ Reginæ Secundæ, quæ ut Soror Ladiſlai in Regno ſucceſſit; quamobrem plures ejuſdem dedit litteras, in quibus, proùt tempora illa exigebant, plura ordinat, atque diſponit. Sic itaque per litteras præcipit, ut recollectione fundici Salis Terracinen. ſolvatur Gagia Poteſtatibus, & Judicibus deputatis. Ejuſdem Civitatis. Dat. in Caſtro novo Neapolis die 26. Novembris. Anno Domini 1416. die 27. Decembris una cum Jacobo conjuge ſuo confirmat Terracinen. antiqua privilegia, & exemptiones conceſſas à Summis Pontificibus, remittit eiſdem delicta commiſſa, & pænas promeritas in demolitione Arcis abſquè mandato ejuſdem; dat facultatem extrahendi frumentum à campis terræ laboris prò annona, & faragio Civitatis, & juxtà litteras, quas detulerat ad ejus Curiam Antonius de Perunto de Terracena Syndicus, & Civis ejuſdem permittit Terracinen. emere qualitatem Salis ſibi viſam. Dat. Neapol. die 17. Junii 11. Indict. Inſuper eadem Regina Fortelitia Peſculi Montani, & Turris Molarum propè Terracinam per Terracinenſes cuſtodiri jubet; quos ſolvendos eſſe à Gabellotis Fundici Salis Terracinen. declarat; alia vice etiam pręcipit Dohaneriis, ut ſolvant certam ſummam argenti prò Judicibus, & Poteſtatibus deputandis Terracinę, ac prò cuſtodibus Peſculi Montani, & Turris Molarum. Tenor verò, quo ſolebat uti in ſcribendis epiſtolis pręnominata Regina talis eſt.

Foris.

Nobilibus Viris Conſilio, & Communi Civitatis Terracenæ Devotis, & fidelibus noſtris dilectis.

Joanna Secunda Regina Hungariæ, Jeruſalem, & Sicilię.

Intus.

VIri Nobiles devoti, & fideles dilecti. Recepimus litteras veſtras, & vidimus quędam capitula Majeſtati noſtræ veſtri parte oblata per Oratores veſtros novitèr ad Majeſtatis noſtræ præſentiam deſtinatos, ſuper quibus, & eorum quolibet vobis particularitèr reſpondemus, & primò ſuper capitulo pri-

primo, in quo nobis recomittitis Viros Nobiles Petrucium Jacobum, & Colam Roſam Concives veſtros tanquam noſtræ Majeſtatis fideles,& prò ſtatu noſtro quæcumquè onera ſupportantes, vobis dicimus, quod attentis præmiſſis eos recommiſſos habebimus, quia merentur; Super ſecundo capitulo, in quo petitis per nos vobis concedi poſſe treguam facere cum Chriſtophoro Gaytano militi, ejuſque Patre, ac Nepotibus, & terris, quas tenent, vobis reſpondemus, ac contentamur, quod offenſæ tollantur per totum decimum futuri menſis Octobris inſtantis anni nonæ indictionis.

Ità tamen quod miſſa ſit participatio inter præfatos Chriſtophorum, ejuſquè Patrem, nepotes, & terras, quas tenet, & vos. Super tertio capitulo, in quo exponitis, ac petitis per nos vobis de graſſia provideri, vobis præſentibus reſpondemus, quod per nos datus eſt ordo, quod graſſiam ipſam habebitis. Super quarto, & ultimo, in quo exponitis, & ſupplicatis vobis concedi non gravari per novum Capitaneum de gagiis, & ſtipendiis ſuis, vobis dicimus cum matura deliberatione conſilii, quod attento præfatum Capitaneum non poſſe in ipſa Civitate morari abſque gagiis, & ſtipendiis volumus, quod dicto Capitaneo juxtà ſolitum per vos gagia, & ſtipendia ipſa ſolvantur. Dat. in Caſtro noſtro novo Neapol. ſub annulo noſtro ſecreto die 27.menſ. Auguſt. VIII. Indict.

Cum autem ſub Martino Quinto ex gubernio Joanne Secundæ Reginæ in manus Sedis Apoſtolicæ iterum ceſſiſſent Terracinenſes, prædictus Pontfex eiſdem plures in forma Brevis litteras direxit,quarum duas hic ſubnectimus,& ſunt hujuſmodi.

MARTINUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis Populo, & Communi Civitatis noſtræ Terracinen. Salutem,& Apoſtolicam benedictionem.

EXigit veſtræ fidelitatis integritas in noſtris, & Romanæ Eccleſiæ negotiis comprobata, ut Communitatem veſtram Apoſtolicis gratiis, & favoribus proſequamur. Dudùm ſiquidem

quidem videlicet nonis Novembris Pontif. noſtri Anno primo litteras quondam Bonifacii Noni in ejus obedientia nuncupati nonnulla exemptiones, privilegia, & indulta per eum vobis, & veſtræ Communitati conceſſa per quaſdam confirmavimus, & deindè ex certis rationabilibus cauſis animum noſtrum moventibus per alias noſtras litteras quaſcumque exemptiones, & confirmationes exemptionum in Provinciis noſtris Campaniæ, atque Maritimæ quibuſvis Communitatibus, & Univerſitatibus quovis modo conceſſas, & factas ſuſpendimus, & vim habere nolumus firmitatis dicta ſuſpenſione durante, proùt in dictis litteris pleniùs continetur. Nos itaquè nolentes vos, quos tanquam noſtros, & Eccleſiæ filios prædilectos intrà caritatis Apoſtolicæ ubera paternalitèr confovemus favore proſequi gratioſo præfatam ſuſpenſionem, quoad Communitatem ipſam dumtaxat auctoritate præſentium tollimus, & etiam revocamus. Et nihilominùs eaſdem litteras Bonifacii Noni in omnibus, & per omnia juxta ipſarum continentiam, & tenorem uſque ad beneplacitum noſtrum auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus præfata ſuſpenſione per nos facta, ut præfertur, ac Apoſtolicis, & dictarum Provinciarum conſtitutionibus, ceteriſquè contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem 5. Kal. Julii Pontif. noſtri Anno ſexto.

MARTINUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis filiis Populo, & Communitati Civitatis noſtræ Terracen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

EXimiæ ſinceritatis affectus, ac conſtantis fidelitatis integritas, quos ad nos, & Romanam Eccleſiam inconcuſsè geſſiſtis, & geritis, promeretur, ut vos favoribus oportunis, & ſpecialis dono gratiæ proſequamur. Cum itaquè ſicut accepimus, nonnullas expenſas prò cuſtodia Fortilitii Peſchomontani, & Turris Molarum ad Civitatem noſtram Terracinen. pertinentiam continuè vos ſubire oporteat, & nonnulla alia prò Officialibus noſtris, qui in dicta Civitate tenentur, expenſarum onera

Digitized by Google

vobis incumbant, & cauſantibus conditionibus temporum ob fidelitatem veſtram ad dictam Eccleſiam habitam damna quamplura incurreretis, ſitiſquè paupertate oppreſſi. Nos præmiſſis attentis paterno vobis compatientes affectu, & ut expenſarum onera præmiſſa faciliùs ſupportare poſſitis de mera noſtra liberalitate, de alicujus ſubventionis auxilio vobis providere volentes devotioni veſtræ uſquè ad noſtrum beneblacitum medietatem introitus Doanæ, ſeù Gabellæ Salis dictæ Civitatis noſtræ Terracenen. auctoritate Apoſtolica præſentium tenore liberè concedimus,atquè donamus ſtrictè harum ſerie præcipiendo mādantes tàm dilectis filiis Officialibus noſtris præſentibus, & futuris, quàm quibuſcumquè aliis, qui prò tempore introitum dictæ Doanæ, ſive gabellæ Salis exigent, quatenùs vobis, ſeù procuratoribus veſtris ad id ſpeciale mandatum habentibus de prædicta medietate introitus dicto durante beneplacito abſque alterius expectatione mandati continuò temporibus debitis integrè reſpondeant, eamque omni exceptione, & dilatione ſemotis perſolvant Apoſtolicis, ac Provinciæ Maritimæ, dictæquè Civitatis conſtitutionibus, conſuetudinibus, & ſtatutis, ac aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, donationis, & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat.Romæ apud S.Petrum 11.Kal. Decembris Pontif.noſtri Anno quarto.

Idem Martinus per litteras Apoſtolicas confirmat Terracinenſibus Doanam Salis, & privilegia ſuorum prædeceſſorum; eiſdem quoquè ſignificat electionem Joannis de Normannis ex Canonico Baſilicæ XII. Apoſtolorum in Epiſcopum Terracinen. per obitum Andreæ, quas litteras, ne nimium longi ſimus, prætermiſimus: Succeſſit autem Martino Quinto Eugenius Papa Quartus, ſub quo inter populares Civitatis Terracinæ, & plebejos Terræ Setiæ magna eſt orta contentio occaſione homicidii commiſſi à Cola Pallone Terracinen. in perſona Colæ Collaroſii Setini; inita autem fuit pax, ſedatis tumultibus, Anno Domini 1445. cum eſſet Syndicus Terracinen.Nobilis Vir Bartholomeus Piruntus, Setinus verò Laurentius de Saladinis Notarius, uti con-

Digitized by Google

conſtat ex Inſtrumento publico ſervato in Archivio Terracinen., ubi pluriès legitur ità: Judex Terræ Setiæ,homines Terræ Setiæ, ſeptem Officiales Terræ Setiæ: Porrò ne mireris,candide Lector, neve livori,aut vitio vertas, ubi Setiam Terram appellari audis, nam verè Terra eſt Terracinen. Diœceſis;Hinc Nicolaus Epiſcopus Fundanus Gubernator Campaniæ, & Maritimæ Anno Domini 1472. die 12. Iunii ex Ferentino ſcribit Communi Terræ Setiæ, ut invigilet, & in armis eſſe non deſinat ad defenſionem Civitatis Terracinæ, quia rumor erat, Tyrrhenum mare navigari à Claſſe Maurorum omnia infeſtantium. Anno Domini 1377. tempore Gregorii Papæ XI. die 22. Ianuarii Andreas de Baczo vendidit Nicolao Biſconti de Terracina quandam ſylvam poſitam juxta territorium Terræ Setiæ; Quin immò ipſimet Setini, dum ſcribunt Terracinenſibus his titulis eoſdem honorare amant. Nobilibus, & prudentibus Viris Dominis Poteſtati, Conſilio, & Communi Civitatis Terracinæ fratribus,& amicis cariſſimis,ſeſe autem ità ſubſcribunt Poteſtas, Conſilium, & Commune Terræ Setiæ: Patet totum id ex duabus, aut tribus litteris Setinorum datis præfato Communi, quæ ſervantur in Archivio Terracinen. ubi plura extant publica Inſtrumenta idem perbellè docentia, & horum nonnulla tranſcribam inferiùs; quod verò Setia ſit Diœceſis Terracinen. in liquido ponit Inſtrumentum aſſignationis factæ de territorio Terracinen. hominibus S. Fęlicis ex mandato Bonifacii Papæ Noni, de quo vide initium cap. præſentis; huic tamen accedit Deciſio à Sacra Congregatione Rotæ recens emanata, quam ad verbum in calce libri quarti hujus operis Deo dante dabimus. Sub eodem Pontifice Eugenio ſcilicet Quarto, Alphonſus Aragonum Rex Terracinenſibus, eorumque Civitate potitus eſt, qui ut ſibi eorundem aucupetur benevolentiam Anno ſalutis 1445. die 3. Iunii indulget per privilegium ſpeciale, ac mandat, ut Terracinenſes in omnibus ſui Regni partibus tractentur, ut Cives Civitatis Cajetæ, ex dat. in Caſtro novo Neapolis, & Anno 1455. die 29. Maii confirmat eiſdem exemptiones omnes, & antiqua privilegia Summorum Pontificum Terracinæ conceſſa. Idem Alphonſus Aragonum Siciliæ citrà, & ultrà Farum Rex Anno Domini 1456. dat Terracinenſibus facultatem extrahendi, & deferendi à Sicilia, vel terra laboris tres mille quingentos, vel circa, thumulos frumenti abſquè ſolutione ve-

ctigalis, ac demùm Anno 1437. die 12. Junii ſcribit Fundanis, ac præcipit, ut territorium ſaltus ſeminandum Terracinenſibus dimittant, atque in eo nullam beſtiam armentitiam teneant, præter ducentas Comitis Fundorum. Et dat. Neap. die, & anno antedicto. Fama eſt, pluries Alphonſum receſſibus ſuis celebraſſe Terracinam, Civeſque Terracinenſes præſentia ſuæ Majeſtatis honoraſſe. Sedes autem ejus, ubi reſidebat ibidem commorans erat Conventus S. Franciſci Ord. Min. Conventuaiiū; hinc uſque ad hanc diem ſpectatur ibi ex ea parte conventus, ubi habitabat, expreſſum in pariete ſtemma Aragonium.

Verum enim verò admodum male audit præfati Regis pertinacia, qui non ſemel rogatus, ut Terracinam uſurpatam Eccleſiæ reſtitueret, ſemper detrectavit, id quod Ferdinandus ejus filius in eadem opinione obfirmatus egiſſe narratur; De reſtituenda Terracinenſium Civitate ità loquitur Spondanus ad an. 1443. pag. 90. ex Surita hiſtor. lib. 15. cap. 18. inquiens. Rex ut (Felicis ſubaudi) oblata eludere poſſet, petiiſſe ab eo, ut prædicta pecuniarum ſumma unica ſolutione daretur, ut Rex Terracinam Eccleſiæ Civitatem reſtitueret prò ſumma trecentorum millium aureorum in partem mulctæ, in quam olim occaſione violationis nduciarum Vitelleſcus inciderat.

C A P. VIII.

NUnquam tamen clariùs Terracinenſium virtus, atque erga Summos Pontifices devotio emicuit, niſi quando à Ferdinando Alphonſi filio Rege deſciſcentes ad proprium Dominum reverſi ſunt, qua ſuper re ex Gobelino ità ſcribit Raynaldus tomo 19. annal. Eccleſ. ad ann. 1460. num. 65. ſub Pio Secundo dicens. Dum Sarnenſis victoriæ à Gallis partæ fama pervadebat Neapolitani Regni Urbes, pleroſquè in iis converſiones excitaret, Terracina, quæ ab Alphonſo Rege Aragonum Eugenio Quarto, dum Gallicas partes tuebatur, erepta fuerat, & à Ferdinando ad duo luſtra Vicariatus nomine retenta, illius jugum excuſſit, Pontificiumque nomen imploravit. Laudibus extulit Pontifex Terracinenſium facinus, commendavitque Campaniæ Præſidem, qui Terracinam Eccleſiaſtico præſidio munierat, atquè hæc ad Antonium Piccolominæum Nepotem, qui aliquibus Eccle-

Eccleſiaſticis copiis cum imperio præerat, ſcripſit. Quidquid ſubventionis dari poſſe Terracinenſibus vide, ne prætermittas; perniciosum enim eſſet Civitatem illam in manibus hoſtium devenire, quod futurum cognoſcimus, niſi Arx celeritèr recuperetur, ſcribimus Regi, ut tradi illam faciat, veremur, ne lentè id agat, eoque argumento plures ad Ferdinandum litteras dedit, ac primum demulcere ipſum conatus, profeſſus eſt, nulla ratione ad defectionem Terracinenſes à ſe pellectos. Teſtamur, inquit, Deum, chariſſime Fili, nos nil tale anteà præſenſiſſe, nec opinatos eſſe Terracinenſes ad hoc deventuros, mira eorum fuit voluntas, mira deliberatio nulla inſtigatione impulſa. Cum verò Arx à Præfecto Aragonio adhùc teneretur, illum Pius monuit, ut Arcem ipſam, quam Ferdinandi nomine præſidio inſtructam ſervabat Pontificii exercitus Duci traderet. Tùm Ferdinando graviſſima argumenta attulit, ob quæ Eccleſiaſticæ ditioni Terracinæ Arcem reſtitui intereſſet, cum maximè ad Gallos potiùs deſciſcere, quàm ad ejus redire imperium Terracinen. decreviſſent.

PIUS PAPA SECUNDUS.

Ferdinando Regi.

CHariſſime Fili &c. credimus nota eſſe tuæ Serenitati, quę apud Terracinam ſunt geſta, Civitas ſponte ſua clamavit Eccleſiam, Viceregem tuum, & Caſtellani filium conprehendit, cauſam allegans, quod per eos præſenſerat locum illum vendi debere. Timet ex hoc motu te offendiſſe, proptereaque reditum ad tuam Serenitatem tutum ſibi non putat. Hoc dixerat Rectori noſtro Campaniæ, hoc nobis per oratorem ſuum exponi fecerunt aſſerentes paſſuros ſe priùs omnia extrema, quam mutationem propoſiti. Adjecerunt quoque, ſi eos nollemus, inventuros ſe Dominum, qui curam ſui ſuſcipiat. Eſt in ea Civitate Rector prædictus, quem invocant; omnes ad nos inclinant; Arx contra populum ſtat munita præſidio Marconis Comitis. Re in hunc modum pendente quantum periculi immineat plenè debes cognoſcere. Si viderint Terracinenſes expugnationem Arcis toto poſſe non aggredi, ad hoſtes divertent, qui poterunt, quod quantum rebus tuis, & noſtris conducat, obſcurum non eſt. Noli

li committere, ut ſcandalum Eccleſiæ fiat, unaque opera nos, & tu Civitatem illam perdamus. Expeditiùs judicamus, ut ſtatim mandes Arcem tradi noſtro Rectori, & ita facias prò ſtatu amborum rogamus. Quidquid in mora ſiniſtri accidet tibi ſoli imputabitur, neque erit pænitentiæ locus; Arce verò per nos recepta nihil tua Serenitas perdit; Ea tibi commoditas manet, quæ priùs; omnia noſtra ſalutem tuam operantur, nec minus prò te, quam prò nobis deditio petitur; nil medium in hac re eſt, aut noſtri futuri ſunt Terracinenſes aut Gallorum, tui eſſe nolunt; Nos meleſtiſſimum haberemus, & ingratæ mentis indicium, ſi quæ noſtra ſunt, malles ad hoſtes, quam ad protectores tuos redire procraſtinando, & deficiendo; Vidiſti quid in Caſtilione acciderit? Dat. Senis X. Septembris.

De Terracina recepta etiam fecit certiorem Franciſcum Sfortiam Ducem Mediolani Pius, nec ampliùs illius Cives Ferdinando poſſe ſubiici, ne Romanæ Eccleſiæ clientes, qui ad ejus opem confugerant prodere videretur. Leniri tamen tot rationibus Ferdinandus non potuit, acerboque ferens animo Terracinam ad veterem, & juſtum Dominum reverſam Marconii Comitem ad eam recuperandam, diripiendamque immiſit. Inita pugna non ſine damno pulſæ ſunt Ferdinandi copiæ virtute Pazagliæ, qui feſſis Terracinenſibus opportuno ſubſidio venit, quibus viſis Præfectus Aragonius incolumitatem pactus eidem Eccleſiæ Arcem reſtituit. Hæc Odericus Raynaldus tomo antedicto, reliqua, quę tàm ſub Eugenio Quarto, quàm ſub Pio II. evenere Terracinen. recole in lib. primo cap. 12. Succeſſit autem Pio II. Paulus Papa II., qui Anno primo ſui Pontif. confirmavit Terracinenſibus electionem Judicis Civitatis Terracinæ ab ipſis factam per Breve tenoris ſequentis.

Foris.

Dilectis filiis novem Officialibus, & Communi Civitatis noſtræ Terracinen.

Intus.

PAULUS PAPA II.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Vidimus litteras, quas ad nos dediſtis ſignificantes nobis quemadmodùm ad Judicatus officium iſtius noſtræ Civi-

vitatis Terracinæ elegiſtis dilectum filium Angelum de Paupernis legis peritum Tiburtin. prò futuro ſemeſtri inchoando in Kal. Februarii proximè futuri, & ſupplicantes ut illum confirmare dignaremur. Unde nos ſupplicationibus hujuſmodi veſtris inclinati, conſiderantesque de integritate, & probitate dicti Angeli, & quod ea, quæ ſibi commiſſa fuerunt benè, & laudabilitèr exequitur. Eum ad officium Judicatus hujuſmodi dumtaxat, & ſine alicujus alteriùs officii exercitio prædicto ſemeſtri inchoando, ut præfertur, ac ut ſequitur finiendo cum ſalario emolumentis, honoribus, & oneribus conſuetis confirmamus, & tenore præſentium deputamus; mandantes vobis, ut dictum Angelum ad hujuſmodi Judicatus officium conſtituto tempore recipiatis, & admittatis, eique conſueto ſalario congruis temporibus reſpondeatis. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris die 28. Januarii 1465. Pontif. noſtri Anno primo.

Anno autem quinto ſui regiminis commendat eiſdem Terracinen. Ductorem gentium armigerarum Sanctę Romanę Eccleſię hybernaturum apud Terracinam.

En litteræ ſequentes in forma Brevis à Paulo ſecundo Terracinen. datæ.

Foris.

Dilectis filii Officialibus, & Communi Civitatis noſtræ Terracinæ.

Intus.

PAULUS PAPA II.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Veniet ad vos dilectus filius Julianus de Caſtro novo gentium noſtrarum armigerarum, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Ductor cum gentibus ſuis ibidem hybernaturus. Quare mandamus vobis, ut eum benignè recipiatis, & opera ſua, ac fide utamini, quem bonum virum, & fidum experientia eſſe didicimus, necnon eidem de manſione, & ſtraminibus, proùt conſuetum, eſt de reliquis verò prò competenti pretio provideatis, & provideri faciatis, ac in omnibus ſuis negotiis eidem favorabiles vos exhibeatis. Ita quod nobis ab hoc veniatis commendandi.

di.Dat.Romę apud S.Marcum ſub annulo piſcatoris die 12.Octobris 1468.Pontif.noſtri Anno quinto.

Plura ſcripſit Terracinenſibus Alexander Papa Sextus, uti docent ejus litteræ in forma Brevis datæ eiſdem, quas eruimus ex Archivio Terracinen., & ſunt tenoris hujuſmodi.

Foris.

Dilectis Filiis novem Officialibus,& Communitati Civitatis noſtræ Terracinen.

Intus.

ALEXANDER PAPA VI.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Fidei, & devotionis ſinceritas, quam erga nos, & S. R. E. ſtatum geritis promereri videtur, ut petitionibus veſtris quantum cum Deo licet, libentèr annuamus. Hinc eſt, quod nos omnia, & ſingulas ſtatuta, & privilegia, ac immunitates, exemptiones, conceſſiones, gratias, & indulta per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros vobis conceſſas, ſeù conceſſa, quatenùs juſta, & rationabilia, & in uſu ſint, & contrà libertatem Eccleſiaſticam non tendant, tenore præſentium approbamus, & Apoſtolica auctoritate confirmamus, proùt hactenùs laudabilitèr obſervata fuerunt. Prætereà volumus, ut Caſtellanus majoris Arcis Terracin. teneatur ſua impenſa cuſtodiri facere Arcem Peſculi montani nuncupatam, quodquè tàm Civibus, quàm externis illinc tranſeuntibus aliquod Datium,ſeù Pedagium extorquere non præſumat, quin imò jurare debeat ſe Datium, ſeù Pedagium à nemine exacturum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo piſcatoris die 12. Septembris 1492.Pontificatus noſtri Anno primo.

Foris.

Foris.

Dilectis Filiis Prioribus, & Communi Civitatis noſtræ Terracinen.

Intus.

ALEXANDER PAPA VI.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PEr litteras veſtras, quas nupèr accepimus ſignificatis nobis vos deſiderare intelligere voluntatem noſtram qualitèr agere habeatis cum gentibus Chriſtianiſſimi Regis Francorum, ſi iſtac tranſire contingeret, ſubjungendo vos tanquàm devotos, & fideles noſtros paratos eſſe omni nutui, & voluntati noſtræ etiam uſque ad amiſſionem propriæ vitæ obtemperare prò noſtro, & S.R.E. ſtatu. Laudamus, & commendamus ſummopere fidem, ſinceritatem, & conſtantiam veſtram, & valdè nobis gratum fuit, quod comprobaverimus noſtrum de veſtra fide conceptum.

Quamobrem cum modo præfatus Chriſtianiſſimus Rex bonam nobiſcum concordiam, & unionem fecerit; & tanquam devotus, & Catholicus filius noſter nobis perſonalitèr obedientiam præſtiterit; volumus, quod ſi gentes ſuæ tranſire voluerint, eas amicabilitèr recipiatis, & de victualibus, aliiſque neceſſariis prò convenienti pretio, & de manſionibus etiam provideatis; eaſque cum omni benevolentia, & humanitate pertractetis; Nàm Majeſtas ſua ordinavit, quod gentes ſuæ benè, & amicabilitèr ſe vobiſcum habeant. In brevi enim nos ſignificabimus vobis apertiùs, & ſpecialiùs per Nuntium, & litteras noſtras, quid per vos fieri deliberaverimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 24. Januarii 1495. Pontificatus noſtri Anno tertio.

B. Floridus.

Eodem anno poſt paucos dies, quid acturi eſſent Terracinenſes ſuper antedicto negotio per litteras in forma Brevis tranſmiſſas eiſdem declarat Pontifex prælibatus ità.

Foris.

Dilectis Filiis novem Officialibus, & Communi Civitatis noſtræ Terracinen.

Intus.

ALEXANDER PAPA VI.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

PEr Venerabilem Fratrem Epiſcopum veſtrum Tertacinen. accepimus litteras veſtras, per quas, & per relationem Fraternitatis ſuæ accepimus fidem, & devotionem veſtram ergà nos, & Sanctam Sedem Apoſtolicam cum quæratis à nobis intelligere voluntatem, & intentionem noſtram quonam modo gerere vos debeatis cum gentibus Chriſtianiſſimi Francorum Regis, ac etiam cum aliis aſſerendo vos promptos, paratoſque eſſe etiam ad ſanguinis veſtri effuſionem mandatis, & ordinationibus noſtris obtemperare. Laudamus, & probamus ſummoperè ipſam devotionem veſtram, & quia agitis, ſicut bonos, atquè devotos ſubditos decet. Intentio quidem, & voluntas noſtra eſt juxtà conventiones, & capitula inter præfatum Chriſtianiſſimum Regem, & nos initas, ut erga Majeſtatem ſuam, & ejus gentes cum omni humanitate, & offitioſitate vos exhibeatis, & pertractetis cavendo, & advertendo vos ab aliis gentibus, ne decipiamini, & indè detrimentum ſentiatis, confidimus quidem in præfato Francorum Rege Chriſtianiſſimo cum prò ejus virtute, & catholico animo, tùm etiam quoniam ità nobis promiſit, quod vos, & res veſtras bene, amicabiliterquè pertractare faciet. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 16. Febr. 1495. Pontificatus noſtri Anno tertio.

Per hæc eadem tempora idem Pontifex miſit Terracinen. Nuncium à ſecretis Nicolaum Broet, qui forſitan ea, quæ à bonis Conſiliis erant, eiſdem perſuaſit, uti colligitur ex litteris ſequentibus.

Foris.

Digitized by Google

Foris.

Dilectis Filiis Prioribus, & Communi Civitatis noſtræ Terracinen.

Intus.

ALEXANDER PAPA VI.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

REfert vobis nonnulla de comiſſione noſtra dilectus filius Nicolaus Broet Canonicus Ilerden. familiaris,& Commiſſarius noſter. Quare volumus, & vobis harum ſerie mandamus, ut eidem plenam, & indubiam fidem adhibeatis. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris die 19. Januarii 1497. Pontif. noſtri Anno tertio.

Alexandro Sexto adhùc regnante intrà Arcem tribunal audientiæ præter conſuetudinem tenere auſus eſt Gubernator Civitatis Terracinæ, cum itaque hac ſuper re recurſum ad Summum Pontificem habuiſſent Terracinenſes in forma Brevis litteras infraſcriptas tranſmiſit.

Foris.

Dilectis Filiis Gubernatori,& Caſtellano Civitatis noſtræ Terracinæ,& ejus Locumtenenti.

Intus.

ALEXANDER PAPA VI.

Dilecti filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CUm querela nobis nupèr exponi fecerunt dilecti filii Cõmunitas, & homines Civitatis noſtræ Terracinæ; quod vos nulla habita ratione privilegiorum à Sede Apoſt. eis conceſſorum,& per nos confirmatorum,& laudabilis eorum,& hactenus obſervatę conſuetudinis Tribunal Audientię veſtræ intrà Arcem tenetis,& ibi jus redditis,& totam Poteſtatis d. Civitatis juriſdictionem vobis uſurpatis primas cauſas audiendo,& tranſgrediendo ad libitum veſtrorũ formam ſtatutorum ſuorũ in ipſorũ grave damnum, gravamen, & præjudicium: Proin nobis humilitèr ſupplicari curarunt, ut eis deſupèr de oportuno remedio providere

dignaremur. Nos igitur, quibus id valdè diſplicuit hujuſmodi ſupplicationibus inclinati: Vobis expreſsè præcipiendo mandamus, ut deinceps Tribunal Audientiæ veſtrę extrà Arcem, ut conſuevit in dicta Civitate tenere, & jus reddere in iis dumtaxat, quæ ad officium Gubernatoris pertinent, debeatis, nec in primis cauſis, aut aliis ad officium Poteſtatis pertinentibus vos intromittatis, ſed privilegia, & ſtatuta prædicta inconcuſsè ſervetis; aliàs ità providebimus, ut privilegia Apoſtolica, & mandata noſtra ità negligere, non rectè feciſſe, cognoſcatis. Hoc autem Breve, poſtquam per vos lectum fuerit eidem Communitati reſtitui volumus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 3. Februarii 1502. Pontificatus noſtri Anno decimo.

Quibus flammis, quove diſſidiarum civilium incendio ſub hoc Pontifice exarſerint Terracinenſes, vide lib. 1. cap. 13. hujus operis. Cæterum, quænam fuerint capitula, & conventiones initæ inter Alexandrum VI., & Chriſtianiſſimum Regem Francorum de quibus faciunt mentionem litterę ſuperiores, omninò me prętcrit. Quippe qui, ut ait Odericus Raynaldus tomo 19. ad annum 1495., Carolus quatuor Arces nimirum Terracinam Civitatem veterem, Viterbium; Spoletumque extorquebat à Gallis retinendas, donec ipſe Neapoli abſceſſiſſet, cujuſvis atque injuriæ Alexandro illatæ cauſa ſociale fædus ad infringendam Gallicam potentiam initum ſit. Prædictum Regem credo fuiſſe Carolum Octavum Regem Francorum, qui, ut idem Raynaldus tradit, morbidum potiùs Eccleſiæ Caput tolerare voluit, nempè Alexandrum VI. qui à quibuſdam Cardinalibus exagitabatur, quam cum Eccleſiæ diſcrimine amputare, timebat enim, ne ſchiſma in ſede Apoſtolica oriretur, unde concilium illud, de quo præfatus Raynaldus eodem tomo ad annum 1495., hac ſuper re celebratum eſt.

Ceſſit fatis Alexander Sextus, poſt cujus è vita diſceſſum Pontificali honore in Eccleſia Romana ſublimatus eſt Pius Papa Tertius, qui brevi lucis uſura fruens in hac omnium ſuprema dignitate dies ſex, & viginti exegit, & Terracinenſibus paulo poſt quam ad ſolum Pontificium fuit evectus hujuſmodi litteras dedit.

Foris.

Dilectis Filiis Communitati, & hominibus
Civitatis noſtræ Terracine.

Intus.

PIUS PAPA III.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CUpientes ut in Domino noſtro gentibus militaribus chariſſimi in Chriſto filii noſtri Francorum Regis Chriſtianiſſimi tutum, & commodum iter præſtetur, vobis mandamus, ut ipſis gentibus non modo liberum, & expeditum tranſitum prębeatis, ſed etiam de oportunis victualibus, ac hoſpitiis provideatis prò convenienti, & honeſto pretio ſicuti tempore Papæ Alexandri prædeceſſoris noſtri factum eſt. Datum Romæ apud S.Petrum ſub annulo Piſcatoris die 24.Septembris 1503. Pontif. noſtri Anno primo.

Poſt Pium III.breviſſimum Pontificem aſcendit Apoſtolatus apicem Julius Papa II., qui non ſemel litteris Apoſtolicis Terracinenſes honoravit; inter alias, de quibus lib.ſuperiore cap.14. ex Archivio Terracinæ infraſcriptas egero, & ſunt tenoris ſequentis.

Foris.

Dilectis Filiis Syndico, & Officialibus
Civitatis noſtræ Terracinæ.

Intus.

JULIUS PAPA II.

Dilecti filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

NUpèr nobis exponi feciſtis, quod nonnulli exteri homines in Cives veſtros recepti privilegiis, & immunitatibus, quibus alii nativi Cives, & habitatores Civitatis prædictę etiam quoad paſcua gaudent, frui, gaudereque volunt, licet in eadem Civitate neque habitent, neque reſidentiam faciant, quę res ſi toleratur in grave damnum, & præjudicium Communitatis veſtræ vergeret, & proindè nobis humilitèr ſupplicari curaſtis,

ut

ut dignaremur ſuper his opportuno adeſſe remedio. Cum æquum non videatur eos, qui ſolo nomine Cives ſunt, & onera Univerſitatis veſtræ pro tempore incumbentia nec ſubiere, nec ſubeant hujuſmodi immunitatibus,& privilegiis gaudere. Nos igitur premiſſa primo affectu conſiderantes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati præſentium tenore decernimus, quod Cives non originarii, & in Civitate veſtra non habitantes actualitèr,& illius onera ſubeuntes privilegiis, & immunitatibus antedictis poſthac gaudere nec debeant,nec poſſint in contrario facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 8.Julii 1510.Pontif.noſtri Anno ſeptimo.

Foris.

Dilectis Filiis Syndico, Officialibus,& Communi Civitatis noſtræ Terracinen.

Intus.

JULIUS PAPA II.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

EX veſtris oratoribus intelleximus, quod ji, quibus cura eligendi Poteſtates, & Judices veſtros prò tempore eſt commiſſa, plerumque utilitatem Reipublicæ non reſpiciunt, ſed privatis affectibus indulgentes homines minùs utiles, atque idoneos ad dicta officia eligunt. Quocirca veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati omnes electiones Poteſtatum, & Judicum hactenùs præter formam ſtatutorum veſtrorum factas, exceptis illis,quæ per nos confirmatę fuerunt prẹſentium tenore caſſamus, & revocamus, pariterque decernimus, quod deinceps Poteſtates, & Judices veſtri prò tempore juxtà formam ſtatutorum veſtrorum elligi debeant, qui juris doctores exiſtant, vel ſint jure periti. Et qui ſecus fecerint pœnam quingentorum ducatorum Cameræ Apoſtolicæ applicandorum ipſo facto prò qualibet vice incurrant. Dat.Romę apud S.Petrum ſub annulo Piſcatoris die 15. Junii 1511. Pontificatus noſtri Anno octavo. Sigiſmundus.

Idem Pontifex erat Bononiæ, cumque intellexiſſet Cives Terracinenſes ad inſolita onera à Dohaneriis ſuis compelli, illico, ut eos à dictis eximeret moleſtiis, Cardinali Almę Urbis Legato in hanc ſententiam ſcripſit.

Foris.

Digitized by Google

Foris.

Dilecto Filio noſtro tit. S. Suſannæ Presbytero Card. Agennen. noſtro, & Apoſtolicæ Sedis in Alma Urbe Legato, & ſecundum carnem Nepoti.

Intus.

JULIUS PAPA II.

Dilecte Fili noſter ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

INdulſimus ſuperioribus menſibus dilectis filiis Syndico, & Communitati Civitatis noſtræ Terracinen., in qua Salaria Provinciæ reſidere conſuevit, & reſidet, ut per Dohanerios noſtros ad accipiendum Sal alitèr, quam hactenus fuerit conſuetum, cogi nec deberent, nec poſſent, proùt ex Brevis noſtri exemplo præſentibus introcluſo intelliges. Nuper autem ex querela Syndici, & Communitatis prædictæ accepimus, quod Dohanerii prędicti nulla habita ratione indulti prędicti aut honoris mei Cõmunitatem eandem, & ejus homines ad inſolita onera compellere non deſiſtunt; Ejuſq; rei gratia pleroſq; homines Civitatis prædictæ etiam ad Almam Urbem noſtrã graſſiam deferentes ceperunt; eoſq, nonniſi datis fidejuſſoribus relaxarunt, & graviora eis minãtur vigore quarundam repręſaliarũ ob hoc ad inſtantiam Conductorum ipſorum per Clericos Cameræ conceſſarum. Quocircà nos attendentes indultum noſtrum hujuſmodi magna æquitate, & ratione fuiſſe conceſſum. Ac proindè volentes illud inviolabiliter obſervari circumſpectioni tuæ committimus, ut Conductores antedictos noſtra auctoritate moneas, & ſi id facere recuſaverint per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia opportuna remedia cogas, ut fidejuſſores hujuſmodi liberent, nullamque moleſtiam hominibus dictæ Civitatis ob cauſam prædictam inferre audeant. Non obſtantibus repræſaliis antedictis, ac ſi in taxis per ipſos Clericos eis datis Terracinen. in majori ſumma, quam ſit conſuetum, deſcripti eſſent cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Bononiæ ſub annulo Piſcatoris die 13. Octobris 1510. Pontificatus noſtri Anno ſeptimo.

CAP.

CAP. IX.

SUb Leone Decimo immediato Julii II. ſucceſſore in deterius rivere cæperant Anxurates, & à veteris ſtatus amplitudine declinantes novas, atque inſolitas experiri calamitates, de quibus, ne actum agam, inſpice libri ſuperioris cap. 14. in calce, & principio; modo enim præſtat reliquas ejuſdem Pontificis litteras in forma Brevis Terracinenſibus datas afferre, quæ ſic habent.

Foris.

Dilectis Filiis Communitati, & hominibus
Civitatis noſtræ Terracinen.

Intus.

LEO PAPA X.

Dilecti filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

EXponi nupèr feciſtis quod alias fel. rec. Alexander Papa Sextus prædeceſſor noſter tempore ſuæ aſſumptionis ad Apoſtolatus apicem inter cætera per ſuas in forma brevis litteras declaravit, quod Cuſtos Arcis magnæ Terracinen. Arcem parvam nuncupatam Peſculum montanum, quæ alias impenſis veſtris cuſtodiebatur per dictum Caſtellanum ejus impenſis cuſtodiri deberet, & nihil à vobis, vel ab aliquo alio tranſeunte aliquod pedagium exigeret, aliaſque, & alia fecit, proùt in dictis litteris, quarum tenores præſentibus prò expreſſis haberi volumus, pleniùs dicitur contineri. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dictas litteras de benignitate Apoſtolica approbare, & confirmare dignaremur.

Nòs igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati litteras Alexandri prædeceſſoris noſtri hujuſmodi, ac proùt illas concernunt omnia, & ſingula in eis contenta quoad cuſtodiam Arcis prædictæ, & quoad ſolutionem dictæ Arcis, & ſolutionem pedagii hujuſmodi attento, quod dicta Arx per unum ſolum, & ſupervenìente neceſſitate per duos cuſtodes cuſtodiri ſoleat Apoſtolica auctoritate per præſentes approbamus, & confirmamus ità, & talitèr quod Caſtellani Arcis magnę prò tempore exiſtentes ante introi-

introitum ipſius Arcis cum juramento teneantur præſentes litteras noſtras obſervare, & illis in aliquo non contravenire non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dictæ Civitatis, cęteriſquè contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo piſcatoris die 20. Decembris 1514. Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

Nimium fortaſſe apud Caſtellanos Terracinenſes inoleverat prava conſuetudo exigendi pedagium à tranſeuntibus per portam Peſculi montani, unde pręfatus Leo Anno tertio ſui Pontificatus ſub dat. 24. Maii per litteras ejuſdem ferè tenoris, ac ſunt ſuperiores iterum hoc prohibuit, quas nos brevitatis ergo omittimus. Cæterum cum idem Pontifex reſciſſet Sylvam Maritimæ Terracinen. plurima damna pati ab inconſultò cędentibus ligna, ſequentibus litteris Apoſtolicis tantis incommodis obviam ivit.

Foris.

Dilectis Filiis Communitati Civitatis noſtræ Terracinæ.

Intus.

LEO PAPA X.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

EXponi nobis nuper feciſtis, quod Civitas iſta ſingulis annis non mediocres fructus, & proventus ex ſylva de Maritima nuncupata ad dictam Civitatem ſpectanti, & pertinenti percipere ſolet, & exin à non paucis gravaminibus, & oneribus, quæ ſæpè numero ipſam Civitatem, ſeù illius homines tàm prò noſtris, quàm ſuis publicis neceſſitatibus impoſitis, ac imponendis ſubire quandoquè oportet, ſeſe relevat, & inſuper cum in ea ſingulis annis copioſiſſimus porcorum numerus ad pingue faciendum retineri, & ad Curiam noſtram poſtmodùm deduci ſoleat, magni quidem tum Curiæ, tum Civitatis prædictaturum intereſt, quod ſylva hujuſmodi manuteneatur, & conſervetur. Verum cum à nonnullis annis citrà paſſim ſylva hujuſmodi cędi ad paucos annos ad nihilum reducetur, ſupplicari nobis humi-

litèr feciſtis, ut in præmiſſis opportunè providere ex benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos itaque tàm Civitatis, quàm Curiæ prędictarum indemnitati providere volentes Univerſis, & ſingulis perſonis cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis, aut præeminentiæ exiſten., tàm foren. quàm Civibus, & Comitativis ejuſdem Civitatis auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſub excommunicationis, & ducentorum ducatorum auri de Camera eidem Cameræ applican. eo ipſo, quo non obtemperatum fuerit, incurrendis pœnis mandamus quatenus de cætero poſtquam præſentes litteræ per loca publica, & conſueta dictæ Civitatis per præconem intimatæ, & publicatæ fuerint nullo modo, & ſub aliquo prætextu,& occaſione aliquod genus lignorum groſſorum,ac fructum ferentium in dicta ſylva, præterquam ligna ad uſum ædificiorum in Civitate, & Comitatu dictæ Civitatis tantùm, & fabricandum, ſeù inſtruendum naves abſque veſtra expreſſa licentia incidere audeant, vel præſumant; mandantes ſub eiſdem pœnis Gubernatoribus, & cæteris officialibus dictæ Civitatis quatenùs præſentes noſtras per loca publica, & conſueta publicari, & poſtmodum inviolabilitèr obſervari faciant,& procurent, contraque inobedientes, ac incidentes ad executionem dictæ pœnæ pecuniarię omninò procedere debeant conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cęteriſq; contrariis non obſtantibus quibuſcumque.Dat.Romę apud S.Petrum ſub annulo piſcatoris die 24. . . . . . Pontif.noſtri Anno ſeptimo.

Adrianus Sextus Leonem Quintum excepit, qui anno primo ſui Pontificatus omnia privilegia, indulta, & immunitates à Summis Pontificibus Terracinæ, ejuſque Civibus conceſſa confirmavit, ab horum tamen communione excludit Cives non originarios, & eos, qui actu Terracinam non incolunt; en ejus Breve.

Foris.

Foris.

Dilectis Filiis Syndico, Officialibus, & Communitati Civitatis noſtræ Terracinen.

Intus.

ADRIANUS PAPA VI.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

FIdei, & devotionis veſtræ conſtantia inducimur, ut propitii erga vos ſimus, & liberales. Idcircò omnia ſtatuta veſtra, ordinationes, & reformationes, quatenùs juſta, & rationabilia ſint, & contra Eccleſiaſticam libertatem non tendant, indulta, gratias immunitates, ac privilegia à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris veſtræ Communitati conceſſa, & in ſpecie fel.rec.Julii II. prædeceſſoris noſtri, quo cavetur, quod Cives non originarii, nec actu habitantes in Civitate veſtra, & qui nomine tantum ſunt Cives, & onera prò tempore incumbentia non ſubeunt, privilegiis, gratiis, & immunitatibus veſtris non gaudeant, nec frui poſſint ullo tempore in futurum, quatenùs in viridi ſint obſervantia, harum tenore approbamus, & confirmamus contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Dat. Romæ apud S.Petrum ſub annulo piſcatoris die 14.Martii 1523.Pontif. noſtri Anno primo.

Poſt obitum Adriani Sexti Pontificios honores conſecutus eſt Clemens Papa Septimus. Hic quoque ad petitionem Terracinenſium ſtatuta Civitatis, & privilegia, atque indulta eiſdem à Romanis Pontificibus conceſſa approbavit confirmando per Breve tenoris ſequentis.

Foris.

Dilectis Filiis Syndico, & Officialibus Civitatis noſtræ Terracinæ.

Intus.

CLEMENS PAPA VII.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

INducit nos fidei veſtræ conſtantia, ac devotio, quam erga ſtatum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ gerere comprobamini, ut

Digitized by Google

veſtras petitiones gratioſè exaudiamus,ac ea vobis concedamus, quæ commoditatibus veſtris fore conſpicimus opportuna. Nos itaque Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, quantum nobis ex alto conceditur, veſtigiis inhærere volentes humilibus in hac parte veſtris ſupplicationibus inclinati omnia, & ſingula ſtatuta veſtra ordinationes, & reformationes, necnon privilegia, gratias conceſſiones immunitates, & indulta vobis, & Communitati veſtrę per dictos prædeceſſores noſtros prò tempore conceſſas, & conceſſa, quatenùs juſta, & rationabilia, ac in uſu ſint, & contra libertatem Eccleſiaſticam, & Camerę Apoſtolicæ non tendant tenore præſentium appobamus, & confirmamus, ſupplemuſque omnes, & ſingulos tàm juris, quàm facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, illaque perpetuę firmitatis robur obtinere, & inviolabilitèr ab omnibus, & ſingulis obſervari debere volumus, & decernimus in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo piſcatoris die 10. Januarii 1524. Pontif. noſtri Anno primo.

Præterea idem Pontifex favore Terracinenſium poſt curſum unius ferè anni has alias in forma Brevis, ſeù privilegii litteras expedivit.

CLEMENS PAPA VII.

Univerſis, & ſingulis præſentes inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

PRò parte dilectorum filiorum Communitatis,& hominum Civitatis noſtræ Terracinæ nobis expoſitum fuit, quod cum temporibus præteritis ad inſtantiam diverſarum perſonarũ contrà Communitatem, & homines dictæ Civitatis prò cauſa, ſeù facto quarundam particularium perſonarum ejuſdem plures repreſaliæ per aliquos Barones, Communitates, ſeù Poteſtates, aut alios locorum etiam Urbis Officiales conceſſæ fuerint: ſæpè contingit,quod etiam qui culpam,ſeù cauſam non dederunt pluribus in locis, & ipſi, & eorum bona, atquè animalia arreſtata fuerunt: Et rursùs formidandum eſt, ne alii homines prò repreſaliis tàm conceſſis, quàm concedendis arreſtentur, vel alias moleſtentur in eorum maximum præjudicium. Quare prò eadem

parte

parte nobis ſupplicatum extitit, ut eis in præmiſſis opportunum adhibere remedium dignaremur. Nos itaque nolentes quemquam ex facto alterius moleſtari Univerſis, & ſingulis Baricellis, Capitaneis, Mareſcallis, Officialibus, & executoribus, ac ceteris publicis, & privatis perſonis ſub excommunicationis, ac trecentorum ducatorum auri ipſo facto Cameræ Apoſtolicæ applicandorum, & per quemlibet contravenientem incurrendorum pęnis mandamus, ne in poſterum occaſione quarumcumque repreſaliarum ad cujuſvis inſtantiam per ſupradictos conceſſarum ad cujuſvis inſtantiam per ſupradictos conceſſarum contrà Communitatem, & homines dictæ Civitatis, ac res, & bona, & animalia ipſorum, niſi prò intereſſe Cameræ, vel ob expreſsè denegatam juſtitiam, & tunc per Cameram Apoſtolicam tantum conceſſarum, ſeù concedendarum prò cauſa, & facto particularium perſonarum dictæ Civitatis, & in ea habitantium, dictam Communitatem, ejuſquè homines, res, & bona, atque animalia ullo modo arreſtare, moleſtare, vel alias inquietare præſumant. Et nihilominùs dilectis filiis noſtris Legatis Provinciarum, eorumq; Vicelegatis, & Locumtenentibus, Baronibus, Domicellis, necnon Præſidibus Cameræ Apoſtolicæ in virtute Sanctæ Obedientiæ Gubernatoribus verò, Communitatibus, & aliis perſonis ſub dictis pęnis pecuniariis mandamus, & inhibemus, ne dictas repreſalias, niſi ut præfertur, contrà Communitatem, & homines dictæ Civitatis, ac illorum res, & bona, & animalia committere, ſeù relaxare debeant, decernentes ex nunc irritum, & inane quidquid ſecùs agi, attentarive contigerit præmiſſis, cæteriſquè non obſtantibus quibuſcumque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo piſcatoris die 17. Novembris 1525. Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

Paulus Papa Tertius, qui prænominato Clementi immediatè ſucceſſit, ſtatuta Terracinenſium, ac quoquè privilegia, & indulta eiſdem per Summos Pontifices conceſſa dignatus eſt confirmare per Breve, cujus tenor talis eſt.

Foris.

Digitized by Google

Foris.

Dilectis Filiis Communitati, & hominibus Civitatis noſtræ Terracinæ.

Intus.

PAULUS PAPA III.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

INducti fide, ac devotione veſtra erga nos, & hanc Sanctam Sedem, ac veſtris precibus per Oratores veſtros ad nos deſtinatos nobis humilitèr porrectis inclinati omnia, & ſingula veſtra ſtatuta, & reformationes, quatenùs licita, & honeſta, & Sacris Canonibus non contraria ſint, necnon privilegia, facultates, & indulta vobis per quoſcumquè Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & per litteras in forma Brevis conceſſa, proùt hactenùs laudabilitèr obſervata fuerunt auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cęteriſquè contrariis quibuſcumque. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris die 3. Decembris 1534. Pontif. noſtri Anno primo.

Anno verò ſui Pontificatus ſecundo idem Paulus III. quaſdam repreſalias contrà Terracinenſes conceſſas irritas facit, ac penitùs abrogat per Breve tenoris hujuſmodi.

Foris.

Dilectis Filiis Communitati, & hominibus noſtræ Civitatis Terracinæ.

Intus.

PAULUS PAPA III.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

EXponi nobis feciſtis, quod licet vos taxas equorum per vos Camerę Aoſtolicę debitas, quas in reparationem veſtræ Arcis convertere tenebamini partim in ipſius Arcis, partim in murorum veſtrorum reparationem metu Piratarum infideliũ, qui veſtra littora continuè excurrebant, converteritis, & ultrà illas

illas etiam alias quamplures pecunias de veſtris propriis expoſueritis; tamen dilecti filii Præſidentes, & Clerici Cameræ Apoſtolicæ repreſalias contrà vos prò eo quod ſicut tenebamini omnes dictas taxas in reparationem dictę Arcis non converteritis, conceſſerunt. Quamobrem vos propterea indebitè gravatos ſentientes ad nos recurſum habuiſtis, & nihilominùs compoſitione cum generali Theſaurario noſtro facta ſummam centum ſcutorum auri de ſol. nunc, & in pręſenti nobis ſolvere, necnon alios centum ſcutos ſimiles intrà biennium à Dat. pręſentium computandum in reparationem dictę Arcis efficacitèr convertere promiſiſtis. Unde nobis humilitèr ſupplicari curaſtis, ut repreſalias hujuſmodi revocare, veſtręquè quieti in pręmiſſis conſulere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur pręmiſſis attentis, & veſtris hujuſmodi precibus inclinati repreſalias pręadictas caſſamus, & annullamus, voſque illarum in vigore ex dicta cauſa ulteriùs moleſtari non poſſe decernimus. Inhibentes omnibus executoribus Almę Urbis, & extrà eam, pręſertim Piperni, & aliarum noſtrarum Civitatum, ac Terrarum Campanię, & Maritimæ, ne vos ulteriùs occaſione præmiſſa realitèr, vel perſonalitèr moleſtare præſumant, contrariis non obſtantibus quibuſcumque; Volumus autem quod nihilominùs interim, & poſtea continuè taxas prædictas Cameræ Apoſtolicæ, ut priùs ſolvere teneamini, & niſi dictos centum ſcutos in reparationem ipſius Arcis intra dictum biennium effectualiter expoſueritis, ac expoſuiſſe eidem Theſaurario probaveritis, tunc ad exponen. ducentos ſcutos ſimiles intra menſem poſt dictum biennium illico ſequentem, ſitis aſtricti. Dat. Romę apud S.Marcum ſub annulo piſcatoris die ultima Junii 1536. Pontif. noſtri Anno ſecundo.

Obtinuit poſt Paulum III. ſupremum Catholicæ Eccleſiæ regimen Julius Papa Tertius, qui ad hoc ut alveum fluminis expurgare, & mænia Urbis reparare poſſent Terracinenſes, eiſdem quandam pecunię ſummam Camerę Apoſtolicę debitam remiſit, uti conſtat ex Brevi tenoris ſequentis.

Foris.

Foris.

Dilectis Filiis Communitati Civitatis noſtrę Terracinę.

Intus.

JULIUS PAPA III.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CUpientes ſalubritati aeris iſtius Civitatis noſtræ Terracinæ, ac illius adverſus hoſtiles impetus ſecuritati opportunè conſulere, veſtris in hac parte ſupplicationibus, inclinati vobis, ad hoc ut alveum fluminis iſtac decurrentis purgare, & aquas putridas iſtarum partium per illum expurgatione hujuſmodi demiſſiorem factum in mare derivare, ac territorium veſtrum deſiccare poſſitis, ſicquè aer iſtic ſalubrior fiat, voſque mœnia dictæ Civitatis, quæ ob eorum vetuſtatem ruinam minantur reficere, & reparare valeatis quinque ſcuta monetæ, quæ nobis, Camerę noſtræ Apoſtolicæ ſingulo quoque menſe prò focolinis, ut ajunt, ſolvitis in expurgationem alvei, & dictarum aquarum derivationem, & non alios uſus convertenda ad quinque annos à die præſtitæ per vos infraſcriptæ cautionis computandos dumtaxat Apoſtolica auctoritate per pręſentes gratioſè remittimus, & donamus.

Ac inſuper ducenta ſcuta ſimilia decem Juliis prò quolibet ſcuto computatis vobis ex proventibus maleficiorum, & confiſcationum Provinciæ noſtræ Campaniæ, & Maritimæ per illius Theſaurarium annuatim perſolvenda, & per vos in refectionem, & reparationem mænium hujuſmodi convertenda ad eoſdem quinque annos, ut præfertur, computandos dicta auctoritate concedimus, & aſſignamus mandantes dilecto filio noſtro Joanni Baptiſtæ tit. S. Clementis Presb. Cardinali moderno, & prò tempore exiſtenti noſtro, & Sedis Apoſtolicæ in dicta Provincia Legato, ejuſque Vicelegato, ac præfato Theſaurario, ut remiſſionem, donationem, conceſſionem, & aſſignationem noſtras prædictas inviolabilitèr obſervent, & debitæ executioni demandent, ac ab aliis obſervari faciant, ipſequè Theſaurarius vobis ducenta ſcuta prædicta ex proventibus maleficiorum, & confiſcationem hujuſmodi quot annis perſolvat: non obſtantibus conſtitutioni-

bus,

bus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ipſius Provinciæ etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & litteris Apoſtolicis eiſdem Provinciæ, Legato, Vicelegato, & Theſaurario, ac quibuſvis aliis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis motu proprio, aut alias quomodolibet conceſſis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis; quibus omnibus illorum tenores præſentibus prò expreſſis habentes hac vice dumtaxat ſpecialitèr, & expreſsè derogamus, cęteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem quod remiſſio; donatio, conceſſio, & aſſignatio, ac litteræ veſtræ hujuſmodi nonniſi poſtquam vos de quinque ſingulo menſe in purgationem, & derivationem, ac ducentis ſcutis prædictis quolibet anno in refectionem, & reparationem mænium hujuſmodi realitèr, & cum effectu exponendis idoneam cautionem in Camera Apoſtolica, vel in partibus in manibus ipſius Legati, vel Vicelegati pręſtiteritis effectum ſortiantur aliquem, aut habeant.

Quodque de illis ſic, ut præfertur, expoſitis computum in eadem Camera quolibet anno reddere teneamini. Dat. Romę apud S.Petrum ſub annulo Piſcatoris die 7.Januarii 1554.Pontif. noſtri Anno quarto ſub Paulo Papa Quarto mirum quantum afflicti fuere Terracinenſes, ab Albenſi enim Duce vi armorum capti agrorum, villarumque vaſtationem, & ſuburbiorum demolitionem tutioris muniminis ſpecie, ut cuique hinc accedenti intueri licet, perpeſſi ſunt, & quod deplorabilius extitit, annis ſanè non paucis ob aeris gravitatem, & crebram morborum popularium graſſationem extremas penè calamitates experti ab omnibus deſpici, conculcarique cęperunt; at de his ne acta agam, & ſcripta reponam vide lib.1. cap.15. hujus operis. Cęterum mirum eſſe non debet, ſi B.Pius Quintus ex 800. ſcutorum juxtà taxam ſolvendorum à Communi Terracinen. Cameræ Apoſtolicæ quot annis motu proprio, & propriæ manus ſubſcriptione remiſerit Terracinenſibus 400., ſciebat enim pauperiem, & calamitates, in quas illi inciderant, id quod liquido patet ex litteris ejuſdem in Archivio præfatæ Urbis ſervatis. Has verò confirmavit Cardinalis Vitellotius S.R.E.Camerarius ità.

Digitized by Google

Vitellotius miſeratione Divina S. Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis Vitellius S.R.E. Camerarius.

Dilectis nobis in Chriſto Communitati, & hominibus Civitatis Terracinæ ſalutem in Domino ſempiternam.

NUper nobis in Camera Apoſtolica prò parte veſtra exhibita, & præſentata fuit cedula motus proprii Sanctiſſimi Domini Noſtri Pii Papæ Quinti manu Suæ Sanctitatis, ut apparet ſignata, quam nos cum ea, qua decuit reverentia recepimus hujuſmodi ſub tenore, videlicet Pius Papa Quintus motu proprio &c. Nuper ſicut accepimus Dilecti Filii Communitas, & homines Civitatis noſtræ Terracinæ ſervatis de jure ſervandis, ac citatis Fiſco noſtro, & impoſitionum Generalium exactoribus in plena Camera Apoſtolica cognita eorum paupertate, & perſonarum ob aeris intemperiem diminutione, ut de mille focularibus ad centum in circa redacta reperiatur, ac ſtatu, plurimis, & diverſis exemptionum privilegiis eidem Civitati, & Communitati per prædeceſſores noſtros conceſſis,& aliis urgentiſſimis de cauſis ex generali decreto ab ipſa Camera, & dilectis filiis illius Præſidentibus, & Clericis, ut de taxa octigentorum ſcutorum aureorum ſingulis annis per eamdem Communitatem, & homines illius prò triennali ſubſidio eidem Cameræ ſolvi ſolitorum, & de præterito eidem Cameræ Apoſtolicæ debitorum nullatenùs moleſtentur, pro futuro verò tempore ad medietatem tantum dictorum octingentorum ſcutorũ ſimilium, & ſic ad quadringenta Communitas ipſa, illiuſquè homines obligati remanerent, proùt in his Cameralibus deſuper expeditis latiùs dicitur contineri, ipſaquè Communitas præmiſſa prò illorum ſubſiſtentia firmiori noſtro, & Apoſtolicæ Sedis patrocinio, & munimine roborari deſiderat. Nos quorum ſemper animus, & voluntas fuit, & eſt noſtros ſubditos ultrà vires, & facultates minimè gravare, quin immò eos à gravaminibus quantum poſſumus liberare; prò comperto habentes prædictam noſtram Civitatem ad tantam paupertatem redactam eſſe, ut vix ſuis modicis facultatibus, & laboribus ſe ſuſtentare poſſit, ipſamque Civitatem in frontiſpitio maris, & confinibus Regni exiſtere, ut ſemper in ætate maximè ob Turcarum infideliumque timorem exactiſſimè vigilias maximo

tædio,

tædio, & ſubditorum noſtrorum diſpendio die, noctequè intus, & extrà Civitatem ipſam facere cogantur, ac propterea eis in præmiſſis annuere, ac eos ſpecialis gratiæ favore proſequi volentes motu ſimili &c. reductionem, remiſſionem, & defalcationem reſpectivè præfatæ Communitati, illiuſque hominibus, ut ſupra factam, & conceſſam, ac Camerales litteras præfatas, omniaque, & ſingula præmiſſa, ac in litteris hujuſmodi contenta, & inde ſecuta quæcumque ex certa ſcientia auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, ac illis perpetuò, & inviolabilis firmitatis robur adiicimus, omneſque, & ſingulos tàm juris, quàm facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem ſupplemus, & potiori prò dictæ Communitatis, & illius hominum cauthela decretum Camerale, ut præmittitur, obtentum, & litteras prædictas denuò ità ut Communitas, & homines prædicti à ſolutione dictorum 800. ſcutorum prò dicto ſubſidio hùc uſque debitorum abſoluti, liberati ſint, & prò futuro tempore ad ſolutionem quadrigentorum ſcutorum ſimilium prò dicto ſubſidio ex dictis octingentis ſcutis debitis perpetuò dicto ſubſidio triennali durante dumtaxat remaneant, decernimus, & declaramus, & nihilominùs dicta ſcuta octingenta, quæ pro dicto ſubſidio ſolvere tenebantur ad dicta quadringenta ſcuta annuatim reducimus, & reſtringimus mandantes propterea moderno, & prò tempore exiſtenti noſtro, & S.R.E. Camerario; ac ejuſdem Cameræ Præſidentibus, & Clericis quatenùs præſentem noſtrum motum proprium, ſeù litteras deſuper conficiendas in eadem Camera admittant, & admitti mandent, ac faciant litteras patentes, & alias ſcripturas deſuper opportunas decernant, & eandem Civitatem, & Communitatem præſenti noſtra voluntate, & reductione uti, frui, & gaudere liberè, & ſine contradictione faciant; nec permittant eos à quoquam præſertim dicti ſubſidii deputatis Commiſſariis quomodolibet moleſtari, contradictores quoslibet per cenſuras Eccleſiaſticas, & pecuniarias pænas appellatione poſtpoſita compeſcendo &c. Datum Romæ in Camera Apoſtolica die 24. Martii 1568. Pontif. Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D.N.D. Pii PP. Quinti Anno ejus tertio.

Hic ſubſcripſerunt quinque Clerici Cameræ Apoſtolicæ, quos, ſicut litteras ad inſtar inhibitionis, expeditas, & alias litteras directas Exactoribus, & Commiſſariis Cameræ Apoſtolicę

Digitized by Google

ſub dat. an.1566.,& Anno primo Pontif.Pii Papæ V., ne nimium longi eſſemus, tranſcribere omiſimus; harum exemplar appetentibus ſatisfacere poterunt curioſiores; quoniam ſervantur originalitèr in Archivio Terracinen. Poſt felicem B.Pii Quinti ex hac mortali vita diſceſſum triplici corona inſignitum caput extulit in Vaticano Gregorius XIII. Hic quoque antiqua Summorum Pontificum Terracinenſibus conceſſa, & gabellam veterem, ac vectigal paſſus fluminis Legulæ confirmavit per litteras Apoſtolicas in hunc modum exaratas.

Foris.

Dilectis Filiis Communitati, & hominibus
Civitatis noſtræ Terracinæ.

Intus.

GREGORIUS PAPA II.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

FIdes, & devotio, quas erga nos, & Romanam geritis Eccleſiam nos inducunt, ut petitiones veſtras quantum cum Deo poſſumus ad exauditionis gratiam admittamus, & his, quæ à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris vobis conceſſa ſunt, & approbata, quo firmiùs ſubſiſtant libenter, cum à nobis petitur, noſtræ etiam auctoritatis robur adiiciamus.

Hinc eſt, quod nos dilectorum filiorum Bernardini Coziglia Syndici veſtri,& Dionifii de Ciotis utriuſque juris Doctoris oratorum veſtrorum, quos nuper ad nos miſiſtis ſnpplicationibus inclinati privilegia, gratias, & exemptiones à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris vobis dudum conceſſa, necnon ſtatuta, & conſuetudines veſtræ Civitatis, quatenùs ſint in uſu, & contra libertatem Eccleſiaſticam non tendant Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adiicimus.

Necnon vobis, ut in futurum vectigal, ſeù gabellam veterem, ac gabellam, & vectigal paſſus fluminis Legulæ, quatenùs ſitis in quaſi poſſeſſione eas exigendi eiſdem modo, & forma, quibus hactenùs à vobis exactæ fuerunt, & exiguntur, exigere liberè, & licitè valeatis, auctoritate, & tenore præmiſſis concedimus,

mus,& indulgemus. Sicque per quoſcumq; Judices,& Comiſſarios quavis auctoritate fungentes ſublata eis, & eorum cuilibet quavis alitèr judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari,ac diffiniri debere, & ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcientèr, vel ignorantèr contigerit attentari irritum, & inane decernimus. Quocirca Venerabili Fratri Epiſcopo Terracinen., ſeù ejus Vicario Generali in Spiritualibus, & dilecto filio Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori per præſentes mandamus quatenùs ipſi vel duo, aut unus eorum per ſe, vel alium, ſeù alios præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit,ac quoties pro parte veſtra fuerint requiſiti ſolennitèr publicantes, ac illis in præmiſſis efficacius defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant auctoritate noſtra litteras præſentes, & in eis contenta quæcumque firmitèr obſervari; Voſque illis pacificè frui,& gaudere; Non permittentes vos deſuper per quoſcumque quomodolibet indebite moleſtari, contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque oportuna juris remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, cenſuraſque ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilium brachii ſæcularis.

Non obſtantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. de una, & Concilii generalis de duabus dictis dummodo ultra tres,quis vigore præſentium ad judicium non trahatur, ac quibuſvis aliis conſtitutionibus,& ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communitèr, vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici,ſuſpendi, vel excorcari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Dat.Romæ apud S. Marcum ſub annulo Piſcatoris die 11. Auguſti 1572.Pontif.noſtri Anno primo.

Sequenti Anno idem Pontifex nonnulla nunciare fecit Terracin., quę tamen non explicat in litteris ſequentis tenoris.

Foris.

Digitized by Google

Foris.

Dilectis Filiis Prioribus, ac Communitati,& hominibus Civitatis noſtræ Terracinen.

Intus.

GREGORIUS PAPA XIII.

Dilecti Filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

VEniunt iſtuc mandato noſtro Venerabilis Frater Franciſcus Epiſcopus veſter Terracinen., & dilectus filius nobilis Vir Adrianus Ballionus Domicellus Peruſin., quibus commiſimus, ut nonnulla vobis noſtro nomine referat. Volumus igitur, ac vobis mandamus, ut eiſdem plenam, & indubitatam fidem omninò habeatis, ac ſi nos ipſi coram vos alloqueremur. Dat. Romę apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 7. Decembris 1573.Pontif.noſtri Anno ſecundo.

Eodem Anno præfatus Gregorius ſequeſtro appoſito redditus, & introitus Civitatis Terracinen.curę, atque adminiſtrationi Illuſtriſſimi, & Reverentiſſimi Theſaurarii Generalis demandavit animo conſtruendi novam Urbem in Monte S. Angeli, ubi aer ſalubrior eſſe videtur, id quod confirmavit Sixtus PP. Quintus immediatus ſucceſſor ejuſdem, ſicuti oſtendimus lib. primo cap.15. Quin immò prædictus Sixtus præter Civitatis renovationem paludum quoque Pomptinarum, exiccationem, & novum portum efficere meditatus eſt; unde ad urgendum tantum opus præſentia Majeſtatis Suæ Terracinam acceſſit; verum paulò poſt morte præoccupatus cuncta reliquit imperfecta,& præmeditatum facinus infauſto rerum eventu omnium cupiditatem deluſit.Poſthæc autem tempora deliteſcunt acta Terracinenſium, & obmutuere Scriptores adeò ut in rerum natura non ampliùs exiſtere videantur Anxurates; nec mirum, quoniam ſilveſcente Civitate in Vicis, & plateis Terracinę loco hominum nonniſi urticæ, ſambuci, urceolares, & alia id genus ſpectabantur, etenim Populo, familiis, viriſque conſpicuis exhauſti,opibus depauperati, ac denudati omnibus bonis, in maximis miſeriis immerſi jacuere ferè uſque ad extremum ſæculi ſuperioris, quando vires iterum aſſumere, inculta excolere, & à pelago calamitatum, emergentes reſpirare cœperunt, & modo ſemper in melius procedere ſperant

aſpi-

aſpirante clementi aura Clementiſſimi, ac Sanctiſſimi Domini Noſtri Divina Providentia Clementis Papæ XI., qui proſtratis ſubditis oculos ſuæ immenſæ miſerationis adiiciens, & manus quoque eximiæ benignitatis, ac munificentiæ porrigens, ut repararet corruentia Terracinenſium Templa, ſtatumque ſuæ Civitatis agnoſceret, motu proprio, & ſolius Numinis afflatu Divino Viſitatorem Apoſtolicum jam uſque ab anno ſuperiore propere emiſit. Exultarunt audita incomparabili electione Præſulis delegati Terracinenſes,& omnes Terracinen. Eccleſiæ conſecratæ gentes prægeſtient,quoniā ambient ſubiici gubernio tàm inſignis Sanctimonia,ac probitate Viri:Harum cumulatiſſimum teſtimonium exhibent ejuſdem optimæ, & integerrimæ operationes, quæ ob oculos omnium illuxerunt. Plura autem poſſem de Terracinen. effari, quia verò mihi nec librorum copia, nec tempus ſuppetunt, hæc dixiſſe ſufficiat, neque moveat lectorem, ubi cauſor ætatem, ubi cauſor litterarum inopiam, aut medicas affero curas, quandoquidem ob iſtas cauſas Romana Archivia non adii, neque Vaticanos Codices pervolui, aut curioſè, accurateque exploravi Annales Eccleſiæ, ſed dumtaxat ea, quæ notatu digna ſe nobis obtulerunt, excerpens, & una conſarciens in hanc formam redegi, ut nempè poſſit poſteritas majori cum laude, ſi quæ innodavimus, explicare.

CAP. X.

De Familiis, ac Viris Conſpicuis Civitatis Terracinæ.

ARduam rem aggredior,immò impoſſibilem,ſi omnes conſpicuos Viros,ac Illuſtres Familias, quæ Terracinę jam inde ab ejuſdem exordio floruerunt, velim recenſere, cum nullus auctor de eiſdem egerit expreſsè, & omnis illarum memoria temporum injuria, ſcriptorumquè defectu interierit, adeò ut ex tot millibus, quæ per tot ſeculorum curriculos ad ſummum virtutis, nobilitatiſque faſtigium emerſere, vix unam invenies apud Scriptores, & hoc nonniſi poſt natum mundi Reparatorem, quando Italia hominibus hiſtoricis efflereſcere cępit, & Civitas Terracina Romano Imperio ſubjecta eidem obnoxia ſervire coacta eſt. Cęterum nihil memorabile ſupra hos temporis terminos

de

de viris eximiis, ac familiis hujus Urbis ampliſſimis nobis occurrit, & tamen credibile eſt, ultrà hos ævi limites Terracinam copioſiores viros, ac familias Illuſtres numeraſſe, præſertim verò cum Volſcorum Caput, & Metropolis erat, ac finitimis oppidis, & locis dominata eſt. Qui enim in animum inducere poſſumus, aut nos credulos præbere dicenti, Terracinam Urbem vetuſtiſſimam longè ante Imperii Romani initia conditam, atque jam indè à ſuis primis Natalibus Oſcorum, Volſcorumquè Metropolim deprædicatam eas tantum paucas familias, hominesque conſpicuos, quorum hic mentionem faciam, protuliſſe? Porrò quamplurimos peperit, illa Heroes, quamplurimas quoquè domos ſplendidiſſimas enumeravit, & facta egregia quamplurimorum Civium Terracinen. audivit. Verum cuncta ob ſcriptorum veterum inopiam in tenebris ignorantiæ obvoluta, ſepultaque jacent; Unde ea, quæ in medium producimus, nihil aliud ſunt, niſi ſpolia temporis devaſtatoris ab ejuſdem non intellecta voracitate elapſa; at ne longius progrediar; maneat, me tantum agere, ſermonemque habere de iis omnibus, quorum notitia ſub noſtras oculatas manus devenit. Inter conſpicuas itaque hujus Civitatis familias primas tenet familia de Priſcis, ſeù Priſcorum, unde Helvidus Priſcus inclytæ virtutis Heros, de quo Tac. lib. 4. hiſtor. Ex eadem ſtirpe alios quoque Viros egregios emanaſſe credimus, nam Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus Tarraconen. Dialog. 7. pag. 216. duo numiſmata Oſcæ Civitatis Hiſpaniæ affert, quorum unum habet ex uno latere faciem cujuſdam juvenis barbati cum his litteris. Oſca; ex alio adſunt inſtrumenta Pontificalia cum his aliis litteris Dom. Coſ. Iter. Imp., Alterum verò numiſma ex uno latere inſcripta habet hæc verba C. Cęſar. Aug. Germ. P. M. Tr. Pot. Coſ. cum imagine Caligulæ lauro coronati; ex alio autem habet hominem equo inſidentem, quem inveniri, ait, in nonnullis aliis numiſm. cum verbis iſtis C. Tarracina P. Priſco. Hic Vir, & ſub equo VV. Oſca: deindè verò gens conſularis Gabinia originem traxit Gabiniana, unde Geminius Gabinianus extitit, de quo ità Sabellicus lib. 3. Æneid. Marium curandi corporis ſpecie in littus expoſitum ſublatis repentè anchoris ſolum deſtituunt nautæ. Ille ubi ſe proditum vidit, omni ſpe abjectâ jacuit nonnihil in nudo littore elinguis inde ad ſe rediens reſumpto animo per paluſtria loca ad tugurium ſenis pervenit, à

quo

quo in proximam ſcrobem demiſſus, calamoquè, & paluſtri herba inſtratus vix quieſcere cœperat, cum advenientium fremitus, & vox ſenis tumultuosè excepti à venientibus ejus aures percu-lit, quo ille metu perculſus abjectis veſtibus in altã ſe immerſit paludẽ. Mox hinc ab iis, qui ex Terracina à Gabiniano miſſi fuerunt extractus Minturnenſibus necandus traditur. Inter has paritèr ſuum ſibi vendicat locũ familia Clælia, de qua Valerius Max. lib. 8. cap. 1. inquit; cum parricidii cauſam duo Fratres Clælii dicerent ſplendido loco Terracinæ nati, quorum Pater T. Clælius in cubiculo quieſcens, filiis altero lecto cubantibus erat interemptus; neque aut ſervus quiſquam, aut liber inveniretur, ad quem ſuſpicio cædis pertineret: hoc uno nomine abſoluti ſunt, quia judicibus planum factum eſt illos aperto oſtio inventos eſſe dormientes. Somnus innoxię ſecuritatis certiſſimus index miſeris opem tulit. Judicatum eſt enim rerum naturam non recipere, ut occiſo patre ſupra vulnera, & cruorẽ ejus quietem capere potuerint: Et Cic. prò Sex. Roſcio Amerino idem narrans dicit. Non ita multis ante annis, ajunt, T. Clælium quendam Terracinenſem hominem non obſcurum cum cænatus cubitum in idem conclave cum duobus adoleſcentibus filiis iſſet, inventum eſſe manè jugulatum cum neque ſervus quiſquam reperiretur, neque liber, ad quem ea ſuſpicio pertineret, id ætatis autem duo filii propter cubantes, ne ſenſiſſe quidem dicerent, nomina filiorum de parricidio delata ſunt. Quid poterat ſuſpicioſum neutrum ne ſenſiſſe? auſum autem eſſe quenquam ſe in id conclave committere eo potiſſimùm tempore, cum ibidem eſſent duo adoleſcentes filii, qui, & ſentire, & defendere facile poſſent? Erat porrò nemo, in quem ea ſuſpicio conveniret, tamen cum planum judicibus eſſet factum, aperto oſtio dormientes eos repertos eſſe; judicio abſoluti adoleſcentes, & ſuſpicione liberati ſunt, nemo enim putabat quemquam eſſe, qui cum omnia divina, atque humana jura ſcelere nefario polluiſſet, ſomnum ſtatim capere potuiſſet; propterea quod qui tantum facinus commiſerunt non modo ſine cura quieſcere, ſed ne ſpirare quidem ſine metu poſſunt. Inſuper in harum numero collocanda eſt Gens Vibia, unde Lucius Vibius Architectus, cujus nomen Terracinæ inſculptum in lapide medium Turrione murorum Poſterlii verſus viam Romanam componente legitur ita L. Vibius, à Vibiæ gentis ſtir-

pe originem duxit familia Panſarum, quippe in denario gentis Panſarum altera parte videtur perſona ludis Cerealibus conveniens, in altera Jovis imago ſine barba cum hac inſcriptione C. Vibius C. F. Jovis [prò Juppiter] Anxur, uti refert Porphyrius in Horat. ex codice vetuſtiſſimo, & ex eo Jacobus Dalecampius in notis Plinii. Ex eadem gente Vibia oriunda fuit familia Vara, ſeù Varorum à cujus dominio ager ille Terracinæ proximus ubi plura Sanctorum Martyrum corpora, ſepulta, & inventa ſunt, & ubi erat Eccleſia vetuſtiſſima titulo S. Mariæ in Varano, Varanus dictus eſt, licet corruptè modicum Veranus legatur apud Surium tomo 6.die prima Novembris. Demum à Terracina originem ſuam agnoſcit Familia Alia, Cata Pæta, unde Alia lex, de qua Cic.lib.primo epiſt. 13. ad Attium. Lurco tribunus plebis, qui magiſtratum ſimul cum lege Alia iniit, ſolutus eſt & Alia, & Fuſia; & lib.1. quæſt. Tuſcul. ait egregie cordatus homo Catus Alius Sextus. Sextum autem Alium Pætum, Catum Conſulem,& Cenſorem fuiſſe docet Steph.Pighius lib.11.annal. Roman. Ejus reperiuntur affabre facti denarii in hac ædilitate cuſi forſitan ex multatitio argento, quorum inſcriptio eſt. Sex. Alius Q. F. Catus ad Cur. ex S. C. habet in una facie Jovis Anxuris caput, in alia fulminiferam Aquilam. Nummi picturam, Lector, videre poteris in Goltzianis Faſtis accomodatam conſulatui ejuſdem Sex. Alii Pæti, ait idem Stephanus Pighius tom.2. annal. Rom. Qui nummi videntur ortum ſuæ gentis, ac ſtirpis indicare nomen habentis à Pompeis Campaniæ oppido, quo uſque ſe propagavit familia Alia, & ubi natus videtur Claudius ille Pompejanus, qui ad conſortium Imperii vocatus delitias Terracinen. à ſuis proavis conditas Imperio Romano prætulit. De Claudio Pompejano ità Alius Spartianus in Didio Juliano. Julianus convocato Senatu, quæſitiſque ſententiis, quid facto opus eſſet certi nihil comperit è Senatu, ſed poſteà ſponte ſua gladiatores Capuæ juſſit armari per Lollianum Titianum,& Claudium Pompejanum è Terracinenſi ad participatum evocavit, quod & gener Imperatoris fuiſſet, & diù militibus præfuiſſet, ſed hoc ille recuſavit ſenem ſe, & debilem luminibus reſpondens; de eodem Julius Capitolinus ait cum ad eum (ſcilicet Pertinacem) Claudius Pompejanus gener Marci Aurelii veniſſet, caſumque commodi lacrymaſſet, eum hortatus eſt Pertinax, ut Imperium ſu-

ſumeret, ſed ille recuſavit. Hæ autem familiæ fere omnes ſupra, aut circa tempora Nativitatis Domini floruerunt, infrà enim Sęculum noſtræ reparatæ ſalutis uſque ad milleſimum haud quidquam de iis reperies, quandoquidem trium Sæculorum decurſu ante Magnum Conſtantinum ea maxima deteriorum Cęſarum fuit cura, ut antiquas familias extinguerent, & nomina ipſa penitùs abolerent, ità ut paucæ admodum regnante Trajano Imp. ſupereſſent; Cum verò poſt Honorii Imp. tempora occupaſſent Italiam Gothi, Longobardi, Heruli, Saraceni, Germanicæque gentes regnante in Latio barbarie, quid pejus contigerit familiis illuſtribus per loca Status Eccleſiaſtici diſperſis infelici ſanè memoria apud Hiſtoricos proditum eſt. Quę itaquè poſt milleſimum æræ Chriſtianæ enituerunt è Terracina, & nobis innoteſcunt, haud multæ ſunt conſiderata amplitudine priſcæ Civitatis. Inter pręcipuas autem familias, dum monumenta veteris Archivii Terracinen. percurrerem, obviam venit gens de Alferiis, de Archis, de Bellis, de Balaxiis, de Bruno, de Carrara, de Cane, de Columna, de Ceccano, de Bulzola, de Bulgaminis, de Paulo, de Piſce, de Piſis, de Girardis, de Graſſis, de Griſtoldis, de Guiddone, de Gaytanis, de Petro, de Riccardis, de Ferragutis, de Viola, de Vecchis, de Raynaldo, de Saviolis, de Monte, de Barone, de Ventre, de Loffridis, de Romanis, de Stephanis, ac de Jardinis; ex quibus plures conſpicui, & ſapientes viri per diverſa tempora aſſumpti ſunt ad officia nobilia hujus Communitatis, aut etiam Eccleſiæ majoris ejuſdem Communitatis, aut extànt adhùc pręclara indicia eorundem nobilitatis, & gloriæ: Horum nonnullos mihi liceat delibare, ne candidus Lector verba me dare opinetur; Siquidem Conſules Terracinenſes erant Anno 1205. Dominus Nicolaus Bulzola, & Dominus Joannes de Monte, Anno vero 1260. Dominus Petrus Graſſus, & Dominus Nicolaus Griſtoldus, mirum quantum inſudavit ann. 1347. Chriſtopharus de Archis, ut componeret Cives ſuos cum Comite Fundorum; Joannes Venter de Puſterulis pluries adhibitus eſt à Communi Terracinen. in graviſſimis expediendis negotiis. Extat adhùc in Territorio Terracinen. Turris nomine de Ferragutis ad memoriam, & gloriam illius antiquæ ſtirpis, necnon & Tenuta dicta Carrara, quæ olim ſpectabat ad Gentem de Carrara, modo degentem Soræ, quo hinc abiit; multi Abbates numerantur apud monumen-

ta Terracinen.domus de Girardis; plures verò Canonici, & Archipresbyteri familię de Bruno;progeniem de Romanis illuſtrem fuiſſe arguunt onera, quibus ſubjacet Conventus S. Franciſci Ord.Min.Conventual. in celebrandis Sacris qualibet hebdomada. Præfatis tamen omnibus nobilitate pręcellere viſæ ſunt familię de Aczo, de Valeriis, de Berardo, de Davinis, de Lando, de Balena, de Ramatiis, de Comitibus, de Calamita, de Frajapanibus, de Sanguineo, de Roſa, ac de Peruntis, atque alię, quę temporum injuria exciderunt, aut nobis ob modicam rerum hiſtoricarum doctrinam non innotuere. Cęterum hę recens enumeratę domus ad diſtinctionem aliarum ſemper nobilitatis titulo inſigniuntur in actis antiquis Terracinen.Hinc ſępè memorantur in publicis inſtrumentis ejuſdem Civitatis nobiles viri Joannes, & Gregorius de Aczo, aliique conſpicui homines de gente Valeria; item nobiles viri Petrus, Matthęus, Silvianus, Philippus, Matthia, & Nicolaus de Berardo; necnon Laurentius, Benedictus, Quillelmus, & Rogerius Joannis Davini,alias Dayni. Ex familia de Balena ſe offerunt Nobiles Viri Joannes, Matthæus, Rogerius, Petrignanus, Nicolaus, Gregorius, Philippus, Benedictus, & Riccardus de Balena; Ex gente de Lando Nicolaus, & Antonius Mariæ de Lando, necnon Frater Nicolaus Jacobus, & Bonaventura Landus tres Sacræ Theologiæ Patres,ac tria Ord. Min. Conventual. ornamenta eruperunt: Occurrunt ex domo de Ramatiis Nobiles Viri Joannes, Antonius, & Cæſarius Romatius; ex progenie de Comitibus Nobiles Viri Petrus, & Jordanus de Comitibus. Extulit Gens Calamita Nobiles Viros Boetium, Joannem Paulum, Galitiam, Pandulphum, & Oddonem Calamitam; Genus autem de Sanguineo Petrum, ac plures Oddones de Sanguineo Frajap. domus edidit Jacobum, Sabam, Carolum, Nicolaum, & Oddonem Frajapan., aliosque.

Super omnes ſanè eminuit familia Roſa,ac de Peruntis, quę in varios diſtinctè ramos totam ferè Civitatem Sanguinis propagatione occpuabant; Hinc admodùm frequens fit de illis mentio apud monumenta vetuſtatis Terracinen.,& copioſiſſimi recenſentur ex eiſdem præclari nominis Viri. De His vide Bullam Bonificii VIII.relat.lib.1.cap.9.,& inſtrumentum pacis initę ſub Alexandro VI. poſitum lib. eodem cap. 13., & ſi ad manus venire

po-

poteſt, librum ſtatutorum ſæpeſatæ Civitatis Terracinæ. Potentiſſima verò omnium, ac nobiliſſima extitit familia de Piruntis, ſeù de Peruntis, alias de Pirontis, ſeù de Perontis (ità enim legitur in antiquis notis) utpote quæ plures ex ſua Domo purpuras, pluresque mitras exire vidit, & ab aliis ſupradictis bellorum civilium turbine exagitata, ſola cunctis inſultibus ſemper reſtitit declarans ſe ſupra omnem invidiam, ac virtute, & opibus nemini eſſe ſecundam. Reperiuntur in teſtimonium nobilitatis hujus gentis litterę in forma Brevis datę ab Alexandro III. Caſtellano Arcis Aquæ Putridæ quibus præcipit, ut inducat in poſſeſſionem quarundam Terrarum ſub ſua Caſtellania exiſtentium Petrum Joannem, & Paulum de Pirontis Cives Terracinen. Nobiles Viros, & anteceſſores Eminentiſſimi Cardinalis Jordanis de Piruntis, ſunt autem præfatæ litteræ tenoris ſequentis.

Caſtellano Roccæ Aquæ Putridæ.

Cum nos dilectis filiis Nobilibus Viris Petro Joanni, & Paulo Pirontis fratribus Civibus Terracinen., eorumque hæredibus Terras ſitas in Territorio Roccæ Aquæ Putridæ decem quartaria ſementis, ſicut aſſeritis, capientis, & quas etiam iidem Fratres ex conceſſione tua ad præſens tenent, & poſſident de gratia conceſſerimus ſpeciali volentes, quod ſi prædicta Rocca imminente neceſſitate defenſione contra inimicos Eccleſiæ indiguerit iidem Virum Baliſtarium armis neceſſariis decenter munitum Caſtellano ipſius Roccæ ſervitio ſub propriis ſumptibus moraturum &c. ideoquè mandamus quatenùs eoſdem Nobiles, vel Procuratorem ipſorum eorum nomine in prędictarum Terrarum poſſeſſionem inducas, & tenearis inductos contradictores &c. Dat. Laterani XI. Kal. Decembris Anno primo.

Patet itaque ex dictis præclariſſimam familiam de Peruntis floruiſſe Terracinæ jam inde à tempore Alexandri Papæ III., ex qua plures Cardinales, Epiſcopi, Prælati, equites templarii, & aliarum inſignium militiarum eruperunt; quo autem modo exciderit poſt Alexandri Sexti regimen ſatis exploratum eſt; ſiquidem per hæc tempora aſſiduis ſimultatibus, & diſcordiis civilibus defatigatæ nobiles familiæ Terracinen. alio tranſmigrarunt, & ſicut progenies de Pirontis Neapolim ſe contulit, aliaſque ejuſdem Regni Urbes habitatione occupavit, ità aliæ alio abierunt. Hinc P. Fr. Sixtus Maria Pirontus Neapolitanus Ord. Prędicato-

catorum haud degener à ſuis majoribus ob virtutum merita anno 1666. ab Alexandro VII. Epiſcopus Sarnenſis electus omnibus charus obiit anno 1673., uti refert P.Fr. Jo: Michael Cavalius Ord.Prædic.tomo primo ſui eruditiſſimi operis. Ferunt nonnulli quandam nobilem juvenem hujus gentis matrimonio collocatam fuiſſe familiæ de Cicerone Fruſinati, & ex hac deſiiſſe genus Pirontinum; verum quidquid ſit de hujus rei veritate in medio relinquimus; nam ulteriùs progredi operæ eſt. Conſtat etiam ex monumentis antiquitatis prænobilem familiam de Roſa Terracinæ floruiſſe ſub Innocentio III. uſque ad Alexandrum VI., & ultrà, atque ex ea plures Epiſcopos, Prælatos, Equites templarios, & aliorum illuſtrium ordinum prodiiſſe ferunt. Erat autem arbor hujus inclytæ gentis divaricata in duos præcipuos ramos, quorum unus viros armis, belloquè conſpicuos exhibebat, alter verò homines ejuſdem ſtirpis pace, litteriſque præclaros oſtentabat. Hi ſex roſas albas, illi ſex rubras prò ſtemmate elevarunt, & domos diſtinctas habuerunt, etenim pro gente Roſa belligera Ædes erant propè Epiſcopium in foro S.Cęſarii, ubi adhùc ſurgit ſuperbiens in altum Turris; prò altera juris eruditis conſpicua erat Palatium poſt Eccleſiam Cathedralem exiſtens,& modo ſpectans ad perilluſtrem familiam de Matera, ubi uſque ad præſentem diem conſpicitur ſtemma cum duodecim roſis ſex albis, ſex verò rubris; quod ex eo proceſſit, quia cum dictæ familiæ unius arboris propagines à propinquitate generis temporis diuturnitate diſceſſiſſent, iterum per ſolemne matrimonium ſanguinis cognatione deficiente conjunctæ ſunt.

Quantum vero ſe propagaverat in pręlibata Civitate Soboles celeberrima de Roſa, vel ex hoc intelligi poteſt, cum enim anno 1414. die 19. menſis Novembris Joanna Secunda Hungariæ Jeruſalem, & Siciliæ Regina per Indultum ſpeciale remiſiſſet delicta patrata in perſonis, & rebus quondam Antonii Perunti militis, Joannis ejus filii legitimi, & naturalis, & Joannis ejus nepotis naturalis interfectorum, & revocaſſet ab exilio multos tanti facinoris participes inter alios nominantur Petrucius Roſa, Calmus Roſa, Calmus Cæſaris Roſæ, Antonius Riccardi Roſæ, Antonius Ciccarelli Roſæ, Joannes Roſa, Joannes alter Roſa, Cola Roſa frater Superioris Petrucii Roſæ, Jacobus Balena, Nicolaus Balena, Petrus Piſis, Matthęus Piſis, Matthęus

Pirun-

Piruntus, Joannes Frajapan., Blaſius Frajapan., Cola Frajapan., Troylus Frajapan., aliique.

At quamvis ità aucta redundaret hæc domus, nunc ut fert humana conditio Terracinæ extincta jacet, & quod pejus eſt, nos præterit, an vigeat in Regno Siciliæ, quo facta ſeceſſione una cum aliis multis abiit. Nonnulli addunt prædictis gentem conſpicuam de Paſſagenis, de qua fit mentio in ſcrutinio canonizationis S. Thomæ Aquinatis ita. Boetius Paſſagenus de Terracenis habitator Fundanus cum exiſtens in platea podagra ſubitò in pedibus prægravaretur, rediit adjutus ab aliis in domum ſuam, ubi cum gravatus dolore voviſſet, ſepulchrum dicti Sancti, quam citiùs poſſet viſitare, ſubito pia Sancti interceſſione divina virtute curatus eſt; Prætereà familiam Tarracinam Neapoli, alibique florentem ex hac Civitate originem duxiſſe ferunt; ex ea autem plures illuſtres Viri prodiere, quos inter numeratur Paulus Terracinus Epiſcopus Calvenſis, & Martinus Tarracinus Epiſcopus Biſinianenſis; quin immo in lib. de familiis Nobil. Siciliȩ legitur, quomodo Florella Tarracina nupſerit Grimaldeæ domui, & ibidem cap. de familia Caſtro habetur quidam dictus Conſalvus Anxures, qui forſitan ex Anxure Urbe antiquiſſima oriundus erat; etenim improbabile non eſt, plures familias ampliſſimas ob civiles diſſenſiones, aut tyrannorum Principum vexationes, vel alia de cauſa hinc alio tranſmigraſſe, id, quod accidiſſe ſcimus poſtremis ſæculis domui de Carrara, de Riccardis, de Boſa, de Piruntis, aliiſque, quæ noviſſime Terracinæ florebant. Ex earum verò tranſmigratione adeò defloruit ſtatus florentiſſimus, & ſplendiſſimus hujus Civitatis, ut inopia nobilium familiarum adhuc marceſcens quam maxima ſentiat, atque percipiat in dies detrimenta. Et hæc ſatis de familiis Terracinen. conſpicuis: ſupereſt modo, ut etiam aliquid de Viris illuſtribus ejuſdem Urbis deguſtemus, at quia nobis neque librorum copia, neque tempus ulterius inquirendi ſuppetunt, & ne in poſteritatis dedecus reliquorum indagandorum gloriam omnem prȩvertam, de his paucis infraſcriptis Lector benevolus contentus vivat, & me amore proſequi non deſinat.

Chirocrates.

Chirocrates de Terracina Architectus celeberrimus tribus ſui elaboratiſſimi operis libris totius Orbis magnifica ædifici-

cia, moleſque ſumptuoſiſſimas complexus eſt; ait Petrus Sebaſtianus Civis Romanus in ſuo Catalogo Virorum illuſtrium Italiæ. Chirocratem itaque Terracinen. fuiſſe aſſerit præfatus auctor, quo autem tempore vixerit, non inſinuat: Euſebius verò in ſua Chron. docet ipſum floruiſſe Ann. mundi 3676. poſt Romam conditam 461.

Helvidius Priſcus.

Helvidius Priſcus è Municipio Terracinę Cluvio patre, qui ordinem Primipili duxiſſet, ingenium illuſtre altioribus ſtudiis juvenis admodum dedit; non ut plerique ut nomine magnifico ſegne otium velaret; ſed quo firmior adverſus fortuita Remp. capeſſeret, doctores ſapientiæ ſecutus eſt, qui ſola bona, quæ honeſta, mala tantum, quæ turpia; potentiam, nobilitatem, cæteraſque extra animum neque bonis, neque malis annumerant. Quęſtorius adhuc à Pęto Thraſea gener adſcitus è moribus ſoceri nihil æque, ac libertatem hauſit, Civis, Senator, maritus, gener, amicus, cunctis vitę officiis æquabilis, opum contemptor, recti pervicax, conſtans adverſus mentus. Erant, quibus appetentior famæ videretur; quando etiam ſapientibus cupido glorię noviſſima exuitur. Lege Tacitum lib. 4. Hiſtor. Probus quoque Grammaticus, Priſcus, inquit, poſt damnationem Thraſeæ ſoceri ſui interdicta ſibi Italia Apolloniam conceſſit, ſed poſt interfectum Neronem, ſub quo Quæſtor Achajam adminiſtravit, reſtitutus à Galba, non alitèr quam liberæ Civitatis ſtatu egit. Idem poſtea Veſpaſianum in ſtudio libertatis offendit, ut putaret id optante Clodio priſtinum ſtatum libertatis poſſe revocare, quo nomine reus, ac præter ſpem abſolutus, eſt, ait Carolus Stephanus, quem videris. Inſupèr cum Veſpaſianum Imp. cura reſtituendi Capitolium inceſſiſſet, in hujus operis facinore idem Priſcus à Tacito lib. eodem paulò poſt celebratur ità. Tum Helvidius Priſcus prætor, præeunte Plauto Eliano Pontifice, luſtrata bove, tauriſque area, & ſuper ceſpitem redditis extis Jovem, Junonem Minervam, Præſideſque imperis Deos precatus uti cæpta proſperarent, ſedeſque ſuas pietate hominum inchoatas divina ope attollerent, vittas, quibus ligatus lapis, innexique funes erant, contigit. Simul cæteri Magiſtratus, & Sacerdotes, & Senatus, & eques, & magna pars populi ſtudio, lætitiaque connixi ſaxum ingens traxere.

Ser-

Sergius Galba .

Sergius Galba Imperator M. Valerio Meſſala, Cn. Lentulo Coſs.natus eſt 9.Kal.Januarii in Villa colli ſuppoſita propè Terracinam ſiniſtrorſum Fundos petentibus , adoptatus à noverca ſua Livii nomen,& Ocellare cognomen aſſumpſit mutato prænomine; nam Livium mox prò Sergio uſque ad tempus Imperii uſurpavit . Conſtat, Auguſtum puero adhuc ſalutanti ſe inter æquales apprehenſa ſubucula dixiſſe ; & tu fili ad Imperium noſtrum naſcitor , ait Svetonius in ejus vita . Eum inter viros conſpicuos Terracinen. retulimus , quoniam meritò hic laudari poteſt Terracina , cujus vel ipſa rura produxerunt Terrarum Orbi Imperatores . Extant adhùc propè dictam Civitatem ejuſdem magnificæ Villæ cadaveroſa veſtigia,in quibus obſervantur nonnullæ ſubterraneæ artefactę cavitates, quamobrem vulgò vocant [le Grotte di Ceſare.] Fundani in ſuo Territorio Sergium natum eſſe jactitant,ſed cum ille origine Romanus natales ſuos ſortitus ſit propè Terracinam,quæ diſtat à Fundis decem milliaribus, neſcio quo modo id dicere audeant.

Gabinius Cęparius .

Gabinius Cęparius de Terracina Conſul, & Senator Romanus fuit , ſi credimus Comment. Saluſtii , Romanoque exercitui cum Imperio præfuit , aliaſque nobiles Provincias Romanæ Reipublicæ nomine obiit , verum gloriam tantis laboribus partam , ſibique à ſuis Majoribus devolutam fędere illo nefario conjurationis ſub Catilina denigravit , qua de re Saluſt. in bello Catilin. ſed clariùs Sabellicus lib.5.Æneid.6. ſcribit . Volturnius ab initio de itinere appellatus alia , atque alia aſſimulare conatus , poſteà quam rem vidit in aperto eſſe publica fide accepta , ut neque de eorum , quæ adverſus Remp.facta eſſent, ſibi fraudi foret quidquid de conjuratione compertum habuit ordine patefecit , factique ſunt Volturnii indicio rei Gabinius Cęparius Terracinenſis , P.Antronius, L.Varguntejus , ac plerique alii, quorum ſtirpem conſiderans Lucius Florus lib.4.cap.1.exclamat; quæ familiæ ? quæ Senatus inſignia ?

Pandulphus Calamita .

Pandulphus Calamita Nobilis Terracinenſis cum adhùc juvenis præclaræ , generoſæque indolis Clericus eſſet , magnaque de ſe promitteret obegregias animi dotes, Notarius Eminentiſſimi

mi Cardinalis Jordanis de Ceccano, cui ſatis ſuperque notus erat, adſcitur, à quo plura ſperabat inclytus adoleſcens, ſed fatum ejuſdem ſpem omnium expectationum pręcidit, & ſi vera ſunt, quę narrantur ab eodem poſt obitum horrida viſione conſternatus eſt, de qua Cęſarius Hieſterbachenſis lib. 12. miraculorum cap. 22. his verbis. Ante annos paucos Romę quidam Cardinalis defunctus eſt nomine Jordanes, de ordine quidem Ciſtercienſi aſſumptus fuerat, ſed vita ordini in eo minimè concordabat, erat enim avarus valdè, ſicut à quodam Abbate audivi, habebat autem Notarium nomine Pandulphum; hunc cum pro quodam negotio neſcio quo miſiſſet, interim expiravit, eadem hora cum ille expleto negotio rediret manè ante lucem catervam miſerabilem in agro contemplatus eſt, ſedebant homines in jumentis in ore caudas habentes verſis dorſis ad capita illorum, quos Jordanes Cuculla indutus nudis pedibus ſequebatur duobus dęmonibus ſe ducentibus in quorum aſpectu dum Notarius nimis horreſceret, clamavit Cardinalis, Pandulphe; ſubſiſtente Clerico, & dicente, quis es? aut quid clamas? reſpondit ille ego ſum Jordanus Dominus tuus, & mortuus ſum, dicente illo, quo ducimini; reſpondit ante Tribunal Chriſti, & ille noſti, quid de vobis ſit futurum, non novi inquit, Deus ſcit, ſed cum illuc venero B. Petrus de Cardinalia mea pro me redditurus eſt rationem. S. verò Benedictus de Cuculla, quod ſi illam mihi obtinere poterit, ſalvabor, ſin autem damnabor, & ſic oculis ejus ſubtractus eſt. Hic Jordanus de Ceccano ex Abbate Monaſterii Foſſęnovę renunciatus eſt S. R. E. Cardinalis à Clemente Papa III. Anno 1188., & juxtà calculum Ciacconii obiit an. 1206.

Bartholomęus Peruntus.

Bartholomęus de Pirontis è Terracina floruit poſt ſęculum 1300. Vir fuit egregius, atque acerrimus Patrię libertatis defenſor, contrà Nicolaum Comitem Fundorum, qui aſſiduis motibus Anxurates infeſtabat, ac ſubigere armis nitebatur, intrepidus ſtetit, & ſubſidiis opportunis, ne Civitas Terracinę in ejus manus veniret, aut dirueretur, ſolertèr providit, ſiquidem ingraveſcente bellorum morbo, ut enervaret hoſtium vires, conflatumquè incendium extingueret 32. Galeas Januenſes in auxilium peropportunè vir ſatis cognitus, famaquè celeberrimus adſcivit, & harum ope Patriam à tyrannide pręfati Comitis liberavit. Floruit

ruit poſtmodum ex eadem familia circa annum 1440. alter Bartholomæus Peruntus, qui Setinos, & Terracinenſes inter ſe diſſidentes pace compoſuit; Etenim plures conſpicui viri ex hac Gente prodiere, pluresquè Equites templarii, aliarumque illuſtrium militiarum, inter quos occurrunt Joannes, Paulus, Roffridus, & Jordanus Peruntus omnes milites templarii ante annos ſalutis 1300., necnon Clemens, & Antonius Piruntus, qui floruerunt poſt ſęculum 1300., equiteſque S.Lazari Hieroſolymitani bene audiere. Neque id paradoxum exiſtiment cavillatores, quoniam Terracina non ſolùm produxit generoſæ nobilitatis equites, verùm etiam domum ſpecialem prò equitibus haud longè à Suburbio Marino habuit, nimirùm Conventum, & Eccleſiam S.Mariæ Magdalenæ.

Julianus Lotta.

Julianus Lotta de Terracina, qui floruit circa finem ſęculi 1500., rerum militarium ſcientia præditus, aliarumque virtutum ornamentis ſatis conſpicuus, præclaruſque Florentinis copiis præeſſe promeruit, ut apparet ex inſcriptione ſepulchrali exiſtente in Eccleſia S.Joannis Terracinæ.

D. O. M.

Julianus Lotta Terracinenſis de Nobili Familia Lotta militiarum Florentinæ Civitatis Locumtenens, cęterarumque virtutum ornatus inſignibus hic jacet; obiit pridiè Kal.Iunii Anno ætatis ſuæ 75. 1603. Drianas Civis Briſca Conjux, Octavius, Gregorius, Iulius, Blaſius, ac Silvianus nati pio Patri grati animi monumentum poſuere 1623.

Riccardus Roſa.

Riccardus Roſa Terracinenſis filius Franciſci Roſæ vixit circà finem ſęculi 1400. Vir fuit virtutis eximiæ, & omnibus finitimis populis formidatus, atquè adeò præpotens, ut Setiæ opus fuerit inter capitula cum Rege Ladislao conventa cavere de Regia defenſione bonorum adverſus dictum Ricchardum Roſam ſimplicem Civem Terracinenſem, ut palam eſt ex ipſis capitulis relatis in lite Cathedralitatis a Setinis. Extant litteræ Bonifacii Noni ad Ricchardum datæ, uti teſtatur Raynaldus tomo 17. ad annum 1400.

In omnibus laudandus, qui propugnator acerrimus Patriæ libertatis eſſet, niſi conſpiratione facta cum Honorato Comite

Fundorum creationi Clementis VII. Antipapæ Fundis habitæ adhæſiſſet, ſuoſque Cives traxiſſet in perditionem, adeoquè illuſtre nomen tot factis egregiis comparatum obſcuraſſet. Plures autem Riccardi ex hac familia Roſa prodiere, recenſetur enim ab anno 1270. uſque ad ſeculum prædictum 1400.

Camillus Roſa.

Camillus Roſa Terracinenſis vir omnibus virtutum numeris abſolutus pluries apud ſcriptores bene audit: Anno Dñi 1466. Fulginii Poteſtatis officium exercuit, qua optime functus plures alias obiit Provincias. Tanto autem decori habita eſt hæc dignitas apud Fulginates, ut illam nonniſi Regibus, Pontificibus, aut magni nominis Viris conferre conſueverint, ut locuples auctor eſt Ludovicus Jacobillus in Hiſt. Fulginat.; qui univerſa quæ hic diximus, tradit. Miror ego, cum ex reliquis familiis Terracinen. Equites occurrerint, uti preter antedictos nobis innotuit Oddo ſanguineus miles templarius anno Domini 1287., quod ex illuſtri gente de Roſa neminem invenerim, quamvis progenies nobilis fuerit, & antiqua; etenim Xaminus Matthæus de Roſa Civis, & Conſul Terracinen. degebat anno 1205. ſub Innocentio III: Ut autem omnis cauſa meæ admirationis tollatur, curioſiorem, atque exactiorem hac ſuper re indagationem à poſteris expoſtulo.

Jordanus Piruntus S.R.E. Cardinalis.

Jordanus Peruntus Terracinenſis ex S.R.E. Vicecancellario, & Subdiacono Apoſtolico renunciatus eſt ab Urbano IV. Diaconus Cardinalis SS. Coſmę, & Damiani anno 1262. de quo Theodoricus Valliſcolor his verſibus ait.

Hannibal huic quartus, genuit quem Roma, duoque
Levitæ qui ſint carmina noſtra docent.
Jordanum genuit Urbs Terracina, Matheum
Roma, tot Urbanus fecit in orbe Patres.

Sub Alexandro Quarto, Urbano Quarto, & Clemente item Quarto Campaniam rexit, & ſubſcripſit ejuſdem Clementis litteris datis anno 1265. prò Inveſtitura Regni Neapolitani. Lucis uſuram amiſit anno reparatæ ſalutis 1269. vacante Romana Sede poſt obitum Clementis Quarti. De eodem ita loquitur Raynaldus tomo 14. ad ann. 1255. ſub Alexandro Quarto. Principe autem ſic perdurante in propoſito (nempe Manfredo, qui vocatus ad judicium venire nolebat) non mittendi aliquos nuncios ad

Sum-

Digitized by Google

Summum Pontificem; venit ad eum in Apulia Magiſter Jordanus de Terracina Apoſtolicæ Sedis Notarius, qui ejuſdem Principis benevolus videbatur, & qui etiam in Romana Curia magnum locum habebat, conſulitque Principi, quod nuncios ſuos ad Papam mitteret, quod ex illa nuntiorum miſſione non aliud, quam honor, & commodum ſibi poterat providere. De conſilio ergo Magiſtri Jordani Apoſtolicę Sedis Notarii Princeps motus eſt ad Nuntios ad Summum Pontificem deſtinandos, miſitque Gervaſium de Martin, & Goffridum de Cuſentia. Jacobus Choelius in Bulla boni regim.cap.38., ubi de Vicecancellario, inquit; Magiſter Jordanus Terracinenſis S. R. E. Notarius, & Subdiaconus prò Vicecancellario in fine anni. M. Jordanus Terracinenſis iterum prò Vicecancellario in fine anni 3., & Vicecancellarius ab initio 4. ad finem Pontificatus, qui fuit Viterbii 8.Kalend. Junii 1261., cui ſubrogatur Urbanus Quartus, & huic etiam M. Jordanus Terracinenſis Vicecancellarius anno 1., & parte 2. fuit; in quo anno creatione ſecunda renunciatus eſt ab eodem Urbano Quarto Cardinalis titulo SS. Coſmæ,& Damiani, uti diximus ſupra,qui titulus poſtmodum ceſſit in titulum S.Mariæ in Coſmedin, ſi vera narrat Fr.Bonaventura Theulus lib. 5. cap. 2., ubi de Conventu Ferentin. Malè autem nonnulli hunc Jordanum de Peruntis adſcribunt familiæ Romanę de Comitibus, cum luce Solis clarius ſit, eum Civem fuiſſe Terracinenſem; quin immò Ciacconius tomo 2. pag.162., ubi de eodem agit, ſtemma familiæ de Comitibus elevat, quod omninò erroneum eſt, etenim Inſigne hujus nobiliſſimæ Gentis de Piruntis fuit arbor piri, ſicuti uſq; ad hanc diem videre eſt in palatio ejuſdem familiæ, quod adhùc exiſtit,& ſpectat ad Rmum Capitulum Eccleſię Cathedralis Terracinen.

Theobaldus Pirontus S.R.E. Cardinalis.

Theobaldus de Pirontis, alias de Ceccano dictus, Terracinenſis ſanguine conjunctus fuit Jordano Card.Diacono SS.Coſmæ, & Damiani, ſicut innuit opus vetuſtius Ciacconii dicens fuit is ſcilicet Theobaldus Jordano Cardinali ex Comitibus Terracinen. ſanguine conjunctus. Monachus, & Abbas Foſſænovæ Ordinis Ciſtercienſis propè Tarracinam à Gregorio Decimo anno 1275. S. R. E. Presbyter Cardinalis renunciatus eſt. Adhùc Abbas exiſtens, cum vitæ ſanctimonia, ac ſanè admirabili mode-

deſtia morum præfulgeret, hoc meruit Theobaldus, ut in ejus cenobio Theologorum Princeps S. Thomas Aquinas gloria ſanctitatis illuſtris migraret ad Chriſtum Nonis Martii anno noſtræ ſalutis 1274. ætatis ſuæ 50. atque hunc ad illius tumulum addidit Epigraphen.

Occidit hic Thomas, lux ut foret amplior orbi,
Et Candelabrum ſic nova Foſſa foret.
Editus ardenti locus eſt, non foſſa lucerna
Hanc igitur Foſſam quis neget eſſe novam?

De eo nil memoria dignum præter hæc, quæ ex antiquis monumentis Foſſæ novæ, & Catalogo Abbatum ejuſdem loci excerpta ſunt; quo verò anno Theobaldus obierit, ignotum eſt. Hęc verba ferè cuncta ſunt Ciacconii, quæ noſtra fecimus, & æquo animo fatemur.

Adeò verò obſcura, perplexa, atque incerta ſunt nonnulla, quæ idem auctor tradit in ſuo elucubratiſſimo opere, ut ſæpè lectoris fidem occupari nequeant. Id quod accidit in caſu præſenti, & vita præfati Theobaldi, quem facit ex familia de Ceccano, & ex Comitibus Terracinen. inquiens tom.2.cap.202. Theobaldus de Ceccano Italus Campanus ex Comitibus Tarracinenſibus &c. Quippe utrumque erroneum eſſe conſtat, nunquam enim familia de Ceccano Comitatum Terracinen. habuit, neque Theobaldus verè hujus Gentis fuit, ſed familiæ de Peruntis eo temporis Terracinæ Florentis, & filius fuit, ut elicitur ex monumentis ejuſdem Civitatis, Petri Peruuti, & Annæ de Ceccano; Unde perperam Scriptores attribuerunt ei cognomen matris, cum decentiùs idem derivare poſſent ab agnatione Patris. His adde, quod ſi unquam aliquod jus fęudale, ſeù tyrannicum ſupra Terracinam extitit, per eadem tempora ſpectabat ad familiam Frajapan., ut colligitur ex juramento fidelitatis Terracinenſibus præſtito per homines Caſtri S.Fęlicis, de quo egimus ſupra lib.2. cap.4. poſt obitum Clementis Papæ Quarti. Neque novum eſt, Ciacconium res claras, & perſpicuas obſcuraſſe, atquè variis tricis involuiſſe, cum id ſatis conſtet ex vita ſuperioris Jordani de Piruntis, quem licet Terracinenſem profiteatur, nihilominùs ſtirpi de Comitibus perperam attribuit dicens tom. 2. pag. 162. Iordanus Piruntus de Comit. Terracin. &c. ibidemque ſtemma Gentis de Comitibus elevat, quæ quantum inter ſe pugnent,

gnent, unuſquiſque videt: Quod autem nobiles familiæ de Ceccano, & de Peruntis per matrimonium conjunctæ ſint, pluries occurrit apud monumenta Terracinen. Hinc Anno Dñi 1353., Pontif. Domini Innocentii Papę Sexti Anno primo menſ. Februarii die 10. hac die infraſcripti ſunt homines de Terracen. habentes beſtias, qui ſolverunt prò parte, & nomine Communis Civitatis Terracen. pecuniam inſcriptam videlicet flor. cent. quinquaginta de auro prò pace, & concordia, & bono ſtatu dictę Civitatis in compoſitione, tranſactione, pactis, & concordia facta, & miſſa per prædictum Commune, & homines dictæ Civitatis inter Dominos de Cavis ex una parte, & Dominam Philippam de Ceccano relictam quondam Nuntii Perunti, & ejus filios ex alia parte de quibuſdam quæſtionibus vertentibus inter eos occaſione quarundam rerum, & bonorum poſit. in dicta Civitate Terracen., & ejus territorio, & diſtrictu, quos centum quinquaginta flor. de auro dictum Commune poſuit, miſit, & ſolvit prædictis Dominis de Cavis prò prædicta compoſitione, tranſactione pactis, & concordia facienda inter partes prædictas occaſione dictæ quæſtionis, quam habebat dicta Domina Philippa, & ejus filii cum prædictis Dominis de Cavis, ad hoc ut ſcandalum aliquod, vel diſcordia evenire non poſſit inter prædictum Commune Terracin., & prædictos Dominos de Cavis &c. Anno verò Domini 1364. Pontificatus Urbani Papæ Quinti Anno ſecundo indict. 2. menſ. Ian. die 16. Magnifica Mulier Domina Bella de Ceccano relicta quondam Iordani Perunti de Terracen. tutrix, & legitima adminiſtratrix Antonii Perunti filii ſui &c. creavit Procuratorem Nicolaum Ioannis Gregorii de S. Laurentio &c. Extant hæc monumenta, quæ brevitatis gratia dumtaxat innuimus in Archivio Terracinen. una cum aliis multis. Nùm verò prædicta familia de Ceccano, qui cum matrimonium contraxit familia de Peruntis, fuerit è Terracina, ubi etiam floruit, an verò alterius Civitatis, vel loci in medio relinquimus.

Berardus de Berardo Epiſcopus Terracinenſis.

Berardus de Berardo ex nobili, & antiquiſſima famila de Berardis Terracinæ jam inde à ſæculo noſtræ ſalutis milleſimo florente Epiſcopus Terracinenſis electus, & conſecratus magnæ probitatis, & juſtitiæ ſpecimen tempore ſui regiminis dedit. Nominatur in quadam charta donationis, quam ſcripſit Vivo de

Ba-

Barone, & Anno Domini 1166.cum conſenſu Canonicorum Terracinen. reddidit omnia bona ſua Joanni de Placza excepta una domo, quam ille donaverat Eccleſiæ S. Cæſarii Martyris anno dicto, & anno 7. Alexandri Papæ III. indict. 4. die 27.Februarii ex monum. Terracinenſis Eccleſiæ.

Fr.Petrus Epiſcopus Cajetanus.

P.Fr.Petrus de Terracina ab Innocentio Quarto anno 1252. electus, & Apoſtolicis litteris datis 2.Kal. Aprilis Pontificatus Nono Cajetano Capitulo commendatus, in quibus mandat, ut illi prompte obtemperent. Tres annos in ſua Eccleſia pacifice vixit Paſtor bonus è vivis exemptus anno 1255., ait P. Fontana Ord.Prædic. in lib. de Paſt. Eccleſ. ſui ordinis, & Ughellus tomo primo Italiæ Sacræ in Epiſcopis Cajetanis inquit. Fr. Petrus de Terracina Ordinis Prædicatorum ab Innocentio Quarto anno 1252 electus eſt Epiſcopus Cajetanus. Extant ejuſdem Pontificis litteræ Capitulo Cajetano, ut Frat. Petro electo Epiſcopo obediat 2.Kal. Aprilis Pontificatus Nono regeſt. Vatic. epiſtol. 266.fol.155.Eadem confirmat P.Fr.Michael Cavalerius, aliique ſcriptores Ord.Predic.quos videris.

Franciſcus Canis Epiſcopus Terracinenſis.

Franciſcus Canis è Terracina antea Bitectenſis Epiſcopus in Barenſi Ducatu translatus ad Patriç ſuç Sedem per Jordanum Pirontum Terracinenſem SS. Coſmæ, & Damiani Diaconum Cardinalem confirmatur ab Urbano Quarto anno 1262. quinto Kal. Septembris, ita ex regeſt. Vatic. Anno 1268. ſubſcripſit quibuſdam indulgentiis conceſſis Eccleſiæ S. Vincentii de Tibure, uti refert Michael Iuſtinianus in hiſt. Tiburtin. Ejus nepos Riccardus Canis Vicerectoris munere functus eſt Terracinę anno ſalutis 1273.tempore Gregorii Papę X.,ut elicitur ex monumentis Terracinen.; Erat autem Stemma hujus prænobilis familiæ Catulus, cui ſupereminent tres ſtellæ tranſuerſim poſitę; id quod obſervatur adhùc in pariete Eccleſiæ S. Thomæ Apoſtoli, quæ ſita eſt in ſuburbio murato ejuſdem Civitatis extra portam S. Laurentii propè Hoſpitale peregrinorum; Duo enim inſignia hujuſmodi præſefert externa facies dictæ Eccleſię, in quorum altero ſubſunt aliquę litteræ nomen pręfati Epiſcopi exprimentes, hæ tamen temporis diuturnitate corroſæ, niſi per ſcalam murum aſcendas, oculos licet exertos facillime fallunt, & nequeunt intelligi.

Fr.

Digitized by Google

Fr. Albertus Epiſcopus Fundanus.

P. Fr. Albertus de Terracina ex Romana Provincia qui in patria ſua parvum Conventum Ordinis à Patriarcha S.Dominico fundatum collectis elemoſynis Excel. Dominorum de Cajetanis Comitum Fundanæ Civitatis, & Concivium in ampliorum formam redigi curavit, à Nicolao Quarto Fundanus Epiſcopus creatus eſt Anno 1289. dum Capuano conventui ejuſdem Ord. Prædic. præſideret, in qua Eccleſia parvo tempore reſedit morte properante, ut inquit Taegius in monum. Prædic., & ex eo P.Fr. Vincentius Maria Fontana in lib.de Paſt.Eccleſ.ſui ordinis, quem videris; eadem narrat P.Fr. Michael Cavalerius tom.1.ſui operis pag. 46.num.136. aliique ſcriptores prælibatæ Religionis. His addere poſſem quemdam Fr. Thomam de Iordanis Ord.Prædic., quem ex Socio Mag.Sac.Palat.electum Epiſcopum Signinum ſub Greg.XIII.pluriès mihi retulerunt Seniores Perilluſtris Familiæ de Fatigatis Terracin., ab illius enim ſtirpe ſe proceſſiſſe contendunt; verũ quia apud Hiſtoricos nil tale inveni, innuiſſe ſufficiat.

Fr. Thomas Roſa Epiſcopus Strungulenſis.

Fr. Thomas Roſa de Terracina Ord. Minor., & aurea probitate morum, & inſignium diſciplinarum gloria effulſit. Fuit autem unus ex iis Fratribus, qui ducti cupidine aſperioris vitæ tranſigendæ à Conv. S.Franciſci ejuſdem Civitatis in Cœnobium vetuſtiſſimum S. Silviani ad radices Montis Ferronei poſitum ſe receperunt ſub Ioanem Papa XXII., uti luculentiſſimè oſtendunt monumenta Terracinen. Antiquitatis. De eodem ita meminit Ughel in Epiſcopis Strunngulen. Fr.Thomam de Roſa Ord. Minor. virum doctum, & dignum idem Clemens Sextus ad hanc Cathedralem (ſcilicet Strungulenſem) evexit id. Novembris 1342. ex regeſt. ejuſdem epiſt. 94. anno primo ſub eodem mortem obiit anno 1352. Plures enim illuſtres viri ex hac nobili familia Roſa prodiere, quos utinam mihi ſuppeteret tempus inveſtigandi, quippè qui non me toties hac ſuper re poſteris commendarem.

Sergius Peruntus Epiſcopus Terracinenſis.

Sergius Peruntus de Terracina præfuit Eccleſiæ ejuſdem Civitatis ab anno 1326. uſque ad annum 1348. Vir fuit mellifluo ornatus eloquio. Adoleſcens adhùc Laicus ſtrenuè ſe defendit coram Conſulibus Terracinen. contra Dominos Frajapanes, qui

Digitized by Google

dicebant, ab eo commiſſum fuiſſe homicidium in quendam hominem de S. Fęlice Anno Domini 1343. jam Præſul Terracinenſium anno primo Pontif. Domini Clementis Papæ Sexti cooperante Magnifica Domina Jacoba de filiis Urſi Comitiſſa Fundorum pace compoſuit lites exortas inter Nicolaum Gaytanum, & ipſos Terracinenſes, teſtiſque fuit Inſtrumento pacis rogat. per manum Petri Girardi de Terracina ex monum. ejuſdem Civitatis: Ad hunc, & Epiſcopum Anagninum ſcripſit præfatus Clemens Sextus Anno Domini 1345. ad compeſcendum tumultum Ceccanorum, qui totam Maritimam, & Campaniæ Provinciam igne, ferroque fęde fędarunt, ut notat Chioccarellus in Archiep. Neapol. Hujus Sergii genitor, uti elicitur ex actis publicis vetuſtatis Terracinen. fuit Iordanus Piruntus, qui floruit anno ſalutis 1287.

Plures autem Iordani ex familia prænominata proceſſerunt; nam præter modo dictum, & illum celeberrimum S.R.E. Cardinalem Anno Domini 1314. nobis occurrit Iordanus Piruntus filius Ioannis Pirunti, & Anno 1343. Iordanus alter filius Roffridi Pirunti, qui præpoſterus homo pluries pacificum ſtatum hujus Civitatis turbavit; tempore enim Domini Innocentii Papæ Sexti conſpiratione facta cū hominibus Caſtri Somneni ob quaſdam leves quæſtiones ſuſcitatas inter ſe, & familiam de Mutis plura damna eidem intulit, qua de re ex Archivio Terracinen. depromo ſequentia: Anno Domini 1355. indict. 8. Pontif. Domini Innocentii Papæ Sexti anno tertio Dominus Iacobus Mutus de Urbe pro ſe primo, ac pro parte, & nomine Domini Maſii, & Silveſtri Muti recepit à Cicco Mancino de Velletro Procuratore Nobilis Viri Iordani Perunti de Terracena flor. auri quinquaginta, & duos annulos de auro cum una pernæ groſſa, quos quidem annulos, & pernam dictus Iordanus per vim, & violentiam abſtulit eiſdem Dominis Iacobo, Maſio, & Silveſtro, cum reſtituit eos captivos in Caſtro Somneni. Verum dictus Dominus Iacobus pro ſe, & nominibus dictorum de dicta pecunia, & annulis generalitèr, & de omni eo, in quo dictus Iordanus Commune Terracinen., & ſpeciales perſonæ ipſius Civitatis Terracinæ, ac Univerſitas dicti Caſtri Somneni, & ſpeciales perſonæ ipſius Caſtri tenerentur, ſeù teneri poſſent prædictis Dominis refutationem, quietationem, remiſſionem, & pactum de non ulteriùs petendo

tendo fecerunt &c. Ego Petrus Girardi de Terracena Notarius ſcripſi &c. Eodem Anno 1355. die 23.Martii indict.8. Conſilium Terracin. creavit Procuratorem, ſeù Nuncium ſpecialem providum, & diſcretum virum Simonem de Marcha Civem Civitatis Terracinæ ad recipiendam refutationem, & generalem remiſſionem, & quietationem de omnibus, & ſingulis injuriis, dapnis, carcerationibus, & violentiis factis, & commiſſis contra Dominos Theoballum Tallent.,& Tutium Cardelli de Roma per Magnificum Virum Iordanum Peruntum de Terracina, & ejus complices, ac ſequaces &c. Quæ omnia obtenta ſunt anno prædicto die 17.Aprilis ad preces Franciſci Mancini, & Petri Venturæ de Velletro.

Petrus Perontus Epiſcopus Aſculanus.

Petrus de Perontis ex Canonico Terracinen. electus eſt Epiſcopus Aſculanus anno 1353. quarta Kal. Febr. ex epiſt. fol.25. anno ſecundo. Memoratur in lib. ſolutionum Innocentii Papæ Sexti die 14. Aprilis 1357., à quo evectus fuerat ad hanc dignitatem, obiit anno 1396. ſub Bonifacio Nono ex tom. 8. Ughelli in Epiſcopis Aſculanis. Nota tamen, quod hoc Aſculum non eſt Aſculum Picenum, de quo agit Ughellus tom. 1., ſed Aſculum Satrianum in via inter Neapolim, & Barium occurrens apud Apennini montis radices non longe à diruto Ordeone. Fuit autem Petrus Civis Terracinenſis ex nobiliſſima familia de Peruntis,& Canonicus Eccleſiæ Cathedralis ejuſdem Civitatis, ex qua plures olim inſignes, ac nobiles Viri aſſumpti ſunt non ſolum ad regimina Eccleſiarum, verum etiam ad exercenda officia ſplendidiſſima in Curia Romana, & non raro delecti in graviſſimis expediendis negotiis in commodum S.Sedis Apoſtolicæ. Hinc duo ſe nobis offerunt in actis publicis antiquitatis Terracinen. Canonici præfatæ Cathedralis, nempè Roffridus, & Maximus,qui ſub Gregorio Papa Nono per idem tempus erant Subdiaconi, & Notarii Apoſtolici; vide de his inferiùs lib. 3. vbi de Eccleſia S.Trinitatis, an verò iidem ulteriùs proceſſerint dignitate, me omninò præterit; adeòque curam altiorem pii, doctique Civis, qui antiqua monumenta radicitus è tenebris eruat,imploro.

Franciſcus Roſa Epiſcopus Fulginas.

Franciſcus Roſa filius Nicolai Roſæ Terracinen. Comes Palatinus 1471., & 1472. Poteſtariæ munus obiit Fulginii, vulgò

[fù Podeſtà di Fuligno ;] Ad hujus autem dignitatis auctoritatem ſpectabant cauſæ primariæ, tenebaturque is, qui tali honore ornatus erat, in eas ex jure ferre ſententiam. Tanto enim decori erat hæc dignitas, ut eam exercuerint nonniſi Imperatores, Reges, Pontifices, aut magni nominis, & nobilitatis eximiæ Viri, ut locuples teſtis eſt Lodovicus Iacobillus in hiſt. Fulginat. tandem anno Domini 1486. die 22. Novembris idem Franciſcus renunciatus eſt Epiſcopus Fulginas ab Innocentio Papa VIII. ad quatuor annos ibi ſedit, poſtea ab eodem Innocentio ad Terracinen. hoc eſt patriæ ſuæ Epiſcopatum vocatus eſt die 3. Martii anno ſalutis 1490., breviſſimuſque Pontifex fuit, obiit enim poſt paucos annos ait Ughellus.

Antonius Roſa Epiſcopus Terracinenſis.

Antonius Roſa Terracinenſis nepos prædicti Franciſci; Vir fuit alta mente præditus, aliiſque virtutum ornamentis inſignitus; electus Epiſcopus Terracinen. anno 1493. obiit anno 1500. Breviter de eo mentionem facit R. Abbas Lucentius Ciſtercienſis Ord. in tomo 1. novæ Italiæ Sacræ nuperrimè typis edito inquiens. Antonius Roſa Civis, & Epiſcopus Tarracinæ obiit anno 1500. Vixit hic Præſul benigniſſimus tempore illo infauſtiſſimo, quo Civitas Terracina bellorum civilium fluctibus exagitata penè contabuit, & ipſe ob mortem nonnullorum ſuorum exanimatus interiit. Sex Roſas albas elevavit prò ſtemmate, & palatium ejus fuit illud, quod modo pertinet ad perilluſtrem familiam de Matera, unde prodiit annis ſuperioribus Marcus Antonius Matera Advocatus celeberrimus, & in Romana Curia pluribus honoribus excultus, uti à noſtris natu majoribus accepimus.

Arſenius Abbas Cavenſis.

D. Arſenius Terracinenſis Monachus Caſſinas ob virtutum merita Abbas Cavenſis effectus eſt, qua de re Ughellus tom. 1. Italiæ Sacræ in Epiſcopis Cavenſ. his verbis. Oliverius Cardinalis Carafa Metropolitanus hujus Eccleſię ſcilicet Cavenſis factus eſt perpetuus Commendator ann. 1485. ab Innocentio VIII. Pontifice. Hic temporibus Alexandri Sexti de Monaſterio Sanctiſſimæ Trinitatis antiquos Monachos exegit, introduxitque ex Sanctæ Juſtinæ reformatione Benedictinos retenta ſibi annua penſione ſcutorum 2400. Ea lege, ut poſt ſuum exceſſum digni-

tas

tàs Epiſcopalis extingueretur, Abbatialiſque rediret, quam tùm in Arſenium contulere Monachum Caſinenſem è Terracina; quod ipſum Alexander Sextus ratum eſſe juſſit ann.1497., & tomo 7. pag.723. idem ait. Poſt cujus, ſcilicet Epiſcopatus Cavenſis ab Oliverio Carafa renunciationem factam primus Abbas deputatus à Regimine Congregationis fuit Dominus Arſenius de Terrecina. Cujus autem familiæ fuerit hic Abbas, nos adhùc latet.

Fr. Nicolaus Landus.

P.Fr.Nicolaus Landus Terracinenſis Sacræ Theologiæ Magiſter Ord.Min.Convent.floruit anno 1230., qui anno 1234.Provinciæ Neapolitanę gregis ſibi commiſſi curam geſſit irreprehenſibilem; idemque Averſæ menſe Novembris Conventum Ordin. Minor.Conventual. prævio conſenſu Ioannis Epiſcopi, & Capituli ejuſdem Civitatis ſuſcepit, uti docet P. Fr. Bonaventura Theulus lib.6. cap.2. Apparat. Minor. Fuit inſuper hic Nicolaus unus ex Fratribus, qui habitum à Sancto Franciſco Terracinæ recepit.

Fr. Iacobus Landus.

P.Fr.Iacobus Landus è Terracina fuit pronepos præfati Nicolai de Lando, Sacræ quoque Theologiæ Magiſter, & ejuſdem Ordinis Minor.Conventualium; ob inſignium virtutum ſplendorem, & merita totius Provinciæ Romanæ inquiſitionis officio functus eſt Anno 1340., ut locuples teſtis eſt idem Theulus lib. eodem.

Fr. Bonaventura Landus.

P. Fr. Bonaventura Landus, Terracinenſis de ſtirpe prædictorum, & ejuſdem Ordinis Minor.Conventual.Sacręque Theologiæ Magiſter, atque artibus liberalibus quam maximè exculus Regens fuit in ſtudio Civitatis Salerni,& Aquilæ; anno verò 1628.ex hac vita migravit ad Dominum.Ità aſſerit præfatus Auctor cap.2.lib.ejuſdem.

Fr.Berardus de Berardo.

P.Fr.Berardus de Berardo è Terracina Vir fuit multarum diſciplinarum, altaque mente præditus. Hinc plura obiit munera in Religione S. Franciſci Ordinis Minor. Conventual., cui nomen dederat. Fuit enim Regens Aſiſinas, Præſes Conventus SS. XII. Apoſtolorum in Urbe, Secretarius Ordinis, item Theologus Eminentiſſimi Cardinalis Deſtrei, Commiſſarius Generalis,

lis, ac Miniſter Provincialis Almæ Provinciæ Romanæ; Exceſſit Romæ, ex apoplexia anno ſalutis 1704.die Iovis 24.Iulii ætatis ſuæ 65. Prodiit etiam è Terracina Reu. P. Angelus Mariconus Ordinis Crucifer, qui ſemel Provincialis ejuſdem Ordinis in Alma Provincia Romana, & pluriès Præfectus fuit Domus Sanctę Mariæ Magdalenæ Miniſtrorum Infirm.de Urbe; vivit adhùc, & diù vivat.

Hactenus de familiis, ac Viris conſpicuis Civitatis Terracinæ; reliquum eſt, ut modo procedamus ultra, & cætera commemoratu digniora enucleemus: maneat tamen ſemper, atque certum ſit, me in hoc opere non perſtrinxiſſe ea omnia, quæ de Urbe antiquiſſima, ac ſplendidiſſima Terrac. inveniri, aut in medium proferri poſſunt, quoniam mihi tempus, & librorum copia non ſuppetit, ut ſępè dixi.

CAP. XI.

De Territorio Terracinen.

QUibus finibus clauderetur olim Territorium Terracinen. ne acta agam, & cocta recoquam; recole, & memoriæ manda ea, quæ continent diplomata vetuſtiſſima tùm Silveſtri II. relat. libro primo cap.4.tùm Gregorii Papæ deſcript. lib.2.cap.1.Quippè verſus Orientem ex parte Regni Neapol. terminus erat Turris S.Anaſtaſiæ (vulgo S. Anaſtace) adeò ut ſylva, ſeù tenuta [ſaltus dicta]ad Civitatem Terracinam pertineret. Hinc favore Terracinenſium plura leguntur in actis publicis Antiquitatis, ac præcipuè ex Archivio eorundem pervetuſto duas litteras in forma Brevis,& unam epiſtolam Rectoris Provinciæ eruere poſſumus,quæ ſunt tenoris ſequentis.

HONORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto filio Nobili Viro Riccardo Comiti Fundorum, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

INter cæteras ſollicitudinis tuæ curas illa debet eſſe potiſſima, ut ſic prudentèr te geras, & dirigas, ſic tuos actus, & ope-

& opera provide modereris, ne Deum offendas, famæ tuæ claritatem obnubiles, aut in injuriam proſilias alicujus. Sanè gravis ad nos dilectorum filiorum Civium Terracinen. Eccleſiæ Romanæ fidelium querela pervenit, quod tu propriis finibus non contentus,& ad turbationem ipſorum prò tuæ libito voluntatis aſpirans eos ſuper quadam ipſorum tenuta, quæ ſaltus vulgaritèr nuncupatur indebitè impetis, & moleſtas,& facis etiam per alios moleſtari, eoſdem tenuta ipſa uti, & frui pacificè proùt conſueverunt hactenus, non permittens in eorum non modicum præjudicium, & gravamen: Quare prò parte Civium prædictorum nobis extitit humilitèr ſupplicatum, ut providere ſuper hoc ejs paterna ſollicitudine dignaremur.

Rogamus itaque nobilitatem tuam, & hortamur attentè quatenùs Cives eoſdem ſuper tenuta prędicta prò noſtra,& Apoſtolicę Sedis reverentia non moleſtes ulterius,nec facias per alios moleſtari, ità quod tuæ devotionis promptitudinem exindè non immerito commendemus. Nam cum dicti Cives ſint Eccleſiæ Romanę ſubjecti moleſtiam,vel gravamen ipſorum non poſſemus conniventibus oculis præterire, quin ſuper hoc de oportuno curemus remedio providere. Si verò in tenuta ipſa te aliquod jus habere contendis parati ſumus facere tibi exhiberi juſtitiæ complementũ. Quod autem feceris in hac parte nobis per tuas litteras non differas intimare.Dat.Romę apud S.Sabinam Id.Novembris Pontif.noſtrī Anno primo.

Idem Pontifex anno ſecundo ſui Pontif.ſuper eadem re pręfato Comiti iterum litteras dedit ità.

HONORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio Nobili Viro Riccardo Comiti Fundan. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

PRidem querela gravi dilectorum filiorum Civium Terracinen. Eccleſię Romanę Fidelium ad noſtram audientiam perferente, quod tu propriis finibus non contentus, & ad eorum turbationem prò libito tuę voluntatis aſpirans eos ſuper quadam ipſo-

ipſorum tenuta, quę ſaltus vulgaritèr appellatur indebitè impetebas, & moleſtabas, ac faciebas etiam per alios moleſtari, eoſdem tenuta ipſa uti, fruique pacifice proùt conſueverunt hactenùs, non permittens in eorum non modicum præjudicium, & gravamen te per noſtras ſub certa forma litteras rogandum attente duximus, & prò noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reverentia predictos Cives ſuper eadem tenuta non moleſtares ulteriùs, nec faceres per alios moleſtare, ita quod exindè devotionem tuam non immeritò commendare poſſemus, nec oporteret nos tibi ſuper hoc iterato dirigere ſcripta noſtra. Si verò in eadem tenuta jus aliquod te habere contenderes, parati eramus facere tibi exhiberi juſtitię complementum. Verùm ſicut nuper audivimus Civibus intimantibus ſupradictis tu precibus, & hortationibus noſtris hujuſmodi, quibus te putabamus humilitèr pariturum, proùt te non condecet, parvipenſis jam congregata gente non modica intendis hoſtilitèr procedere contra illos ad ipſorum ſegetes in tenuta conſiſtentes eadem temere diſſipandas; de quo tanto propenſiori admiratione deducimur, quanto te majoris devotionis affectum erga nos, & Romanam Eccleſiam gerere ſperabamus. Cum itaque talia ęquanimitèr tolerare nolumus, ſicuti nec debemus nobilitatem tuam rogandam attente duximus, & hortandam nihilominus tibi per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenùs ab hujuſmodi tuæ intentionis propoſito, quod indebite aſſumpſiſti omnio deſiſtens contra Cives eoſdem prò noſtra, & prędictę Sedis reverentia in aliquo non procedas, nullamque facias, vel mandes fieri novitatem, & ſi fortè adverſus illos procedere incepiſti, deſiſtas penitùs ab inceptis. Sic te in hoc efficacitèr habiturus, ut proindè commendari valeas, & benignitate, ac manſuetudine, quas circa te in hac parte ſervamus abuti minimè videaris. Si autem in præfata tenuta, proùt præmittitur, jus aliquod habere te credis, parati ſumus facere tibi complementum juſtitiæ exhiberi. Alioquin non ignorare te volums, quod illud ſuper hoc curabimus adhibere remedium, quod qualitas facti ſuaſerit, & viderimus oportunum. Datum Romæ apud S.Sabinam 8.Kal.Junii Pontif.noſtri Anno ſecundo.

His accedit epiſtola Rectoris Provincię, quæ talis eſt.

Fre-

Fridericus Dei gratia Ycorien. Electus Campaniæ, Maritimæque Rector.

Nobilibus Viris. . . Poteſtati, Conſilio, & Communi Terracinen. ſalutem in Domino.

Cum jura Romanæ Eccleſiæ, ac tenimento ipſius in Provincia Campaniæ, ac Maritimæ toto poſſe defendere teneamur, conſtet quoque nobis per privilegia Papalia, quod tenimentum ſaltus, qui eſt à primo latere Civitatis Terracinæ uſquè ad turrim, & flumen S. Anaſtaſiæ fuit ab ipſa Romana Eccleſia ipſi Civitati Terracin. prò tenimento ipſius datus, & aſſignatus. Ideò ne poſſitis immeritò de negligentia reprehendi, quæ & nobis imputari poſſet, ſi vos non ſollicitarem ad hoc, aut daremus auxilium; nobilitatem, & diſcretionem veſtram ortamur nihilominus . . . vobis ſub pæna quingent. flor. auri mandantes, ut ipſo temimento ſaltus utentes, & fruentes ad utilitatem veſtram, & honorem Romanæ Eccleſiæ ipſum virilitèr defendatis ſcientes, quod ſi oportebit, vobis ad defenſionem ipſius dabimus auxilium, & favorem. Dat. Fruſin. die 13. Octobris 14. indict.

Idem Territorium verſus Occidentem, quibus finibus diſterminaretur, prærerquam quod colligi poteſt ex Bullis ſupra nominatis, ad majorem tamen rei claritatem infraſcripta producimus monumenta, ubi agitur de diſcordiis, & concordiis inter Terracinenſes, & Pipernenſes, necnon inter eoſdem Terracinenſes, & Setinos cauſa confinium territorii eorundem; ac primo cum ſub Alexandro Quarto Commune Terracinen., & Pipernen. ob dictam cauſam inter ſe altercarentur, ut componeret illorum lites præfatus Pontifex Jordano Pironto tunc Campaniæ, Maritimæque Rectori hujuſmodi in forma Brevis litteras dedit.

ALEXANDER EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio Mag. Jordano S. R. E. Vicecancellario, & Notario Campaniæ, Maritimæque Rectori ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

DUdum inter Conſules, Conſilium, & Commune Civitatis Terracinen. ex parte una, & Conſules, & Commune de Piperno ex altera ſuper terris, tenimentis poſitis à pede Startiarum Monaſterii Foſſęnovæ verſus Civitatem eandem gravi ſuborta diſcordia, ex qua innumera perſonarum pericula, & rerum diſpendia contigerunt, tandem bon. mem. Romanus Epiſcopus tunc electus Portuen. de mandato, quod fel.rec. Gregorius Papa prædeceſſor noſter per ſuas ſpeciales litteras ei ſuper hoc feciſſe dinoſcitur, & ex compromiſſo, quod ſub certa pæna in eum à partibus factum fuit per quandam ordinationem, diſcordiam, ſeù quæſtionem hujuſmodi terminavit, ac inter Terracinen. & Pipernen. quandam Cavatam fieri, & certos terminos fecit affigi mandando, ut quidquid erit à Cavata, & terminis ex parte ipſorum Terracinen. de tenimento exiſteret eorundem, & quod erat à dicta Cavata, & terminis verſus Pipernum eſſet de tenimento Pipernen. prædictorum, exceptis ſylvis, quæ ſunt à Cavata Lettariæ verſus tenimenta ipſorum Pipernen. juxta flumen majus, quibus utraque pars uti debet, proùt fuerat conſuetum. Ità tamen, quod non liceret alicui partium in is Cęſas facere, vel ipſas etiam extirpare, proùt in Inſtrumentis publicis inde confectis pleniùs dicitur, contineri: Dictuſque prædeceſſor ordinationem hujuſmodi ratam habens illa auctoritate Apoſtolica confirmavit. Verùm quia ſicut accepimus inter Terracinen., & Pipernen. eoſdem quædam adhùc occaſione hujuſmodi negotii diſcordiæ ſuſcitantur. Nos eidem negotio finem imponi totalitèr cupientes diſcretioni tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus præſentium auctoritate committimus, ut ad loca te perſonalitèr conferens diſcordias, ſeù quæſtiones hujuſmodi juxta datam tibi à Domino gratiam finalitèr ſtudeas terminare; ita quod ſcandala, quæ orta ſunt, exindè & oriri poſſe dicuntur per

tuæ

tuæ circumſpectionis induſtriam penitus ſopiantur. Nos enim diffiniendi, ordinandi, diſponendi, ſtatuendi, præcipiendi, & faciendi ſuper hujuſmodi negotio, & circa illud, proùt bono, & proſpero utriuſque Terræ ſtatui expedire videris, & compellendi ſpiritualitèr, & temporalitèr utramque partem ad obſervandum, diſponendum, ſtatuendum, præcipiendum, & faciendum duxeris plenam, & liberam tibi concedimus auctoritate præſentium facultatem. Dat. Anagniæ 5. Id. Septembris Pontif. noſtri Anno quinto.

Acceſſit itaque ad loca confinium prædictorum memoratus Jordanus, & partibus compoſitis concordiæ Inſtrumentum rogatum eſt, de quo meminit quædam ſcriptura vetus dicens. In hoc concordiæ Inſtrumento factæ anno 1259. menſis Octobris die 18. indict. 3. anno quinto Pontif. Domini Alexandri Papæ Quarti Pipernenſes, & Terracinenſes ſervare promittunt diſpoſitionem, & ordinationem Vener. Viri Domini Jordani S.R.E. Vicecancellarii, & Domini Papæ Notarii, & Campaniæ, Maritimæque Rectoris; ſententia, arbitrio, laudo bon.mem. Domini Romani Epiſcopi Portuenſis in ſuo robore nihilominùs duraturis. Ad hoc tranſigendum, mandatum procuratorium ex parte Piperni excepit Joannes de Guarchino Judex Communis Piperni Syndicus procurator, & actor. Congregatum fuit conſilium in Eccleſia S.Mariæ de Piperno. Ex parte Terracinen. mandatum procuratorium excepit Matthæus de Lupica Civis Terracinen. Syndicus procurator, & actor ejuſdem communis Terracinen. Conſilium congregatum fuit ante fores majoris Eccleſiæ Terracinen. ad vocem præconis, & ſonum Campanæ. Hi fuerunt teſtes.

Ego Fr. Petrus Epiſcopus Terracinen. rog. teſtis.
Ego Petrus Peruntus dictus major miles rog. teſtis.
Ego Matthæus de Balena miles rog. teſtis.
Ego Joannes de Balena miles rog. teſtis.
Ego Oddo de Sanguineo miles rog. teſtis.
Ego Creſcentius Saldus rog. teſtis.
Ego Matthæus de Roſa rog. teſtis.

Ego Petrus dictus Graſſus Terracinen. S. R. E. Judex, & Scriniarius hoc Inſtrumentum ſcripſi, complevi, & abſolvi; nempè Inſtrumentum procur. nam Inſtrumentum concordiæ ſcripſit Guillelmus de Aliſia publicus S.R.E. Not. Anagniæ in hoſpitio

Domini Magnifici Jordani præſentibus inter alios Gregorio de Poſis, Anibaldo de Setia Domini Papæ Scriptoribus, Dño Petro, Dñi Raynaldi Piſaleƈt. Canonico Ferent., & Dño Berardo de Neapoli Dñi Papæ Cappel. Setini etiam cum Terracinen. olim rixati ſunt circa confines territorii, ut infraſcripta docent Inſtrumenta ex Archivio Terracinen. eruta.

In Nomine Dñi Amen. Anno Dñi 1370. Pontif. Dñi Urbani Papæ Quinti anno 8. indiƈt. 8. menſis Junii die primo. In præſentia mei Notarii, & teſtium ſubſcriptorum ad hæc ſpecialitèr vocatorum, & rogatorum Rev. Pater, & Dñus, Dñus Hugo de Bonvillario Epiſcopus Letteren. Provinciarum Campaniæ, & Maritimæ in ſpiritualibus, & temporalibus pro Dño Noſtro Papa, Sanƈtaquè Romana Eccleſia generalis Reƈtor, & Comes conſiderans, & attendens quod erat orta materia quæſtionis, & diſſidiæ inter Syndicos, Commune, & Univerſitates hominum Civitatis Terracinen. ex una parte, & terræ Setiæ ex parte altera ex cauſa, & occaſione confinium, & terminorum territorii inter ſupradiƈtos Terracinenſes, & Setinos videlicet de Strata antiqua, acqua Papæ, Fillotii, Rivi Martini, & Rivi de Nochio, & aliorum locorum, & uræquè partes pretium ad eas ſpeƈtare dicebant, & contendebant ejus jus eſſe utendi, fruendi ſolum, & in ſolidum, & ad alteram partium non eſſe jus utendi, propter quod ſic diù contempſerunt ad invicem. Eapropter utraque pars per Ambaxatores, & Syndicos eorundem ad diƈtum Dominum Reƈtorem recurſum habentes tanquam Reƈtorem, & eorum Dominum ſupplicarunt per ipſam cauſam cauſas, & lites ortas inter eoſdem pro bono pacis eorum deberet ſententialitèr terminare. Quapropter idem Dominus Reƈtor auƈtoritate ſui officii, & Apoſtolica, qua fungebatur in hac parte, necnon per Ambaxatores, & Syndicos Civitatis prædiƈtæ Terracinen., & diƈtæ terræ Setie, ut idem Dominus aſſeruit ſibi conceſſa poteſtate ab ipſis Syndicis, & Ambaſciatoribus, ut cauſam, ſeù cauſas, quæſtiones, & lites prædiƈtas decidat, quomodo melius ſibi fuerit viſum.

Et attento, quod cauſa ipſa de diƈtis confinibus debet ſubiici oculis Judicis, ut poſſit clarè, & lucidiùs terminari. Volens lites inter ipſas partes dirimere, & quantum poterit facere breviores, ut ipſarum partium parcatur ſumptibus, laboribus, & expenſis, quia ad diƈtos confines inſpiciendos, & videndos commodè

modè intereſſe non poteſt perſonalitèr aliis arduis negotiis occupatus. Confiſus de circumſpecta induſtria, & ſapientia nobilis, & ſapientis Viri Dñi Andreæ Novelli de Sora Judicis ſui, & ſuæ Civitatis, ac in temporalibus Vicerectoris dictarum Provinciarum ibidem tunc præſentis eidem injunxit, & commiſit tenore præſentis publici Inſtrumenti cauſas prædictas, lites, & queſtiones vertentes, & quæ verti poſſunt inter ipſas partes occaſionibus ſupradictis videat, finiat, & decidat, & quod idem Dominus Andreas Judex prædictus vadat, & accedat, ire, & accedere debeat ad locum quæſtionis prædictæ inſpicere, videre, ipſaſquè cauſas cognoſcere, decidere, & fini debito terminare, proùt, & ſicut juſtum fuerit, & ſibi videbitur expedire pro quiete, & pace, ac ſtatu pacifico, & tranquillo partium earundem. Dans ſibi ex nunc. . . . plenam, & liberam, ac generalem adminiſtrationem eas ipſas cognoſcendi, & videndi ſummariè, & de plano; teſtes recipiendi, & prolationes, ac Inſtrumenta publica, & quidquid partes ipſæ voluerint dicere, & allegare, producere, & probare, necnon cauſas ipſas decidendi, & terminandi ſententialitèr, diffinitivè, ſeù interlocutoriè, curſus aquarum dividere, & dividi facere, terminare uſus, & proprietates concedere, & adjudicare cum poteſtate plenaria mandandi ipſis partibus ſub pena mille marcarum argenti, & aliis proùt ſibi videbitur opportunum, quod quidquid per eum fuerit determinatum, deciſum, & ſententiatum ratum habeant, atque firmum. Et committens Dominus Rector prædictus in præmiſſis, & quolibet prędictorum plenariè vices ſuas, ac in omnibus, & ſingulis dependentibus, emergentibus, & connexis ab eiſdem, & quolibet prędictorum. Actum in męnio Rochę Caſtri Ceccani preſenti me infraſcripto Notario, Notario Nicolao Joannis de Piperno, Domino Vitale Parentis de S. Gerontio procuratore finali. Adhemario de Vindidiano Cancellario dicti Domini Rectoris, & Notario, & pluribus aliis teſtibus ad prędicta vocatis, & rogatis.

In Nomine Domini Amen. eodem Anno Domini 1370. Pontif. Domini Urbani Papę Quinti Anno 8. indict. 8., & die quinto prædicti menſis Junii. Nobilis, & Sapiens Vir Dominus Andreas Novellus de Sora Provinciarum Campaniæ, & Maritimæ Judex Generalis, & in temporalibus Vicerector, ac Delegatus, & Commiſſarius ſpecialitèr deputatus, per Reu. in Chriſto Patrem, & Do-

Dominum Hugonem de Bonovillario Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopum Letteren. dictarum Provinciarum in ſpiritualibus, & temporalibus Rectorem generalem ad videndum, & cognoſcendum, & terminandum cauſas, lites, & queſtiones vertentes, & quę verti poſſunt inter Syndicum, homines, & Univerſitatem Civitatis Terracinę ex parte una, Syndicum, homines, & Univerſitatem Terræ Setiæ ex parte altera ex cauſa, & occaſione locorum territorii, & confinium aquarum, & aliorum locorum inſcriptorum exiſtentium inter territoria ipſarum Terrarum videlicet Filotii, Rivi de Nochia, & Rivi Martini fluminis de feddo uſque ad locum, qui dicitur ſalt. aquæ de Papa, & Viarum exiſtentium in dictis Territoriis ſicut pretenditur à Rivo Martino uſque ad Rivum de Nochio, vel è contra à Rivo de Nochia uſque ad Rivum Martinum, & ſicut vaditur ab uno ad alium per ſtratam, ſeù viam, & vadi de ſuptus, ad quem vadum facit caput ſtratella antiqua, necnon ab alio latere ſuper locum aquaticum qui vocatur . . . . ſuper foſſella della Spina, & ratione confinium, & terminorum ponendorum, & aliarum rerum dividendarum inter eoſdem, quæ loca, & eorum uſus, & proprietates dicebat una pars ad eam pertinere, & alia ſimilitèr pertinere, & ſpectare ad ipſam petentes dictæ partes loca prædicta terminari, & dividi ut eſt juris inter eos; habens poteſtatem, & auctoritatem ipſas lites, controverſias, & cauſas videndi, decidendi, finiendi, & terminandi alte, & baſſe ſummariè, & de plano à Domino Rectore prædictæ proùt ſuperiùs conſtat manu mei Pauli infraſcripti accedens, & vadens perſonalitèr ad loca infraſcripta inſpicienda una cum providis viris Guillelmo Dayno de Terracena Syndico, ut aſſeruit, Communitatis Civitatis Terracenæ, ac Stromile de Setia Syndico, ut aſſeruit Communitatis Terræ Setiæ necnon diſcretis viris Joanne Caporiſii, Ciccho Caſella, Jordano Vallacqua, Curtio Topetta, Colla Ciuhi Oddonis . . . . . . Maſſimo bubalario, & Leonardo ejus fratre de terra Piperni maſſariis per dictum Dominum Judicem, & Commiſſarium ad informationem mentis ſuæ, & ad inveniendam veritatem examinatis, & per Sacramentum . . . . mei Notarii infraſcripti, de, & ſuper diſcrordiis, & quæſtionibus locorum ſupradictorum, ac etiam cum nonnullis nobilibus, & bonis maſſariis, ac officialibus dictæ Ci-

Civitatis Terracenę, & terræ Setiæ videlicet Domino Antonio Pauli de . . . . . Communis Civitatis Terracen. Meo Lampadario, & pluribus aliis de Terracena, Dño Petro Roſello de Piperno Judice Communis terræ Setię, Domino Paulo, Domini Stephani, Andrea Taccone, & pluribus aliis de Setia . . . . teſtibus ſupradictis de Piperno, ac auditis ſupradictis Syndicis, ac aliis probis viris dictarum Terrarum ſuper quæſtionibus infraſcriptis, necnon viſo lecto, & diligentèr examinato quodam publico antiquo inſtrumento producto . . . . Civitatis Terracen. cujus inſtrumenti tenor per omnia talis eſt. . . . . per me legi poterat, quia littera erat antiqua. In Nomine Domini. Nos Binulfus, & Baro Guido Joannis Maronis, & Robertus electi arbitri à Terracinen., & Setinis communitèr in quæſtione, quę vertebatur inter eos ſcilicet ſuper quæſtione maritimæ, flumariæ, & ſcilicis, & eorum uſus, ac poſſeſſione auditis, & diligentèr inſpectis rationibus utriuſque partis, auditis etiam confeſſionibus Syndicorum, & privilegiis, & atteſtationibus hinc inde oblatis, & audito, & recepto conſilio bonorum hominum, & prudentum virorum Piperni necnon aliorum de contrata ſecundum quod inter nos ſtatutum fuerat, nos arbitri prędicti talem damus ſententiam, ut Setini, & Terracinenſes communitèr utantur à Rivo Martino uſque ad Rivum de Nochio in cęſando, venando, talliolando, ut hactenùs uſi ſunt, ſecundum quod nobis conſtat confeſſione utriuſque Syndici. A Rivo de Nochio inferius ſecundum quod recto tramite porrigitur per Campoli ſarmento, & ſacco Setini non audeant cæſas facere, ſed cum guerra canum tantum à parte Terracinen. in locis finitimis, & vicinis ipſius Rivi poſſint venari ſine occaſione malignandi ſalvis proprietatibus ſpecialium perſonarum, ſiquę ſunt à Rivo inferiùs.

De ſilice hoc dicimus, ut à meſa, & ſuperius ſit uſus, & utilitas Setinorum, inferius verò ſalvis piſcariis, & jus piſcandi, ut ibi hactenùs habuerunt, & ſalvum ſit Terracinenſibus in his locis navigare, & lignamina facere, & ſimilia prò velle, & eorum voluntate. De flumaria vero hoc dicimus, ut ipſo Terracinenſes uſque ad feddum liberè utantur ſine contradictione aliqua; & à freddu uſque ad ſalce more bonæ vicinitatis utantur ſine occaſione malignandi; & Sitini à freddu ſuperius utantur,

pro-

proprietates ſpecialium perſonarum Sitinorum ſint ſalvę. Eiſdem in piſcariis, & lectis, quos habent ibi, & petitiones in damnis cæſarum, & in pæna petenda factas ab utraque parte remittimus, & ſalva proprietate omnium iſtorum locorum utriuſque Communitatis, & hoc dicimus jure poſſeſſionis, & uſus. Datum in Eccleſia S. Mariæ de Piperno coram Populo Piperni, & bonis hominibus de contrata Anno Domini 1200. indict. 3. menſis Februarii die 18. in Anno 3. Domini Innocentii III. Papæ, de qua re rogati ſunt teſtes Guido Domini Leonardi, Riccardus de Roccha, & Belbellus, Thomas Follis, & Joannes Gratitii. Ego Matthęus S. R. E. Scriniarius rogatu ſupradictorum interfui, & in publicis litteris nihil dempto, vel addito præſentem ſententiam redegi. Ac etiam auditis ſupradictis partibus, & ipſarum allegationibus, & quidquid ſuper hujuſmodi materia dicere voluerunt exiſtens perſonalitèr Dominus Judex prædictus, & Commiſſarius in Rivo Martino in principio, vel quaſi propiùs in quodam loco baſſo, ſeù foſſato ejuſdem Rivi, omni modo, jure, via, & forma, quibus meliùs potuit, & debuit tàm ex officio, quàm ex auctoritate ſibi conceſſa Chriſti nomine invocato talem inter dictas partes in dicto loco ſententiam dedit, tulit, & promulgavit videlicet. Quod a Rivo Martino uſque ad Rivum de Nochio ſit, & eſſe debeat perpetuò communis inter eoſdem Terracinenſes, & Setinos ad jus, & proprietatem, uſum, & jus utendi, & fruendi communitèr inter eos, ad eorumquè communem, perpetuam utilitatem, & uſum debeant perpetuò, & communitèr remanere, & ad perpetuam memoriam mandavit ibidem duas Cruces in duabus arboribus ibi ſtantibus fieri, & ſignari pręſentibus, conſentientibus, & concordantibus Syndicicis ſupradictis, ac aliis de Terracina, & de Setia ſupradictis, necnon prædictis hominibus, & maſſariis de Piperno teſtibus ad prædicta concordantibus vocatis etiam, & rogatis. Item eodem inſtanti progrediens ulteriùs pręfatus Dominus Judex, & Commiſſarius cum omnibus ſupradictis, & perveniens ad Rivum de Nochio, ut ſupra pronunciavit, & ſententiavit, quod ſicut protenditur à Rivo Martino uſque ad dictum Rivum de Nochio per ſtradam, ſeù viam, quæ vadit. . . . ab uno uſque ad alium ſit, & eſſe debeat commune, ut pręedicitur inter Terracinenſes, & Setinos,

nos, & ad eorum communem, & perpetuam utilitatem, & uſum remanere perpetuò ut ſuprà præſentibus, concordantibus, conſentientibus, & rogatis jam Syndicis,& bonis hominibus, quam teſtibus ſupradictis, & ibidem ad memoriam fecit arbores ſimilitèr cruce ſignare. Item eodem anno, & menſe, ſequenti die ultima die ſextò prædicti menſis Junii accedens præfatus Dominus Judex ad alium quæſtionis locum videlicet ad campum de acqua Papæ, & iterum prædictis auditis, & examinatis teſtibus, & Inſtrumento viſo, ac partibus prædictis auditis. Sicut ut prædicitur ſententialitèr declaravit, diffinivit, & terminavit, videlicet quod à Vado de ſubtus, ad quem vadum facit Caput ſtratella antiqua, & intrat in dicto Campo, ubi unam arborem Cruce ſignari fecit uſque ad quandam aliam arborem Ulmi ſimilitèr de ſuo mandato Cruce ſignatam per directum, quæ arbor ulmi poſita eſt ab alia parte ſuper locum aquaticum, qui vocatur [lo morto] ſuper foſſellam de ſpina, & ejus partes uſque Setiam ſicut rectè protenditur ab uno dictorum locorum uſque ad alium, & prædicitur verſus Setiam ſit, & eſſe debeat liberè, & perpetuò Setinorum, & Communis Setiæ,& ad ipſorum Communis, & hominum de Setia uſum, & proprietatem debeat perpetuò remanere, & ad ipſos ſpectare, & pertinere declaravit de cætero pleno jure. A dictis verò confinibus, & in verſus Terracinam ſit dictus campus, & locus, & eſſe debeat liberè, & perpetuo Communitatis, & hominum Civitatis Terracinæ, & ad ipſorum uſum, utilitatem, & proprietatem perpetuo debeat remanere, & ad ipſos ſpectare, & pertinere declaravit de cætero pleno jure aliis omnibus confinibus in præfato Inſtrumento contentis de aliis locis, & partibus ultrà, & citrà dictum campum, & antiquitùs inter eos obſervatis in ſuo robore remanentibus, & perpetuò duraturis. Mandans idem Dominus Judex prędictis Syndicis, & partibus ibidem præſentibus, & prædictas terminationes, deciſiones, diviſiones, & diffinitiones, declarationes, ac ſententias ſponte emologantibus, acceptantibus, & approbantibus prædicta omnia debere perpetuo per dictas Communitates, & partes ſervari inviolabilitèr ad pænam decem millium marcarum argenti per Confraternitates incurrens, & pro medietate Cameræ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & prò alia parte ſervanti applicanda, necnon, quod ad perpetuam pacem di-

dictarum Communitatum debeant in unum menſem proximè futurum dicta loca terminare terminis altis, & muratis videlicet Setini eorum expenſis à latere vadi ſubtus . . . . . . ſtratellam antiquam, quæ intrat in dicto Campo, & Terracinenſes à latere, & parte ulmi ſuper mortacinum, ſeù locum aquaticum ſuper foſſellam de ſpina eorum, ut prædicitur, ſumptibus, & expenſis. Ac etiam mandavit, & declaravit, quod de grano ſeminato prò præſenti anno in dicto campo, & loco quæſtionis per laboratores Setinos de eo loco, qui ſecundum terminationem prædictam includitur, & adjudicatur Terracinenſibus, debeant dicti laboratores pro, & de territorio dicti loci reſpondere Communitati Civitatis Terracinæ ad pęnam ſupradictam, vel ſuorum ſucceſſorum arbitrio auferendam. Actum in dicto Campo de aqua papæ loco, ut prædicitur, quæſtionis præſentibus ſupradictis de Terracina, Setia, & hominibus teſtibus de Piperno ad prædicta vocatis, & rogatis. Item eodem anno, menſe, Pontificatu, indictione, & die ſequenti videlicet die ſeptimo menſis Junii ſupradicti accedens prædictus Dominus Judex, & Commiſſarius per loca aquatica, & veniens ad locum, qui vocatur Trinitas, & eſt ibi quædam Eccleſia in ſilice antiqua, ac prò tribunali ſedens ante dictam Eccleſiam præſentibus antedictis Syndicis ſententialitèr, & diffinitivè declaravit, dixit, & terminauit, quod Filotium ſit, ſtet, ac ſtare, & eſſe, & cenſeri debeat perpetuò in territorio, & de territorio Civitatis Terracinen. Dominium verò uſus, & poſſeſſio, ac proprietas ſit, ac eſſe debeat Nicolai Lotii de Setia, cui Commune Setiæ dictum Filotium vendidit, & ſuorum hæredum, & ſucceſſorum, & habentium cauſam ab eodem; & quod Commune Terracinen. non poſſit cogere, vel conſtringere ipſum Nicolaum Lotii, vel ſuos hæredes, & ſucceſſores ad portandum piſces, anguillas, vel fructus provenientes ex ipſo Filotio Terracinam, ſed liberum ſit pro libito voluntatis ei, & ſuis hæredibus, ut præfertur, vendere, & portare, quo voluerit. Sed Commune Setiæ ex eo, quod ex venditione dicti Filotii aliquam recepit pecuniæ quantitatem mandavit . . . . ut ſupra ſedens terminavit, quod dictum Commune Setiæ teneatur, & debeat per totum menſem Julii proxime ſequuturum dare; & aſſignare Communitati Civitatis Terracen. florenos quadraginta boni auri, & juſti ponderis. In omnibus au-

tem,

tem, & ſingulis aliis caſibus dubiis, & quæſtionibus mandavit; & ſententialitèr declaravit deberi firmitèr, & inviolabilitèr obſervari prædictum antiquum Inſtrumentum productum pro parte Communitatis Civitatis Terracinæ, & ſuperiùs præſenti Inſtrumento annotatum. Mandans etiam omni modo, jure, & forma, quibus melius potuit, & debuit in hiis ſcriptis prædictis Syndicis ibidem præſentibus,& prędicta omnia acceptantibus,& emologantibus nomine, & vice dictarum Communitatum, ut perpetuò,& deinceps debeant tàm per ipſum declarata, & in hiis ſcriptis ſententiata, terminata, & mandata, quàm in prædicto antiquo Inſtrumento contenta inviolabilitèr obſervare, attendere, & adimplere ad pænam decem millium marcarum argenti applicari prò medietate, ut præfertur Cameræ S.R.E., & pro alia parte ſervanti prædicta. Actum in loco prædicto præſentibus nobilibus, & ſapientibus Viris Domino Antonio Pauli, & Domino Petro Roſello de Piperno Judicibus ſupradictarum Terrarum. Nobili, & ſapienti Viro Domino Paulo, Domini Stephani, Andrea Taccone,& Bernardo de Setia Notario, Nicolao Mollica,& Meo Lampadario de Terracina, Joanne Caporitio, & Jordano Vallacqua de Piperno, & pluribus aliis teſtibus ad prædicta vocatis, & rogatis. Præcipiens etiam præſentibus teſtibus ſupradictis mihi Notario inſcripto, & prædicti Syndici dictarum Communitatum me rogantes, ut ad petitionem ipſorum, & alterius eorum conficere debeam de omnibus, & ſingulis ſupradictis duo,& plura publica Inſtrumenta cum inſertione antiqui Inſtrumenti prædicti ✠ loco ſigni. Et ego Paulus quondam Domini Conforti de Belforte publicus Apoſtolica, & Imperiali auctoritate Notarius, & nunc Officialis, & Notarius Curiæ generalis Provinciarum Campaniæ, & Maritimæ prædictis omnibus, & ſingulis commiſtiori declarationibus, ſententiis, mandatis, & diffinitionibus, ut prædicitur, & diverſis locis, & ſub diverſis diebus, & eorum diverſis teſtibus factis, & omnibus ſupradictis interfui, & ea rogatus cum inſertione dicti antiqui Inſtrumenti de mandato dicti Domini Vicerectoris, Judicis, & Commiſſarii, & ad petitionem Terracinen. Syndici, & Communis ſcripſi,& publicavi, meumquè ſignum Apoſtolica auctoritate ſubſcriptum appoſui in teſtimonium præmiſſorum.

Hæc de veteri territorio Terracinen., quod quam miſerrimè

mè anguſtatum modo exiſtat, unuſquiſquè novit; ſuperfluum itaque habeo diutius immorari in illius narratione; Laudatur à Plinio lib. 16. cap. 32. his verbis. Terracina ſylvis ſcatente earum, nempè amygdalarum; & in parte prima indicis legitur ita. Terracina amygdalarum ſylvis ſcatet. Inſuper in Theatr. Orbis Terrar. typis Guil., & Jo: Bleau edito pag. 68. Tarracinenſis ager fęcundiſſimus, & amænissimus, vitibus, aurantiis, citris, limonibus aliiſque id genus arboribus abundans eſſe dicitur; Verum hæc referuntur ad tempora retroacta, quando Civitas Terracina in omnibus undequaque florebat, nunc enim vix ſigna antiquæ amænitatis, & prçlaudatę fęcunditatis extant.

CAP. XII.

De Fructibus, Aqua, Vino, & Aere Terracinen.

FRUCTUS.

Patet ex dictis territorium Terracinen. olim fuiſſe fęcundiſſimum vitibus, amygdalis, citris, aurantiis, limonibus, aliiſque id genus arboribus. Qui autem fructus felicitèr modò Terracinæ proveniant, inquirendum; nam non omnis fert omnia tellus, & hic ſegetes, illic veniunt feliciùs uvæ, ait Virgil. Certum itaque, & ratum eſſe debet, ſicuti experientia conſtat, prædictas plantarum ſpecies fauſtiſſimis auſpiciis, & eventibus in agro Terracinen. committi, & cõmiſſas in fructus jucundiſſimos uberrimè luxuriare: Verum ob recentium agricolarum in curiam exigua eſt laus, quam ex illarum ubertate nunc Terracina percipit, & ſi veterum cultorum adhùc non exiſterent opera, haud modicam de prælibatis fructibus ſuſtineremus penuriam. Cæterum notanda eſt agri Terracinenſis in fęcunditate diverſitas; montes enim facillimè pubeſcunt amygdalis, & vireſcunt oleis; valles fertiliſſimis vitibus efforeſcunt, ibidemque vineas perbellè ordinatas, atque inſtructas conſerere amant Terracinenſes, ut cuilibet videre eſt; tractus autem terræ propè Civitatem verſus mare acidis pomis egregiè flaveſcit, & redundat: Hujus meminit Franciſcus Schottus in Itiner. Italico dicens Ager latere maritimo fęcundus, & amænus admodùm eſt olim ditium Romanorum præ-

to-

Digitized by Google

toriis, villis, prædiis, ac hortis frequentibus excultiſſimus, quorum multæ ſparſim viſuntur adhùc reliquiæ, atque ruinæ. Inſuper neque pyra, neque ficus tàm præcores, quàm ſerotinæ, neque cucumeres, aut melopepones, vel alia id genus Terracinæ deſiderantur, etenim facili negotio proveniunt, & citò adoleſcunt plantæ illorum: ſumma verò præfatis fructibus eſt laus, & honor, neque aliis vicinarum urbium, & locorum odore, aut ſapore cedunt, quibus cum nullo modo ſunt comparandi, ſiquidem ob copioſiſſimas particulas nitro, & ſalino ſulphureas, quibus ſcatent, naribus admoti ſuaviſſimè olent, in os ingeſti organum guſtus leniter, magnaque cum delectatione titillant, ac movent; ſiquis autem noſtris præconiis fidem non adhibet, deguſtet, & vera deprehendet.

A Q U A.

Aquę Terracinenſes ferè omnes ſalſulæ ſunt ob ſalinas particulas ſibi immixtas, nec mirum, olim enim, ut fama refert, omnes agros Terracinæ contiguos Tyrrhenum mare inundabat, unde totum illum ſoli tractum vulgò (detto l'Arene) arenoſum eſſe ſpectamus, & hinc forſitan Solinus cap. 8. de laudibus Italiæ ait. Terracina Inſula anteà circumflua immenſo mari, nunc ævo recente addita continenti. De Aquis Terracinen. hæc habet Andreas Bavius lib. 4. Thermarum. Terracinæ duo diverſa invenio aquarum exempla primum pomptinam paludem, ob quam inſalubris eſt aurę, ut docet Silius Italicus lib. 10. ſcribens.

Et quos peſtifera pontina uligine campi &c.

Et prętereà fluctus paſſeris nuncupatos, qui tepentes, ut coniicitur ob calidarum ſcatebras in littore maris, de quibus Martial. lib. 10. epigr. 51.

O nemus, ò fontes, ſolidumque madentis arenæ
Littus, & æquoreis ſplendidus Anxur aquis,

Et alibi

Sive ſalutiferis candidus Anxur aquis.

At hodiè (excipit Cluverius) circa Terracinam nullæ reperiuntur aquæ calidæ, niſi quarum fontes apud ipſam Urbem, qua Fundos itur inter viam, & contiguum montem penè extincti, odoratu tamen à tranſeuntibus facilè percipitur. Vitruvius lib. 8. cap. 3. inveniuntur, ait aquarum genera mortifera, quæ

per

per maleficum ſuccum terræ percurrentia recipiunt in ſe vim venenatam, uti fuiſſe dicitur Terracinæ fons, qui vocabatur Neptunius, ex quo qui biberant imprudentes vita privabantur, quapropter antiqui eum obſtruxiſſe dicuntur. Neptunius hic fons mortiferus, an idem fuerit cum Martialis ſalutiferis aquis apud Terracinam perquam ambiguum eſt; quippè mortiferus poterat eſſe potantibus, balneantibus tantum ſalutiferus; ait Cluverius. Verum enim verò ut hac ſuper re omnes difficultates elidantur, haud ignorandum eſt, fuiſſe apud Terracinam aquæ ductus celeberrimos, per quos ab altis, & proximis montibus ingens vis aquæ ſaluberrimæ derivabatur uſque ad portum ejuſdem Civitatis: meminit illorum Theodorus à Valle lib. 1. cap. 6. hiſt. Privern., & extant adhuc, ac viſuntur parietes, atque exciſi ſilices præduri, quibus inſerti, & uſque ad littus maris deducti canales plumbei limpidiſſimos ad uſum navigantium effundebant latices; quin immo propter Eccleſiam S. Mariæ Magdalenæ obſervantur hactenùs ciſternæ ſeù cellæ aquariæ vulgo (conſerve d'acqua;) hæ, ubi obſtruebantur aquę ductus, ad commodum nautarum introductas aquas ſervabant; Ex iis autem plures fiſtulæ exugebant humorem, quæ per brutum terræ corpus diſcurrentes, cryptaſque ſubterraneas flexuoſis mæandris, ut opus erat, permeantes ad prædia, villaſque Romanorum equitum ducebant magnam copiam proſilientis aquæ; Hinc annis ſuperioribus, cum in agro Terracinen. vineam effoderent nonnulli agricolę, reperti ſunt quidam plumbei ſiphones, in quibus inſculptum erat nomen Sextus Julius Frontinus; Frontinum verò villam habuiſſe. Terracinæ notiſſimum eſt ex epigr. 58. lib. 10. Martial. dicentis.

Anxuris æquorei placidos Frontine, receſſus.

Prædictas itaque ejuſdem Martialis ſalutiferas aquas fuiſſe haud improbabile eſt, cum magnorum operum veſtigia prò jis derivandis adhùc ſpectentur.

Preterea eſt etiam apud Terracinam vivus ſaluberrimę aquę fons, cujus latices vel ipſius aquæ Nucerinæ virtutibus non invident. Porrò cum non multis ab hinc annis in hac Civitate ęgrotaret Excellentiſſimus Princeps de Taſſis, & Medicus quidam Averſanus prò ejuſdem ſanitate reſtituenda accerſitus advenifſet, & præfatam aquam delibaſſet admiratione correptus coram omnibus, qui aderant cunctis aliis aquis ſaluberrimis Regni Neapoli-

politani prætulit; idem mihi affirmarunt quidam Puteolani Cives, quos variis morbis tentatos felicitèr curavimus, magnis etiam laudibus illam extollebat Excellentiſſimus bonæ mem. Medicus Saldasbarra hujus Civitatis alumnus; unde non immeritò in ęgritudinibus in plúres uſus advocavi,& benè vertit;leviſſima enim eſt,febrilem calorem extinguit,& facile tranſit,corpus aliquando movet, calculos eiicit, & ad ſatietatem epota minimè corpus inflat;ſolo hujus aquę ſaluberrimę uſu plures mihi cogniti Cives morbi, quo tentabantur, ſævitiem evaſerunt. Ea nunc appellatur aqua S.Stephani propè cujus antiquum Monaſterium inter aliquas montis rupes proſilit; dici etiam poteſt aqua S. Benedicti, cujus miraculo emanaſſe tenent Terracinenſes, & profecto ſiquis ejuſdem originem contemplabitur,miraculoſam extitiſſe nequaquam inficias ibit, potiſſimum verò ſi legerit caput quintum de Vita S. Benedicti à S. Gregorio Magno deſcripta, ubi inquit.

Ex his autem Monaſteriis,quę cōſtruxerat,tria ſurſum rupibus montis erant, & valdè erat Fratribus laborioſum ſemper ad lacū deſcendere, ut aquam haurire debuiſſent, maximè qui ex devexo montis latere erat grave deſcendentibus in itinere periculum. Tunc collecti Fratres ex ejuſdem tribus Monaſteriis ad Dei famulum Benedictum venerunt dicentes. Laborioſum nobis eſt Pater propter aquam quotidiè uſque ad lacum deſcendere, & idcircò neceſſe eſt ex eodem loco Monaſteria mutari. Quos blande conſolatos dimiſit, & nocte eadem cum parvo puero nomine Placido, cujus ſuperius memoriam feci, ejuſdem montis aſcendit rupem, ibique diutiùs oravit, & oratione completa tres petras in loco eodem pro ſigno poſuit, atque ad ſuum cunctis illic reſiſtentibus Monaſterium rediit. Cumque die alio ad eum prò neceſſitate aquę prędicti Fratres rediſſent. Dixit ite, & rupem illam, in qua tres ſuper ſe invicem poſitas petras inveneritis in modico cavate. Valet enim Omnipotens Deus etiam in illo montis cacumine aquam producere, ut vobis laborem tanti itineris dignetur auferre.

Qui euntes rupem montis,quam Benedictus prędixerat jam ſudantem invenerunt, cumque in ea concavum locum feciſſent, ſtatim aqua repletus eſt, quę tàm ſufficientèr emanavit, ut nunc uſque ubertim defluat, ſcilicet tempore S.Gregorii Magni, nam

modo

modo tenui vena fluit. Erumpunt etiam haud longe à Civitate Terracinæ plures aliæ fontium limpidorum ſcaturigines, quas quia aquas inferioris pretii emittunt, ſilentio pręterimus. Inſuper exiſtunt paluſtres aquę pontinarum paludum,quę licet aerem Terracinen. inficiant putridis exhalationibus, & effluviis, ac multum afferant detrimenti, nihilominùs in eo utiles ſunt, quod ex jis conſletur fluvius Aufers, ſeù Ufens, per quem amęniſſima ſanè via ſub umbris arborum lintribus, ſeù Santalis, (ità vulgo vocant) Setiam, & hinc Terracinam aſcenditur, deſcenditurque; pręterea dictę aquę paluſtres magnum anguillarum proventum ſingulis annis exhibent, & fluvius ex eiſdem natus nobiles, & non parvo in honore habitos procreat piſces,nempè lupos (vulgo ſpigola) ac cephalos omnis generis, ex quorum captura plures familię Terracinen.tolerant vitam,& bene agunt.

V I N U M.

Vinum Terracinen. aut eſt album, aut rubrum: Album ex uvis albis exprimitur; rubrum, vel eſt ſaturum colore, adeoquè verè rubrum audit, vel colore dilutum, adeoquè rubellum appellatur vulgo (Ceraſolo;) primum ex uvis nigris tantum expreſſis conficitur, ſecundum verò ex uvis albis, & nigris ſimul permixtis, & eliſis. Rurſus vinum Terracinen. aut colligitur ex vineis, aut ex arboretis; illud generoſius, hoc levius eſt. Conſiderando itaque aeris noſtratis gravitatem, & craſſitiem magis confert quotidianus uſus vini albi, aut rubelli, quàm alterius ex ſolis uvis nigris extracti, utpotè adſtringentis, & tenues humores maſſæ ſanguineę incraſſantis; hujus tamen uſum, ubi fluxione nimia peccant humani corporis liquores, non improbo, & prę cęteris durat, cujus durationis etiam experimur rubellum ex uvis albis, & nigris expreſſum, atque una fermentatum; omnium autem facillimè vappeſcit, ac levi de cauſa marceſcit vinum album pręſertim adulta ęſtate ob tenues forſitan partes, ac ſpiritus, quibus conſtat, & qui facilè accolant, unde vappidum, & mucidum, aut marcidum evadit. Vinum vero tortivum, & operarium,quia ſuccus uvarum optimè defęcatus non eſt,ſeù album, ſive rubrum ſit,ſubito vitium contrahit, neque fert ętatem. Licet vinum Terracinen. vituperent multi, laudat nihilominùs illud

An-

Andreas Baccius lib.6. de vinis Italię ſic loquens; ſub Terracina vinum album, clarum, crudum Signino æmulum, ac eo magis laudabile, quod collibus ad marinam propinquis libera magis, ac laudabili fovetur aura: ſubſtantia, ac colore ut plurimum aquoſa, unde æſtate, quando maximè ad juſtam perveniunt maturitatem non vulgarem Romæ in Curialibus, ac mediocri ſubſtantia vinis obtinent laudem. Aureo commendatur nitore, ſubadſtringenti ſapore, non fumoſa, & quæ tamen dum in crateris funduntur pulchrè ob tenues ſpiritus ſcintillant, nec tentant caput, ob quas [ut reor] qualitates minùs noxia podagricis inveniuntur; & Auguſtinus Oldoinus Soc. Jeſu de Paulo Quarto in addit. ad Ciacconium pag. 828. ait. Vini item parciſſimus fuit cyatho uſus tàm exiguo ut avviculis propinari crederes, ipſoque nonniſi bis, aut ad ſummum ter hauſto. Vinum ne ad crura infirma deſcenderet, hauriebat atrum, & craſſum è Terracinorum vineis adductum. Vini itaque Terracinen. uſu gaudebat Paulus IV. Pontifex Maximus, cujus exemplum ſecuti ſunt nonnulli Italiæ Principes, inter quos ævo currente accenſendus eſt Excellentiſſimus Princeps de Taſſis, qui annuatim ſibi de vino Terracinen. provideri curat. Mirari quiſquam poſſet, cur de vino Terracinen. nulla fiat mentio apud veteres auctores? Talia perquirenti reſpondeo vinum Terracinen. olim ſub nomine vini Cęcubi tranſiſſe, atque idem fuiſſe; id, quod videtur innuere Plinius lib. 17. cap.4. dicens Cæcubæ vites in pomptinis paludibus madent. & lib.7. cap.5. Hinc Setini, & Cæcubi obtenduntur agri (vide) poſt Setinos agros ponit Cæcubos ſcilicet Terracinenſes: Quod autem Cęcubum vinum etiam in ſinu Amyclano colligi ſolitum lib.14. cap.6. inſinuet Plinius; id potuit accidere ex eo, quod vites Cęcubę in præfatum locum translatæ haud abſimile vinum protulerint, adeoque ſub eodem nomine vinum productum ex Cęcubis, & Amyclanis vitibus comprehenſum fuerit; Sanè qui Terracinen., & Amyclani ſinus tractum conſiderat, nullam quoad ſoli qualitatem in eo differentiam inveniet; unde credibile eſt utrobique Cęcubas vites floruiſſe, quæ tamen colonorum incuria interciderant, & ſub Domitiano Imp. iterum excultę fuerunt; forſitan hoc accidit ex ejuſdem Imperio cum ſeceſſibus ſuis Terracinam frequentaret, ut conſtat ex Martiali, & loca ſingula pręſertim Cęcubum ſinum perluſtraret. Vites Cęcubæ arboretis marita-

Digitized by Google

ritabantur, uti auctor eſt Plinius lib. 14. cap. 6. inquiens. Olim Cæcubo vino erat generoſitas in paluſtribus populetis vitem arboream alit, cujus vinum eſt præſtantiſſimum. Porrò Cæcubum vinum tali vetuſtatis prærogativa diſtinctum erat ab aliis, ut ſive à loci ſitu ſub marina aura, ſive à certo cultu id maxime perenne exiſteret, ac vetuſtiſſimum ſervaretur; propterea Cæcubi nomine vinum vetuſtiſſimum intelligebatur, & quaſi ad delicias, & in magnis faſtis ſervari ſolitum diutiſſimè, quod indicat Horat. lib. 1. Ode 37. dicens depromere Cęcubum cellis avitis; & Gal. in lib. de vinis. Romani inveteratum diù vinum Cęcubum, hoc eſt Terracinenſe deſignabatur.

A E R.

Quod Aer Terracinenſis gravis ſit, & intemperans res nova non eſt; unde miror, recentiores nonnullos adeò incaluiſſe, & defatigaſſe in illius pravitate arguenda, & exageranda, cum ſatis, ſuperque hoc aſſerant celebres ſcriptores memorabilis antiquitatis; ex his audi Ovid. lib. 15. Metam. dicentem.

Antiphatæque domus, Trachaſque obſeſſa palude,
Et tellus Circea, & ſpiſſi littoris Antium.

Sed præ cęteris nota Silii Italici verſus præclarè deductos lib. 8., ubi inquit.

Et quos peſtifera pontini uligine campi
Qua Saturæ nebuloſa palus reſtagnat, & atro
Liventes cæno per ſquallida turbidus arva
Cogit aquas Ufens, atque inficit æquora limo.

Potuit clariùs, atque tetriùs explicare qualitatem aeris Terracinen. Silius Italicus? Nihilominùs poſt tot annorum Curriculos ab ætate illius, qui floruit ſub Domitiano Imp. ſęculo primo reparatæ ſalutis, Terracina populo frequens, familiis illuſtrata conſpicuis referta divitiis, & delitiis affluens ſemper exculta fuit, neque erat deſpectui, perindè ac his poſtremis ſęculis cępit haberi, quamvis gravitate inclementis cęli uſque laboraverit; quin immò Imperatores, Reges, ac Summi Pontifices pluriès hùc ſe recipientes, ibidem dignati ſunt tutiſſimè, magnaque cum mentis, & animi jucunditate reſidere, & idem præſtiterunt Illmi Prçſules, Excmi Principes, aliique Nobiles Viri ſine ullo dubio deperdendæ ſanitatis: Ex his autem colligi poteſt, quod tanta pravitas

vitas

vitas non ingruat, ut Civitas Terracinæ incoli nequeat, etenim ſi perbenè ponderetur aeris prænominati qualitas, per ſe pravus non eſt, ſed merè per accidens, quatenùs contaminatur à putridis paludum pontinarum effluviis; Quod verò talis inclementia magis officiat modò, quam olim, in cauſa eſt populi infrequentia, & incolarum paucitas, quorum copia, & ignibus craſſus aer frangeretur, & corrigeretur. Ut autem in hac Urbe tuto habitare te doceam hoſpes, utar Petronii verbis ad Romanos dicentis. Cęlum hoc grave, & intemperans eſt, quare diluculo, & in crepuſculo, ne prodeas, niſi ſole ſplendente, [de meo addo,] & quoniam ob propinquitatem ad manum ſunt copioſa ligna ſylvarum, luculento utere foco.

CAP. XIII.

De Templis prophanis, Arcibus, Portu, Theatris, & aliis memorabilibus Terracinen.

Templum Jovis Anxuris.

Ethnica regnante Gente plura Templa prophana falſorum Numinum venerationi dicata extulit Civitas Terracina, quæ coluit ſuperſtitioſa Terracinenſium Antiquitas. Inter hæc primas tulit celeberrimum Jovis Anxuris Fanum, quod, uti auctor eſt Livius lib. 5. ſupra apicem montis Tarracinen. Urbi imminentis, vulgò (il Monte S. Angelo) extabat. Sic enim ille ait; Volſcis depopulato agro Anxur ne quidquam oppugnatum loco alto ſitum. In ſcopuloſo illo, præcipitique vertice Arx fuit, & in ea haud dubiè templum Jovis Anxuris. Eadem refert Michael Angelus Lualdus in hiſt. Eccl. Ovid., & Cluverius in hiſt. Italiæ, ubi agit de Terracina. Idem Livius lib. 28. inquit; multa prodigia nuntiabantur; Terracinæ Jovis Ædem, Satrici Matris Matutæ de cęlo tactam; an hæc Ædes eadem fuerit cum dicto Jovis Anxuris Fano, me latet; Cęterùm Franciſcus Schottus lib. 3. Itiner. Ital. aſſerit ſe propriis oculis ſpectaſſe præfati Jovis aram; inquiens. Et memini quidem me vidiſſe marmoream aram Jovi puero dicatam ex voto, ſicut ipſa teſtabatur inſcriptio antiqua. Conſtruxerant autem huic puero Jovi delubrum in eminentiori montis jugo Terracinenſes, ut quaſi è ſpecula, & Civitatem ipſam, & omnia circumſita loca ſua ficta Deitate cuſtodiret, juxta

Digitized by Google

illud Virgil. lib.8. Æneid.dicentis queis juppiter Auxurus arvis præſidet,& viridi gaudens Feronia luco.

Templum Bifrontis Jani.

Janus,qui Civitatis Terracinæ fundator, & omnium Regum ſuæ ætatis prudentiſſimus fuit, mortuus inter Deos relatus eſt, Templumque habuit apud Terracinenſes non procul à porta Albina poſitum in loco, qui adhùc nuncupatur (il tempio.) Viſuntur uſque ad hanc diem prædicti Fani celeberrimi veſtigia,quod, ut fama refert, ſicuti mos erat apud Romanos tempore belli patebat, tempore pacis claudebatur. Conſtruxerunt autem illud Anxurates, quoniam cum plura Templa falſis Numinibus excitaſſent, injurium ſibi videbatur, ſi idem facere fundatori ſuo neglexiſſent: Bifrons verò exprimitur Janus ob ſingulares prudentiæ, ac ſapientiæ dotes, quibus præterita ſcibat, & futura prævidebat.

Templum Divi Apollinis.

Templum Antiquitatis Apollini dicatum eodem loco, ubi nunc ſurgit Eccleſia Cathedralis Terracinæ, extabat; in eo ſus fęmina, ſeù porca Apollini immolabatur. Ad hoc ipſum dum traheretur B. Cęſarius, ut Diis ſacra faceret, ex parte corruit, Firminumque Idolorum Pontificem oppreſſit, cujus documento deteſtandus ille uſus inoleverat apud Terracinenſes, ut ſingulis annis juvenis aliquis per aliquod temporis ſpatium delicatè enutritus, pretioſoque obvolutus indumento oblato priùs Apollini porcę ſacrificio comitante magiſtratu, univerſoque populo ex alto montis vertice ſe pro Reip., & Civium ſalute præcipitem daret,uti legere eſt apud Surium die prima Novembris in actis ejuſdem B.Martyris, & Levitæ Cęſarii. Cęterum hoc Antiquitatis delubrum ea tempeſtate famoſiſſimū fuiſſe teſtantur tùm columnæ ſtriatæ pulcherrimæ ad viſum, tùm candidiſſimi marmoris parietes reliqui, qui externam faciem ejuſdem Templi exornant Architecto Cajo Poſthumio Cai Pollionis filio.

Templum Divæ Minervæ.

Haud procul ab eo loco,ubi nunc ſpectandum ſe præbet veluti ab eminenti ſpecula Conventus S. Franciſci Ord.Min. Conventualium, præclarum Minervæ fanum exurgebat; In eo, poſtquam tres mulieres Divæ ſacra feciſſent, de cęlo tactæ extinctæ ſunt: hujus rei mentionem habet Rm̃us D. Abbas Lucentius in

no-

novo opere Italiæ Sacræ, ubi de Epiſcopis Terracinen., ſed ante ipſum Julius Obſequens in lib. de prodigiis inquiens. Terracinæ in Æde Minervæ mulieres tres, quæ operatæ ſedebant fulmine exanimatæ ſunt. Plena ſunt ruderibus antiquis ædificiorum dirutorum ex corpore tanti delubri circumſita loca S. Franciſci, ut viſui patet.

Templum Deæ Fortunæ.

Fortuna quoque ſuum fanum apud Anxurates obtinuit, quod ſurgebat haud procul ab Ædibus Jani loco tamen eminentiori, & propè Arcem recentiorem, & præſentem, (olim arx erat alibi) Terracinæ. Extant adhùc ejus veſtigia; ſed quod adnotatione dignum occurrit propter illius radices Rotam pulcherrimam viſu ex lateribus præduris compactam erexerunt Terracinenſes, quæ adhùc viſitur, & appellatur vulgò (la Rota.)

Templum Deæ Majæ.

Maja Mercurii mater, & Templum, & Portam ſui nominis habuit Terracinæ. Porta extat, & nuncupatur adhùc Maja; fanum verò corruit; obſervantur nihilominùs non longè à dicta porta illius veſtigia apud viridarium Perilluſtris familiæ de Fatigatis à Medico oriundæ. Alia quoque delubra Diis vanis dicata extitiſſe ferunt, quia verò de iis nil certi teneo, omitto.

Templum Divæ Feroniæ.

Templum Divæ Feroniæ tribus milliaribus ab Urbe Terracina diſſitum extitiſſe docet Horat. lib. 1. ſerm. ſatyr. quinta his verſibus.

Ora, manuſque tua lavimus Feronia lympha
Millia tum pranſi tria repimus, atque ſubimus
Impoſitum ſaxis latè candentibus Anxur.

Hoc templum Annibalem irrito belli eventu Roma reducem ſpoliaſſe refert Livius lib. 26. Ejuſdem originem ità deſcribit Dionyſ. Halicarn. lib. 2. Lacædemones ob aſperiores Lycurgi leges alias colonias quæſituri cum ad Pomptinos Italiæ campos delati eſſent, ut quovis modo Diis illùc conducentibus reſponderent Ædem Divæ Feroniæ, cui vota fecerant, conſtruxerunt, quam nunc una littera immutata Faroniam appellant; Marcus Varro Libertatis Deam dicit Feroniam, quaſi Fidoniam, quod etiam confirmat Servius inquiens. Hæc etiam Libertorum Dea eſt, in cujus Templo Terracinæ ſedile lapideum fuit, in quo hic ver-

verſus inciſus erat, Benemeriti ſervi ſedeant, ſurgant Liberi, & raſo capite pileum accipiebant; idem confirmat quoque Dalecampius in notis Plinii lib.2. cap.55. his verbis. Feronia libertorum Dea, in cujus Templo ij ſive bello capti, ſive compedibus, ac ergaſtulo educto, ſeù vindicta manumiſſi forent, ſeù teſtamento, ſeù cenſu Liberorum ſtatum, munera, & conditionem accipiebant Alex. ab Alex. cap. 104. In Feroniæ templo numine afflati ſuper ignem citrà noxiam incedebant, ut & virgines dicatæ Templo Dianæ Perſicæ in Caſtrabalis. Fuit itaque hoc fanum apud tertium ab Urbe Terracina lapidem, qua Romam itur apud ipſam viam Appiam, ibidemque fons, & lucus erat. Feronia autem Dea Juno erat juxtà comment. Servii dicentis: Circa hunc tractum campaniæ colebatur puer Juppiter, qui Anxurus dicebatur, & Juno Virgo, quæ Feronia dicitur; eadem confirmat Ulyſ. Aldrovandus in ſua dendrologia pag.72.ubi ait. Juno ſub nomine Feroniæ Terrecinenſem alium lucum obtinuit; hujus meminit Virgil.8.Æneid.illis verſibus.

Queis Juppiter Anxurus arvis
Præſidet, & viridi gaudens Feronia luco.

Quem locumità commentatur Servius. Non vacat emditione, quod addidit viridi, nam cum aliquando hujus fontis lucus[fons enim, & lucus erat] fortuito arſiſſet incendio, & vellent incolę exinde trans ferre ſimulacra, ſubito reviruit; ſed credat Judæus Apella, fabulam enim, & non rem geſtam, ſicut, & nos,credit Cluverius.

De Arcibus Terracinen.

Arces Terracinenſes apud plures ſcriptores Antiquitatis, potiſſimum verò Poetas invenies laudatas, ſuperbique nominis titulo inſignitas, de quibus ita Lucanus lib. 3. bellorum civil.

Jamque, & præcipites ſuperaverat Anxuris arces; Et Statius lib. 1. ſylvarum carm. 3. ubi de villa Tiburtina Vopiſci ait, cedant vitreæ juga perfida Circes Dulichiis ululata lupis, arceſque ſuperbæ Anxuris. Ex his colligimus, Arces Terracinenſes admirationi fuiſſe advenis,unde anſam dedere Poeticis laudibus, de quibus ſupra. Quinque autem Arces Terracinæ extitiſſe compertum habeo,quarum duæ in planum demiſſę dirute jacent:Tres verò adhuc eminentes ad publicum beneficium extant; ex his una

Digitized by Google

una ſemper cuſtodiis munita eſt, altera æſtivo tantum tempore armatur, ultima verò fere nunquam. Diruta jacet Arx S. Angeli, propè quam erat templum Jovis Anxuris, & hæc tanquam ſpecula hoſtium progreſſiones è longè explorabat, necnon Arx Minervæ, alias S. Franciſci, propè quam extat ejuſdem Fratrum Conventus, & hęc Terracinenſis portus oram, & Civitatem ipſam cuſtodiebat: Hac diruta cum portus ipſe in continentem faceſſeret; erecta fuit alia, quæ modo extat, & cuſtodiis munita Urbem ipſam, & nautarum cymbas tuetur. Eam excitaſſe reor Eugenium Tertium, poſtquam Terracinam à Dominio B. Petri alienatam recuperavit. Talis enim memoria legitur in media arce in pariete meridiem verſus.

EUGENIUS PAPA III.

HOc opus glorioſè ipſius memoriam repræſentans fieri juſſit, qui mira animi virtute, & honeſti ſtudio præditus regalia multa longo tempore amiſſa B. Petro reſtituit. Quorundam vitium in modum honeſtatis redegit, nequid judices à quoquam peteret, neve quid à quoquam ante deciſam cauſam acciperet poſt deciſam oblatum quid verecunde, & cum gratiarum actione ſuſciperet. Arx iſta vulgo dicitur (il Caſtello,) ejuſque Pręfectus(il Caſtellano)qui multos milites auxiliares habet. Hæc anno 1702. die 9. Novembris circa octavam horam noctis, cum ei pręeſſet Petrus Antonius Contator meus Genitor è cœlo tacta eſt, adeò tamen terribilis fuit irati fulminis fragor, & vis, ut ante deſcenſum ferè totam Civitatem horrore afficeret, Civeſque ſomno excitatos conſternaret, ac tandem decidens duas ejuſdem Arcis ciſternas aqua plenas cum magna parte muri diſſipaverit.

Peſculum Montanum.

Arx eſt littori maris proxima, & haud procul ab oſtio veteris Portus Terracinen. poſita, ejuſdemque oras cuſtodit, quem ad finem æſtivis præſertim temporibus militum cuſtodiis munitur: Portam habet infra in via Romana omnem aditum à Regno Neapolitano hoſtibus impediens ex duriſſimo ſilice, & nullibi interrupto conſtat, quam L. Valerium Flaccum Cenſorem M. Percii Catonis ſocium in ſua cenſura concinnaſſe deiiciendo, &

æquan-

æquando ad ſolum ejus ſuperfluam partem opinamur: De Valerio ità Stephanus Phighius tomo 2. annal. Rom. lib. 10. Flaccus molem ad Neptunias aquas Terracinæ exiſtentes jecit, [ſeù dejecit] ut iter Populo eſſet, & viam per Formianum montem ſtravit, & Livius lib. 39. ait. Opera deinde facienda ex pecunia publica in eam rem decreta, lacus ſternendos lapide, detergendaſque, qua opus eſſet, cloacas in Aventino, & in aliis partibus, qua nondum erant, faciendas locaverunt, & præſertim Flaccus molem ad Neptunias aquas, ut iter Populo eſſet, & viam per Formianum montem; quod ita interpretatur Cluverius.

Haud dubium igitùr eodem regionis tractu, & Neptunias iſtas fuiſſe aquas, nempè apud Terracinam, ubi Neptunium fontem collocat Vitruvius. Molem autem iſthanc jecit Flaccus inter mare, & prædictum montem, ex cujus imis radicibus oriebantur calidarum aquarum fontes protinùs in mare efluentes, namque tàm propè mons ad mare accedit, ut tranſverſæ tantum viæ ſpatium relinquatur. Haud procul à Peſculo Montano fontem Neptunium, ſeù Charonium paritèr collocat Kircherus dicens. Cui rupes præcelſa, ac formidabilis imminet militum pręterea inſtructa cuſtodiis hoſtibus omnem ex Campania aditum intercludens: Non procul indè ſpectatur charonius fons, cujus virulento habitu, & homines, & bruta conficiebantur. De iſta Arce ita Schottus in ſuo Itiner. Italico. Appia viarum Regina detinet ibi peregrinum viatorem ſtructura ſua eximia, & conſideratione reliquarum antiquarum, atque in primis ubi in planum, ac rectum ſcalpris ferreis ad littus Terracinenſi promontorio exciſi eſt è duriſſima caute. Stupet ſpectator admirabundus rectæ viæ planum unius ſaxi pavimentum ſub pedibus porrectum per paſſus plus minus viginti in longitudinem munitum quidem [ut Appia tota fuit] ab utroque latere limbis bipedali latitudine eminentioribus, qui viatore pediti ſemitam ſiccam præbent; quibus adjecti lapides eminentiores, veluti baſes quædam per decimum quemque pedem, è queis in vehicula, vel equos ſcanſio fieret commodior. Quis non miretur ſolidum ex eadem candenti rupe parietem explanatum in ſummam altitudinem, quam per pedum decades multas characteribus numeroſum magnis ſingularum decempedarum diſtantia ſculptis curioſa vetuſtas poſteris demonſtrare voluit: Quem non delectatione afficeret graphico-

rera

tera characterum illa ſymetria, proportioque, qui æque magni è longè in altiſſimi parietis ſummitate, ac in imo intuentium oculis occurrunt? & Joannes Henricus in ſuo Mercurio Italico ſcribit. Nec minus propè Terracinenſe promontorium cernes immanem ad ſolum uſque ferro decuſſam cautem, æquatamque pavimenti in modum viginti fermè paſſum longitudine, latitudine trium. Adſpicies ſaxeum parietem è ſimili cadenti rupe formatum, lævatumque inſigni latitudine. Admiraberis plures inciſos verſus ſenſim creſcente litterarum magnitudine, quam tamen infra ſuſpicientes oculi non animadvertunt, ſed ſummas, ac remotiſſimas litteras proximis, & infimis æquales videre videntur; nempè peritus ſculptor exacta viſus, & loci altitudinis collatione tantum auxit diſſitarum litterarum formam, quantum oculorum vis excurſa decreſcit.

Ferronum.

Turris eſt octangula propè molendina hujus Civitatis extructa, vulgo (la Torre delle mole,) lapidibus quadris conſtat, antiquiſſima, ac nobilis ſtructuræ, eſt in altum ſatis, ſuperque porrecta, infrà habet portam, qua aditus hoſtibus tempore civilium bellorum impediebatur; hodiè quoniam ſub Principe pacifico tota Campania, & Maritima nullis quatitur tumultibus ſine militum cuſtodiis jacet.

Pulcherrima viſu erat, ſed annis elapſis de cælo tacta nimis deformata eſt, ut cuilibet illac tranſeunti videre licet. Memoratur in Sacramento fidelitatis Romano Pontifici Innocentio III. à Terracinenſibus delato; ubi ità legitur. Munitiones quoque quas circa Civitatem habemus ſcilicet Peſclum Montanum, & Ferronum dabimus ad opus, & mandatum ipſius Domini Papæ tenendas nec vi, nec dolo auferemus eas illis, qui de ipſius mandato ipſas tenebunt. Pluries verò ſub nomine Turris Molarum benè, vel malè audiant ejus Præſides, ſeù Caſtellani, ut patet ex epiſtola tenoris ſequentis.

Ladiſlaus Dei gratia Hungariæ, Jeruſalem, & Siciliæ Rex.

. . . *Joanni de Mira de Gajeta Caſtellano Turris Molarum propè Terracinam, vel ejus Locumtenenti, ſeù Viceca-ſtellano præſenti, & futuro fidelibus noſtris dilectis gratiam, & bonam voluntatem.*

NUper diſpicentèr accepimus, quod tu præſens Caſtellane, ſeù Vicecaſtellane, aut Locumtenens exigis, & exigere niteris, ac præſumis, & prætendis certum inſuetum, & indebitum pedagium, ſeù vectigal ab hominibus, & perſonis tranſeuntibus cum ſalmis, rebus, & bonis per paſſum ipſius turris molarum in eorundem tranſeuntium libertatis præjudicium, & gravamen, & Communitatis præfatæ Civitatis Terracen. moleſtiam, & infamiam. Super quo noſtra proviſione petita nos hujuſmodi inſuetata onera plurimum abhorrentes vobis tenore præſentium de certa noſtra ſcientia diſtrictè præcipimus, & mandamus, quatenùs tu præſens à talibus penitùs, & omninò deſiſtas; necnon, & tàm tu præſens, quàm vos alii ſucceſſivè futuri ab hujuſmodi indebita exactione vos totalitèr abſtineatis, & illam de cetero non petatis, nec vobis fieri quomodolibet præſumatis, ſi habetis gratiam noſtram caram, & indignationem cupitis evitare. Vos in præmiſſis talitèr habituri, quatenùs de præmiſſis ad nos ulteriùs querela non veniat. Præſentes autem litteras parvo noſtro ſigillo munitas vobis in præmiſſorum teſtimonium duximus dirigendas valituras, proindè ac ſi magno noſtro ſigillo pendenti ſigillatæ forent, & aliis noſtræ Curiæ ſolemnitatibus roboratæ Edito de non admittendis cedulis, & aliis quibuſcumque in contrarium facientibus non obſtantibus quoquo modo. Quas poſt earum opportunam inſpectionem pro cautela vicibus ſingulis reſtitui volumus præſentanti. Data in caſtro noſtro. . . . ſub eodem parvo noſtro ſigillo propè Neapolim 15. Septembr. indict. 7.

Plinius lib. 2. cap. 55. de hac Turri loqui videtur, inquit enim. In Italia inter Terracinam, & Adem Feroniæ Turres belli temporibus deſiere fieri nulla earum non fulmine diruta [ut ait Dalecampius hic in adnot. nonnullę earum fulmine dirutæ] Certè

tè

tè præter Turrim Ferronum duæ aliæ Arces è directo ſupra radices, & dorſum montis Ferronii dirutæ ſpectantur, è quibus ab alto montis jugo, ubi Turris ſpeculatrix erat, & exploratoria, murus ductus eſt uſque ad Turrim infimam in Via Romana poſitam (vulgò Ferronum) ſub qua arcus cum porta erat lapideus, ut cuilibet ſpectare eſt, omnem aditum ex Maritima, & Campania hoſtibus intercludente. Pluries autem propter Arcium commoditatem Terracina præſidii loco fuit Ducibus Romanis. Hinc tempore bellorum civilium inter Cęſarem, & Pompejum Rutilius Lupus cum tribus cohortibus Tarracinam obtinuit, ut Appiam viam obſideret, & Latium tueretur, de quo ita legimus in commentariis de bello civili lib.1., ubi de Cęſare Brunduſium verſus ab Urbe ducente exercitum. L.Manlius Prætor Alba cum cohortibus ſex profugit, Rutilius Lupus Prætor Terracina cum tribus, quæ procul conſpicatę Cęſaris equitatum, cui pręerat Bivius Curius, relicto Prętore ſigna ad Curium transferunt, atquè ad eum tranſeunt.
Itaque Lupus prætor deſertus à ſuis poſtea Romam eſt reverſus, ut Soſius, & alii demonſtrant Vitellio autem, & Flavianarum partium Ducibus de Orbis imperio contendentibus in Terracina ſuis partibus addicenda maximum tàm gravis cauſæ momentum fuit, ut penes Tac. lib.3. hiſtor. videre eſt, ubi inquit, Collata utrinque caſtra haud magna cunctatione Juliano in partes Veſpaſiani tranſgreſſo Terracinam occupavere mænibus, ſituque magis, quam ipſorum ingenio tutam, & alibi eodem lib. ait.

Iiſdem diebus L.Vitellius poſitis apud Feroniam caſtris excidio Terracinæ imminebat; & Paulo poſt. Fuere, qui uxorem L.Vitellii Triariam inceſſerint, tanquam gladio militari cincta inter luctum, cladeſque expugnatæ Tarracinæ ſuperbe, ſæveque egiſſet, initio autem lib. 4. idem auctor docet, quemadmodum Civitas pavida, & ſervitio parata, occupari redeuntem Tarracina L. Vitellium cum cohortibus, extinguique reliqua belli poſtulabat; & inferiùs Capuæ legio tertia hjemandi cauſa locatur, & domus illuſtres afflictæ cum contra Tarracinenſes nulla ope juvarentur. Solatio fuit Servus Verginii Capitonis, quem proditorem Tarracinenſium diximus patibulo affixus. Eadem ferè narrat Sabellicus, qui Æneid. 37. libro 3. pagina 214. ait.

ait. Jam Narniam pervenerat [ſcilicet Vitellius] cum tumultuosè affertur Terracinam, quæ ad inferum mare ſedet à Flavianis teneri; & Paulo poſt inquit; ſub idem tempus L. Vitellius Vitellii Principis frater Terracina proditione recepta ex Claſſiariis, qui ad Flavianos defecerant, quamplurimos occidioni dedit, navibus prȩter paucas, quæ primo tumultu evaſerant, aut captis, aut pondere ſeſe ingerentiū in portu depreſſis. Apollinaris defectionis auctor, qui vivus in hoſtiū poteſtatē venit verberibus cæſus in Lucii conſpectu interficitur, & ibid. pag. 216. Vitellius Flavianis in Urbem irrumpentibus tentavit primo Terracinam ad fratrem profugere, proceſſitque in Aventinum uſque ad domum uxoris, mox damnato conſilio in Palatium eſt reverſus, & Cic. lib. 8. ad Attic. epiſt. 13. pag. 222. inquit. Nunc quoniam auctoritate, & conſilio tuo in ſpe firmiore ſumus, ſi teneri poſſe putas Terracinam, & oram maritimam, in ea manebo, & ſi præſidia in oppidis nulla ſunt: demum Palma vir Conſularis Terracinæ interfectus ſcribitur apud Alium Spartianum eo, quod cædem in Adrianum Imp. eſſet molitus.

De Portu Terracinen.

Portus eſt locus à ventis remotus à deportandis commerciis dictus, teſte Iſidoro. Portus autem Terracinenſis, nonnullis Angi portus dictus eo, quod os ejus eſſet anguſtum, ut etiam num cuilibet videre eſt. Inter magnificos Italiæ Portus numerabatur, modò tamen mirabili rerum eventu limo paulatim invecto, areniſque congeſtis terra eſt continens, & ibidem frumentum ſeritur, & arboreta adſunt. Eum reſtituiſſe dicitur Antoninus Pius Imp., cujus imperio excavatione facta effictus eſt monticulus ille arenoſus, vulgò (Montoni.) Hac ſuper re ità Julius Capitolinus in Vita ejuſdem Antonini. Cajetæ portus, Terracinenſis portus reſtitutio. Fabius Maximus Dictator Annibalis hac Romam verſus iter impediturus Minutium ad Angi portum Terracinen. quibuſcumque poterat modis muniendum miſit, uti docet Livius lib. 21. Sixtus Quintus anno 1589. Tarracinam venit ea mente, ut portum reſtitueret, ait Theodorus à Valle lib. 2. cap. 10. in hiſt. Privern. nihil tamen tentaſſe ſcrinatur morte prȩventus. Quo tempore, aut quo auctore hic portus factus ſit nobis ignotum, antiquiſſimus tamen eſſe creditur. Joan. Henricus in ſuo mercurio Italico ita loquitur. Magnifici ab Antonino Pio in-

inſtaurati portus aliqua veſtigia ſuperſunt. Quem Imperatorem minimè ambigo molitum illa inſuper opera fuiſſe, quæ in vicina vides portici adſtructa, ob quæ, ut opinor Julius Capitolinus inter inſignia ędificia portum Terracinen.celebravit.Livius lib.24. navium longarum ſpecies in flumine Tarracinæ viſas enarrat. Julius verò obſequens in lib. de prodigiis ità habet. M. Æmilio, Cajo Hoſtilio Mancino Coſs. Terracinæ M. Claudius prætor in nave fulmine conflagravit. Appio Claudio. M. Perpenna Coſs. Terracinæ ſereno navis velum fulmine exanimatum, in qua dejectum, & impenſas omnes, quæ ibi erant, ignis abſumpſit. Quo uſque autem portus dictus duraverit, exploratum non eſt; nominat illum Carolus Siciliæ Rex in quadam epiſtola Terracinenſibus data; quæ ſic habet.

Carolus Dei gratia Jeruſalem, & Siciliæ Rex.

Nobilibus Viris. . Poteſtati,& Communi Civitatis Terracinæ dilectis noſtris. Salutem, & dilectionem ſinceram.

JAm ſæpè numero ſcripſiſſe vobis, voſque amicabilitèr requiſiſſe meminimus, ut galeam noſtram, quæ in portu veſtro eſt per Nuncios noſtros ad id miſſos recipi, & abinde ſineretis abduci, cum itaque vos id uſque adhùc facere noluiſſe ipſius rei monſtret effectus, ſuper quo etiam Rectorem Campaniæ ſcribere vobis accepimus, dilectionem veſtram denuò requirendam duximus, & hortandam, quatenùs abſque ulterioris impedimenti,ſeù difficultatis obſtaculo prædictam galeam per Nuncios noſtros portitores præſentium de portu veſtro extrhai,& abduci liberè permittatis;tantum indè facturi,quod nobis circà hoc aliud apponere remedium non ſit opus.Dat. . . . ſub ſecreto ſigillo noſtro 7.Martii 2.indict.

Penes Odoricum Raynaldum tomo 13. ad annum 1254. legitur ità. Intereà Summus Pontifex (ſcilicet Innocentius Quartus) in Sicilia Nuncios miſerat ad Petrum Ruffum de Calabria, qui Siciliæ, & Calabriæ bajulus fuerat ordinatus ſub Marchione Bertoldo, quorum Nunciorum tractatu ad Id deventum erat, quod dictus Petrus Ruffus Falconem nepotem ſuum, & alios ſolemnes Nuncios prò parte ſua in Civitate Meſſana miſit ad Papam

Digitized by Google

pam cum duobus galeis per mare uſque Terracinam venientes: Per hæc enim tempora uſque ad Pontificatum Urbani Papæ V. portum Terracinen. extitiſſe indicant acta publica ejuſdem Civitatis; qua verò hominum ætate poſtmodum perierit, incertum omninò eſt; Nonnulli ajunt, oppletum fuiſſe ſub Paulo IV., ſed fides ſit penes auctores. Ex hujus portus jactura mirum quantum Civitas Terracina decoxit, hujus enim amiſſio omnes mercatores cum ſuis opibus,ac plures illuſtres familias procul hinc abegit; hujus amiſſio evertit proventus, & cunctos introitus, atquè omnibus bonis Urbem antiquiſſimam exinanivit: At quod pejus eſt, licet in præſentiarum portu careat Terracina, non tamen immunitate, ſeù Sacroſancta vacatione fruitur, quàm adventu Aſtrubalis in Italiam ſuſpenſam fuiſſe, ex Livio docet Blondus, pluribus enim ſubjacet incommodis, ſumptibuſque propter maris viciniam. Hinc immeritò præter Arciş Præfectum, tres alios cuſtodes in Turribus ſitis ad proximum littus propriis impenſis ſuſtinet; quæ ſunt Turris Baudini propè fluvium Ufentem, Turris Gregoriana poſita haud longè à confinibus Regni Neapol. ad mandatum ſan.mem.Gregorii XIII. extructa,ac demùm Clementina nuperrimè juſſu Sanctiſſimi D.N.Clementis Papæ XI.erecta; olim dicebatur Ligula, ſeù Legula, aliàs Oleula, ibi antiquitùs Fluvius Ufens egerebatur in mare; excitatæ ſunt autem præfatæ Turres ob copiam piratarum, & latronum, qui Tyrrhenum mare infeſtabant; unde eoſdem excommunicationis ſententia ità fulminat Paulus Quintus in bulla,quam affert Abraham B.Zovius cap.31. pag. 370. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Curſarios, ac latrunculos diſcurrentes mare noſtrum præcipuè à Monte Argenterio uſque ad Terracinam, & omnes eorum fautores,receptores, & defenſores.

De Theatris Terracinen.

Ex Theatris Terracinen. notiſſimum eſt illud, quod erat in Salixano, vulgò (Saliſſano) propè vineam perilluſtris familiæ de Lucatellis, ac noſtrum fundum nonnullis oleis conſitum: Celeberrimum fuiſſe teſtantur reliqui ſilices maximi, qui longè, lateque viſuntur, & benè lęvigati prò fundamentis ſine calcis ope mirabilitèr commiſſi ſunt: Ibi ut pluries accepimus ex viris eruditis fiebant ludi agonales; præterea ſupra apicem montis Terracinæ imminentis (vulgò il Monte S.Angelo) illud aliud celebre

bre

bre theatrum conſpicitur, de quo Kircherus de Latio novo, & veteri. Inter cætera ibidem in monte vicino juxtà Monaſterium S.Angeli nobile theatrum ſe ſpectandum præbet, cui vix par in Italia haud facilè reperies. Theodoricus Rex Gothorum maximè hujus loci, & ſitu, & amænitate gaudere viſus eſt, unde præter inſtauratam Urbem paludum quoque pomptinarum exiccationem hic orſus eſt. Ejuſdem theatri auctor præfatus Theodoricus à nonnullis perhibetur eo, quia more Gothorum ex ſilice quadro conſtat. Quin immò apud omnes Terracinenſes conſtans, & confirmata ſemper fuit opinio, ipſummet Theodoricum Palatium ſibi Regium ibidem conſtruere voluiſſe, ac novam Urbem efficere, uti oſtendunt illa murorum veſtigia, quæ in circulum quaſi Urbem amplexatura eſſent, conſtructa videntur, ſed morte prę-ventus opus imperfectum reliquit. Indicat hoc Paulus Diaconus lib.17.hiſt.illis verbis. Theodoricus verò dum per idem tempus apud Italiam regnaret per ſingula quæque celebriora loca regia ſibi habitacula conſtruxit. Propter hujus theatri ædificia, ubi & & Monaſterium S.Angeli ante annum milleſimum Æræ Chriſtianæ excitatum fuit à variis Religioſis Viris, qui vitam eremiticam ducebant, uti teſtantur vel ipſæmet cellulæ ibidem exiſtentes, priſcis temporibus erat Arx Urbis, & in ea templum Jovis Anxuris, id docet Livius lib.5. dicens. In Volſcis depopulato agro Anxur nequidquam oppugnatum loco alto ſitum. At in ſcopuloſo illo, præcipitique vertice Arx fuit Urbis, & in ea haud dubiè templum Jovis Anxuris. Leander Albertus in ſuo Latio ità loquitur. Supra jugum montis Terracinen. Urbi imminentis propè Monaſterium S. Angeli nobile theatrum quadrata figura exiſtit, cui ſimile in Italia, immò extra ipſam Italiam nunquam me vidiſſe confiteor. Reliquæ verò ędificiorum ruinę, quæ vel per planitiem agri Terracinen., aut ſuper verticem montis ejuſdem Civitatis ſpectantur nihil aliud ſunt niſi aut cadaveroſa monumenta arcuum triumphalium, vel ſepulchralium, vel peryſtiliorum Viam Appiam, aut Romanorum villas, & prędia nobilium Terracinen. exornantium, aut reliquię veteris Civitatis, & Pagorum ejuſdem. Porrò regina viarum Appia, quę nullibi magis integra, quàm apud Terracinam obſervatur, antiquitùs ſuprà dorſum montis S. Angeli, ubi in planitiem agri Vallarani ſe explicat, tendebatur per ſuperiora montium, & arctas fauces Lau-

Laurularum uſque ad campum de Barchis (licèt poſtmodùm per inferiora propè littus maris ſtrata fuerit, uti adhùc durat,) quamobrem per loca ſuperiora prefati montis hinc, atquè inde edificiorum, & ſepulchrorum crebra, ac clara monumenta, quibus hęc via ornata fuit, viſuntur. Erat quippè olim admodum in uſu, ut ſecundum vias ſepulchra mortuorum ponerentur; quo prętereuntes admonerent ſe fuiſſe, & illos eſſe mortales, ut Varro inquit. Fuit autem ipſa opus Appii Cenſoris, qui facto ſanè mirabili viam à Porta Capena duxit Capuam uſque per pomptinas paludes, & hanc ipſam Trajanus Imp. à Capua, ubi vetus Appia finiebat Brunduſium uſque produxit, quinimmò plures pontes per pomptina ſtagna erexit, & circa appoſuit crebra ędificia,ut Dio Gręcus narrat. Erat verò eadem via lata pedes quinque, & viginti, nonnihilque eminebat aggeris inſtar, atque idcircò, ne aut diffiueret, aut ſilicum nigricantium, latiſſimorumquè compages ſolveretur, oportuit firmos utrinque adſtrui margines, qui adeò connexi, & validè inter ſe hęrent, ut ſpeciem viſentibus prębeant non coujunctos ità, ſed congenitos eſſe, & quamvis tot ſæculis atterantur aſſiduis plauſtris, jumentiſque attamen neque ſerie ſua, vel minimum exeunt, & dimoventur, nequè franguntur, aut lęvorem amittunt, ait Procopius: Prętereà nequid aut ornamento ejus, aut commodo viarum deeſſet poſt ſingulos duodenos pedes ſinguli interjecti lapides fuere excelſiores, ut ex iis & inſcendi in equũ poſſet,& feſſi pedites conſidere in iis tanquam ſedilibus, aut onera reclinare poſſent. Hoc C. Graccus commodi, & ornatus addidit Appię vię, inſuper ſingulis milliaribus, quod ſignum eſſet, ſingulus appoſuit columellas, decoram rem, & utilem, ait, iter facientibus, Quintilianus, quibus multum detrahunt fatigationis notata inſcriptis lapidibus ſpatia,& Rutilius Claudius.

Intervalla viæ feſſis præſtare videntur,
Qui notat inſcriptus millia crebra lapis.


Hodie cernere eſt eam partim eminentem, inter aquas partim demerſam, ſepultamque inter pontium, & ædium, aggerumque ruinas. Strabo lib. 5. inquit; Propè Tarracinam, qua Romam itur propter viam Appiam foſſa longa ducta eſt,quæ paluſtribus, fluvialibuſque impletur aquis, ea noctu maximè navigatur, ut qui navim veſperi intrant, manè egreſſi Appia via pergant, ſed, & in-

& interdiu muli naves loris trahunt. Erat itaque Via Appia ducta ab Urbe Roma Brunduſium uſque.

De Terracina Subterranea.

Hactenùs perluſtravimus externam ſuperficiem ſoli, Urbis Terracinen., de qua plura alia eſſent dicenda, ſed ea brevitatis ergo prætermittimus; ſupereſt modo, ut intima quoque terræ, ipſiuſque cryptas ſcrutemur, & quidquid indè eruitur, obſervemus. Conſiderando itaque partes ſubterraneas Terracinæ, concavas eſſe conſtat plures enim ſpecus ſubſunt, arte tamen mirabilitèr factæ, ſupra quas præfata Civitas conſtructa eſt: Ex his notiſſima os habet licet obſtructum propè forum S. Cæſarii, & in quatuor alias ſpeluncas diſtinguitur, quæ mirabili ſane artificio arcuatæ totam ferè Civitatem infrà diſcurrunt, eandemque ſuſtinent. Cæteris ſilentio involutis antrum calidum, ſive obſcurum, quod jacet ſub theatro S. Angeli, & versùs meridiem os aperit, ſubire fas ſit. Hoc eſt naturæ opus, & in eo plura mirabilia eadem natura operatur, videbis enim ex omni latere illius aquam guttatim ſtillare quæ modo congelatur in ſtirias, modo concreſcit in arbores, modo crucem efformat, ac modo in omnis generis formas mirabilitèr abit; quibus mæandris, tortuoſiſque flexibus tale ſpecu diſtinguatur, aut potiùs implicetur, difficilis eſt explicatio; quouſque ſubrepat infra terram, ignoratur; ajunt qui ejus intima penetrarunt, ubi ventum eſt ad certum terminum, exaudiri fremitum maris; hyeme autem ſemper calet, æſtate vero ſemper friget, uti experientia notum fecit; effluvia ſulphuris odorem referentia percipiuntur, unde in aliquos uſus medicos vocari poſſe crediderim: Tradunt nonnulli pluriès hic ſe recepiſſe antiquos Chriſtianæ Fidei cultores tempore tyrannicæ perſecutionis, ut manus impiorum effugerent. Hinc modo Terracinam revertamur; fuit enim nupèr inventa ſub ampla domo Perilluſtris familiæ de Bellis quædam ſpelunca, quæ perpulchro fornice ſpectatorem in admirationem trahit; hanc prò balneorum uſu conſtructam fuiſſe, ſunt qui autumant, quia plumbei ſyphones ibidem reperti cum ſtatua candidi marmoris fœmineam effigiem repræſentante. Porrò quam varia ſint rudera candidi aut alterius generis, marmoris, ac diverſæ, & pulcherrimæ ad viſum plateæ, quæ Terracinæ occurrunt, ubi excavatio fieri contingit, nemo ſane poterit in animũ inducere, niſi oculis illa ſubiiciat.

ciat. Hinc rectè arguitur, quod præſens Civitas diverſa omninò ſit, & aliam habeat faciem ab illa antiqua, quæ florebat tempore Reip. Romanæ, præſertim verò cum hodiernæ domus pervetuſtis fundamentis non reſpondeant, uti experientia palam fit, & ædificii genus penitus differat à veteri, quà de re conſulere poſſumus templum Apollinis, & reliquias ædium celeberrimarum, ubi vivicomburio extincta eſt Sanctiſſima Virgo Domitilla una cum ſociis; quippe prò fundamentis ſunt lapides maximi, benè compacti, lævigati, atque præduri; ſuperiora autem ædificii componunt laterès rubri, duriſſimi, & rectè, rationeque commiſſi: Quam magna antem ſit numiſmatum vis, quæ Terracinæ è locis ſubterraneis eruitur, vix capit fidem: Horum plura habet doctus, ac nobilis vir Dominus Joſeph de Bellis, & plura dono dedit Illuſtriſſimo Gonderio tempore ſuæ Rectoriæ in hac Provincia: Exprimuntur in iis ferè omnium veterum Imperatorum imagines, coniugumque eorundem, & alia id genus ſimulacra; ſed his, & aliis omnibus omiſſis lectori proponere decrevi numiſma ex cupro ſæculo ſuperiori inventum Terracinæ, quod impreſſum extat apud Ciacconianum opus recens editum tomo 1. in vita S. Petri Apoſtoli, & eſt tale ex una parte adeſt effigies S. Petri, & nomen inſculptum Petrus Galile, ex altera verò ſolum nomen Neronis ità Cęſar Aug. Nero, uti videre potes hic. Erat autem



hoc numiſma penès D. Carolum Cartharium Urbevetanum Advocatorum Sacri Conciſtorii Decanum, Archiviique Apoſtolici Arcis S. Angeli Pręfectum: uti legere eſt in pręfato tomo ad pag. 83. Pręterea duo alia numiſmata nupèr Terracinę paritèr inventa nobis proferre in medium liceat; ſunt hęc ambo ex ęre, quorum unum ſecum retinet R.P.Fr.Donatus Pullus Ord.Min.Conventualium, alterum admodùm R.D. Leonardus de Trento Archipresbyter Terracinen. Eccleſiæ, in quibus ex una parte expreſſa apparet biceps imago Jani Terracin. Fundatoris, ex altera verò obſervatur in primo cymba, cui ſupereminet inſculptum nomen Janum, in ſecundo altare cum nonnullis litteris, quę nequeunt intelligi. Inſcriptiones etiam plures tàm ſepulchrales, quàm alterius generis, ubi terra effoditur, Terracinę emergunt; Harum pręcipua eſt illa, quę viſitur in tabula

mar-

marmorea reperta tempore Urbani Papę VIII., & modo extat apud Forum S. Cæſarii à latere ejuſdem Eccleſiæ, ubi agitur de exiccatione paludum pomptinarum facta à Thedorico Rege Gothorum opera Decii Patritii, & eſt talis.

D. Glorioſus, atque Inclytus Rex Theodoricus Victor, ac triumf. ſemper Aug. bonoReip. natus cuſtos Libertatis, & propagator Romani nominis, domitor gentium Decennovii, Viæ Appiæ, ideſt, Trip. uſque Terracinam iter, & loca, quæ confluentibus ab utraque parte paludibus per omnes retro Principum inundaverant, uſui publico, & ſecuritati viantium admiranda, propitio Deo felicitate reſtituit operi novitèr inſudante, atque clementiſs. Principis deſerviente præconiis ex proſapia Deciorum. Cęc. Mau. Baſilio. Uc. & in L. expl. Urb. Exp. L. ex conſ. Ord. Patr. qui ad perpetuandam tantam Domini gloriam, per plurimos, qui ante non erant albeos deducta in mare aqua.

Porrò quàm variæ, & innumeræ ſint lapideæ inſcriptiones, quæ in dies Terracinæ deteguntur, aut etiam extant, vix credi poteſt; hoc tamen habent infortunii, quod dimidiatæ, aut tēporis diuturnitate corroſæ parum intelligibiles ſunt, adeoq; parum, aut nihil arridère poſſunt legentibus; adde quod pejus eſt eaſdem apud noſtrates ævi ſuperioris ne fiocci quidem habitas, unde gradus, & parietes domuum his pleni viſuntur, ſed non integrę, & perfectæ ſunt; quæ ſanè res pluries mihi ſtomachum movit, dum inviſerem infirmos, & talia obſervarem; has nihilominùs infraſcriptas, licet admodum paucas afferre non pigeat. Extra Portam Majam verſus Septentrionem in ſilice magno talis eſt inſcriptio Antonia C.L. Thais fecit. L. Paconius L.F. Ouf. Q. Durius Q.F. Pup. S.C.R. in alio portæ S. Gregorii extraburgum Cepollati ſupra Turrim adeſt ſequens. Q. Aufidius V. Q.F. Q. Maeulnius Q.F. & ſub domo Perilluſtris familiæ de Mariconis in lapide magno legitur ità. C. Aufidius C.L. Stabil. . . . & alibi . . . . Lius C.L. Hebei . . . re qui fuit . . . & in Eccleſia S. Silviani in quodam rudere inſcribitur ſic Annia Augeſib. . . . . Saturnina . . . . . Leander Albertus in ſuo Latio littorali, ubi de Terracina, fatetur ſe anno 1536. inveniſſe in quodam marmore penès cauponam ejuſdem Civitatis exiſtenti ſequentem inſcriptionem. M. Covejo Aug. Lib. Apollonio, & Lib. Libertabus poſteris eorum; & ipſe obſervavi uuper apud viam Appiam haud

longè ab ædicula S.Mariæ de Quercu aliam hujuſmodi. A.Æmilius A.L.Stachylus. Æmilia A.L. Soteris A. Æmiiio Soteri, & ſuis In erqſ.13.in Agr.P.XVI., & intrà domum Perilluſtris Dñi Donati Lucatelli propè ciſternam alteram ità expreſſam. Diſ. Man. Pomponia Januaria fecit ſibi, & Trophimo conjugi ſuo, & ſuis, poſteriſque eorum H.M.N I I. S. Quæ omnes inſcriptiones litteris magnis, & quadratis inſculptæ ſunt: Omnium tamen pulcherrimam, & lectu digniſſimam fuiſſe reor illam, quam ſupra Conventum S.Franciſci Ord.Min.Convent.mihi oſtendit prænobilis, atque excellens Vir D.Joſeph de Bellis: Eſt ibi altare cum fornice lapideo, & fons Cavus aquæ luſtralis, necnon ſilex maximus inſcriptus, verum de ejus inſcriptione nil aliud, interruptè tamen, intelligitur, niſi Octavius Silvani: Cętera enim verba corroſa ſunt, & lapis ipſe ex parte diſruptus. Dubitari poteſt, num hoc altare fuerit ara illa, quam ex voto dicatam Jovi puero vidit Schottus, ut ipſe narrat in ſuo Itiner. Italico, ubi de Terracina, haud procul ſiquidem erat templum ejuſdem. Plura dicturus eram, ſi præmeditatum, elaboratumque opus, non verò extemporaneum, ac currenti calamo ſcriptum egiſſem, etenim venationes columbarum in Arenis, palumborum in Vallarano, belluarum in Maritima, piſcium in mari, aliaque multa ſilentio involui, ne longo ſermone lectoris caput obtunderem; & quamvis è ſubterraneis uſque locis gloriam Terracinenſium eruere nixus ſim, ſi res benè penſitetur, potiùs eorundem ruinas exerui, dum rudera devaſtatoris temporis veſtigia inſpicienda propoſui; neque ideò vehementèr erit contriſtandum:Quippè ſic eunt res mundi; omnia in dies mutantur, Troja cecidit, vaſta regna interierunt, novæ Urbes excitantur, & veteres pereunt. Sed hæc ſatis quoad prophana; præſtat modò rebus ſacris animum applicare, & tertium librum hujus operis inire; unde ſit.

DE

DE HISTORIA TERRACINEN.

LIBER TERTIUS.

De Eccleſiis Terracinen.

PROŒMIUM.

ECCLESIAM Terracinen. conſtitutam fuiſſe à Principe Apoſtolorum Petro ſatis, ſuperquè notum, ibidemquè Apoſtolum Gentium S. Paulum Evangelium prædicaſſe cum ex Urbe Puteolana Romam pergeret, ut conſtat ex cap. 18. act. Apoſtol., haud inveriſimile, & incredibile eſt; quorum prædicatione ad Chriſtum converſa Civitas Terracina cum potiſſimum eo temporis inter alias Urbes Italiæ infima non eſſet utpotè in Romanorum Principum delitiis habita, familiis conſpicuis referta, populo frequens, & portu magnifico exornata meritò ſibi S. Epaphroditum primum Epiſcopum conſecratum excepit. Hinc Evangelicæ doctrinæ ſemen ab Apoſtolis diſſeminatum, ab Epaphrodito, aliiſque Terracinen. Epiſcopis excultum adeò adolevit, ut exciſis Idololatriæ fanis quamplurima Templa Cęlitibus Sacra, Deoque Vero dicata enumeraverit; quæ quidem modo proh dolor! deplorabili rerum eventu diruta, ſemidiruta, aut diruenda jacent: Cum itaque alias res Terracinenſium perſtringerem, religioni mihi erat, ſi tot Sacrarum ædium memoriam ſinerem deperire; quare providè factum exiſtimo in illarum enumerationem devenire, atque ea, quæ notatione digna videbuntur, levi ſaltem calamo percurrere, præcipuè verò

cum ex harum computatione quinam Terracinen. Civitatis ſtatus, quænam amplitudo, & quam altè radices ſuas ibidem egerit Ortodoxa Fides, appareat; nihilominùs animadvertendum erit, me hic non recenſere omnia templa, quæ jam indè à primis ſęculis naſcentis Eccleſiæ Terracinæ fuerunt, quoniam temporum injuria, ſcriptorumque defectu quamplurium memoria excidit: ſed ea tantùm, quorum cognitio nos non fallit, neque fallere poteſt, utpotè qui aut oculis propriis inſpeximus, aut ex certis, & non dubiis Antiquitatis monumentis didicimus.

CAPUT I.

De Eccleſia S.Cęſarii extra Civitatem alias S.Mariæ in Varano.

INter antiquiſſimas poſt plantatam Chriſtianam Fidem Terracinæ numero Eccleſiam S.Cęſarii extra ipſam Civitatem poſitam in agro Varano (hodiè le prebende,) quę licet omnium minima, prima tamen fuit inter alias excitatas à fidelibus Chriſticolis ethnica regnante gente. In ea conſepulta, ac tandem inventa fuere corpora Sanctorum Martyrum Levitæ Cęſarii, Juliani Presbyt., Fęlicis item Presbyt., Euſebii Monachi, atque aliorum; quamobrem memoriæ ergò factum eſſe tradunt, ut è directo in Via Romana columnam marmoream ſtriatam cum ſigno Crucis ferreæ ſupereminente erigerent Terracinenſes, ut poſteris reverentiæ eſſet locus ille, qui modo diruto ex parte muro ſine honore jacet. Prior titulus fuit S.Marię in Varano, cui dicata erat Eccleſia (Varanus autē, & non Veranus, uti legitur apud Suriū die 1.Novemb. dicebatur ager circumſtans à familia Vara Terracina oriunda, cujus ſub dominio fuit) poſtmodùm quoque inſignita eſt titulo S. Cæſarii reperto ibidem corpore ejuſdem; de ea mentio eſt in inſtrumento donationis factę à Gregorio Epiſcopo Canonicis Terracinen. anno 1227., inque ea colebatur priſcis temporibus imago antiquiſſima B. Virginis Mariæ in tabula lignea delineata, quæ à S. Luca depicta fuiſſe traditur, & modo cum ſumma veneratione ſervatur in Cathedrali Terracinę, adeò ut in extremis ſiccitatibus, tempeſtatibuſque horridis ad eam cōfugere ſoleant ſubmiſſis precibus Terracinenſes, quos fere nunquam inanes reliquit Deiparæ auxilium.

De Eccleſia S. Silviani extra Civitatem alias S. Salvatoris ad Vallem Sanctam.

Cum fideles Chriſticolæ in prima infantia Catholicæ Religionis ob viciniam ſuperioris ſacelli ad Civitatem Terracinam nimium vexarentur ab Ethnicis, neque eis liberum eſſet prò voto Deo pſallere, Sanctiſque ejus Sacras preces ad libitum effundere, (impediebantur enim ſæpe à malis hominibus Idololatriæ deditis) neceſſe habuerunt alium remotiorem locum exquirere; unde factum eſt, ut ad radices montis Ferronei aliam ſibi ſedem invenirent, in qua Templum excitarunt, Deoque Salvatori conſecrarunt, quod quidem licet in ſuis primis exordiis minimum, tractu tamen temporis adeò amplum evaſit, ut inter magnificas Ædes haberetur; conſtabat enim tribus navibus marmoreiſque columnis inſtructum erat, ut viſui patet: In eo ſepulta, & inventa fuere corpora Sanctorum Confeſſorum Eleutherii, & Silviani Epiſcopi Silviæ Matris, & Rufinæ ſororis ejuſdem, quà de re inferius Vallis circumſtans hoc templum dicta fuit Sancta, ſive Sanctorum eo quia priſcis temporibus ibidem congregabantur occultè Chriſtiani gregis oves innocentes ad effundendas ſuas humiles preces Deo, ejuſque Sanctis. Mons ſupereminens dicebatur Feronius à fano Deæ Feroniæ propè ejus radices verſus occidentem olim poſito, nunc verò appellatur neſcio qua de cauſa mons Lejanus. Colebatur in hac Æde imago vetuſtitiſſima Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quam ut fert traditio, D. Lucas depinxit in tabula lignea, ſicut illam ſuperiorem Deiparæ Virginis, quæ imagines feruntur per Civitatem, dum Sacras ſupplicationes in ſuis neceſſitatibus celebrant Terracinen., ita enim diſpoſitę ſunt, ut ex parte antica imago Virginis, ex parte verò poſtica alia S. Salvatoris appareat: Inſimul ambæ ſervantur in Eccleſia Terracinen.

Reſidebant autem in hoc templo S. Silviani ante annum milleſimum à partu Virrginis quidam Monachi (cujus ordinis fuerint mihi incertum) quibus ſequens donatio facta eſt à Comite Creſcentio. In Nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti. Anno Deo propitio Pontif. Domini Joannis Summi Pontif., & univerſalis quintidecimi Papæ in Sacratiſſima Sede B. Petri Apoſtoli ſexto indict. 4. menſ. Januar. die 7. Si ſemper ſunt concedenda,

que

quę piis deſideriis congruunt, quanto potiſſimum ea, quæ . . . . . Divini cultus propagativa noſcuntur, non ſunt omninò anneganda, quæ ſcilicet à largitoribus non ſolùm poſcenda, ſed vi charitatis procul dubio exigenda. Perinde ego Creſcentius Dei gratia inclytus Comes hac præſenti die do, dono, cedo, trado, & largior, ſimulq; offero propria, & ex ſpontanea mea voluntate vobis D. Jo: Religioſo Presb., & Monacho, atque Coangelico Abb. Venerab. Monaſterii S. Silviani Conf. Chriſti auctoritatem providimus tibi commiſſa idem ipſo Mon. ſociare; quatinùs atque in perpetuum tibi, tuiſque ſucceſſores confirmamus, ut cum Dei adjutorio ipſo ſancto loco regendum, congregandum cænobiique vitam ducendi, miſſarum ſolepnia celebrandi. Atque cum Dei timore omni Sacro Ordine regularitèr adimplendi P. Omnipontentis Dei amore noſtra, atque redemptione animę meę, & venia delictorum meorum, ut per veſtras ſacras, & aſſiduas orationes perveniam ad regna polorum. Ideſt Mon. quod eſt Eccleſia in honorem S. Silviani Conf. Chriſti cum omnibus ſuis pertinentiis, finibus, terminis, limitibuſque ſuis, ſicuti inferius affirmantur poſita noſtro comitatu territorio Terracinen. in pede montis Ferronei longè ab ipſa Civitate Terracinæ milliario plus minus trium, & inter affines à primo latere rivo, qui ibernis temporibus aquam dirigat, à ſecundo latere terra de pet., & de hedes, quę cocatur caſpo, à tertio latere cacumine montis, & à quarto latere Caſale quod vocatur Tiano, & cum medietate piſcaria, quæ vocatur focillatu, & integra piſcaria de gambarara, & altera Eccleſia ad honorem S. Andreę Apoſtoli in integrum cum omnibus ad ſe pertinentibus cum ſue foſſelle in loco, qui vocatur Foſſanova territorio Terracinen. quomodo decurrit uſque in fluvio major., & inter affines à primo latere murellum longum, & ab alio latere terra de Joh. Mazocla, & . . . . invadit per ara, & pervenit uſque in flumicellum uſque in fluvio major. Nullus homo ibidem piſcare audeat ad . . . foſſelle ſine conſenſu Abbatis juris S. R. E., quomodo nobis evenerunt prò præcepto Pontificali ità vobis concedimus, & confirmamus cum in eodem Ven. loco Domino Deo noſtro laudes exolvere debeatis, ſeù luminariorum . . . . nationem indifferenter ſine dubio vos procurantes efficiatis ne perincautæ deſidiæ culpam judicii vos futuri metus concutiat,

potiùs

potiùs laborare ſtudeat, ut divina placeat veſtro conatu clementia . . . . . mandare. Hæc quæ vobis juxtà deliberatione facta ea inconvulſæ perpetuitatis temporibus permanenda, & nunquam à me, neque ab hęredibus meis, neque etiam à nulla magna, parvaque perſona à me ſummiſſa cum vobis, ſeù veſtris ſucceſſoribus quamlibet moveri quæſtionem, aut calupniam, in qua, & juratus dicitur per Dominum Omnip. Sedis Apoſtolicæ Domini noſtri Joanni Sanctiſſimi quintidecimi Papæ. Hæc omnia, quæ hujus donationis perpetual.charta ſerie text. eloquitur inviolabilitèr conſervare, atque adimplere promitto. Namque abſit, & ſi. . . quæ ſuperiùs à me notata ſunt, vel aſcripta leguntur contrà agere præſumpſero, quæ ſponte ſp. rogavi; & ſi aliquis quod abſit, aut pars cujuſpiam temerario auſu fuerit, aut contra hanc chartam, quæ fieri rogavi agere, aut cauſare . . . . . . confringere voluerit, aut de ipſo ſancto loco aliquid extrahere voluerit, ſciat ſe eſſe dapnatum, & cum diabolo, & ejus ſequacibus æterno incendio ſit condepnat., & in hac fragili vita compoſituri exiſtant auri puriſſimi lib.20., & hanc chartam firmam, & ſtabilem eſſe permaneat: Quam ſcribendam rogavi manu Jo:Scrin.Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in menſe, & indict. ſuperiùs dicta.

✠ Ego Creſcentius Dei gratia inclytus Comes manu propria ſubſcripſi.

Conſo nobili Viro teſte.

Leo, qui vocatur Doce.

Joanni nobili Viro teſte.

Theobaldo filio Ingibaldi teſte.

Benedictus de Benefaza teſte.

Et ego Jo:Scrin.S.R.E., & Scriptor hujus chartæ teſt.ſubſ. . . . . complevi, & abſolvi.

Duraſſe hanc Eccleſiam ſub Monachis uſque ad annum 1099. & ultrà patet ex Inſtrumento rogato per manum Vivonis Diaconi, & Scriniarii Terracinen. anno ſecundo Pontif. Paſchalis Papæ Secundi, in quo Leo Abbas S. Silviani Confeſſoris quandam chartam derogationis cum conſenſu Benedicti Epiſcopi Terracinen. propter utilitatem ſuę Eccleſię confirmavit; anno verò 1227. cum jam ceſſiſſet in manus Epiſcoporum Gregorius Terracinen. Antiſtes eandem cum omnibus pertinentiis ſuis donavit Canonicis

nicis Terracinen. ut patet ex Inſtrumento donationis ſcripto per manum Jordani de Palcario: anno prædicto die 28. Octobris. Eandem anno Domini 1334. Pontif. Joannis Papæ XXII. Anno 18. ſub regimine Fratrum fuiſſe conſtat ex ſequenti deliberatione. Hoc enim anno propoſitum fuit in Conſilio Terracinen. per Fratrem Joannem de Civitate Terracin. fratrem,& Presbyterum Eccleſiæ S.Silviani de Terracena, ac humilitèr pro omnibus extitit ſupplicatum per ſe à fratre Gualterio fratre Eccleſiæ prælibatæ, quod cum ipſi fratres ſemper faciant, & dicant, id quod ſit honor, & exaltatio dictæ Eccleſiæ S.Silviani, & Communis Terracinen. prædicti de aliqua pecuniæ quantitate eiſdem annuatim danda per Commune Terracinen. prò indumentis eorum placeat ipſis conſiliariis, & 24. providere. In quo quidem conſilio audita propoſitione deliberatum extitit nemine diſcrepante &c.in perpetuum fratres Joannes, & Gualterius præfati prò eorum indumentis de pecunia Communis Terracinen. à Camera Communis ejuſdem centum ſoll. proviſ. habeant, & habere debeant annuatim &c. modo hujus adhùc exiſtentis Eccleſiæ Dominium perſiſtit in manu capituli Terracinen., quam feria ſexta poſt Paſcha Reſurrectionis, & feria tertia poſt Pentecoſten. ſolemnitèr una cum aliis Clericis Civitatis indictis publicis ſupplicationibus viſitant, die verò feſtivitatis S. Silviani unum ex Canonicis ad celebrandam Miſſam eo tranſmittunt, reliquis manentibus in Cathedrali, ubi Sacra Miſſarum ſolemnia ante præfati Confeſſoris Chriſti Altare concinunt. Antiquitùs eadem Eccleſia inſignita erat titulo S. Salvatoris, poſtmodùm S. Silviani nomine condecorata adhùc perſeverat.

De Eccleſia S.Mariæ de Capite Silicis.

Poſt templum S.Silviani è directò verſus Meridiem ad radices ejuſdem montis Lejani, ubi viam Appiam, quæ fert Terracinam, ingrederis, ſequitur Eccleſia S.Mariæ de Capite Silicis, quæ muris adhùc ſtantibus tecto caret, corruit enim initio ſeculi proximè elapſi. In ea Prior vivebat cum nonnullis aliis Presbyteris, ut colligitur ex quodam teſtamento rogato anno Domini 1337. per manum Oddonis Frajepanis Not.Terracin., cui teſtis interfuit Dñus Henricus Theotonicus de Polonia Presbyter Eccleſiæ S.Mariæ de Capite Silicis (ità dicebatur quia ibidem perfectè cognoſcitur principium, ſeù caput Silicis viam Appiam con-

conſtruentis) Dies feſtus in eadem celebrabatur Dominica in Albis cum magno concurſu Civium Terracinen., & ne ſiti urerentur, erat ibidem puteus haud inſalubris aquę, ut etiam nùm viſui patet, licet repletus exiſtat. Proventus niſi omnes, ſaltem ex parte incorporati fuere Cathedrali Terracinen.

De Eccleſia Sancti Donati.

Inter rurales Eccleſias erat illa S.Donati, in qua olim quidam Religioſi Viri degebant, ut elicitur ex monumentis Terracinen. anno enim Domini 1196. Benedictus Cithara donat Fr. Petrono Eccleſiæ S.Donati Æconimo medietatem ſuę terrę poſitę in Antiſſano tempore Cęleſtini Papę III., cujus donationis Inſtrumentum ſcripſit Nicolaus Guercius Scrin. Terracin., & anno ſuperiore 1195.eodem Fr.Petrono inſtante cum lis orta eſſet circa quaſdam terras poſitas extra Terracinam in Buccaporto viſis rationibus eaſdem Tedelgarius Terracinen. Epiſcopus Eccleſię S.Donati adjudicavit. Tandem in manus Epiſcoporum devoluta Eccleſia una cum pertinentiis ſuis dono data fuit Capitulo Terracinen. à Docibili ejuſdem Civitatis Epiſcopo, qua de re hoc extat monumentum in Archivio Terracinę. In Nomine Domini Amen. Hoc eſt exemplum cujuſdam notę factę per manum olim Domini Jardini de Paleario Scrin.Terracinen. in anno Domini 1248. menſe Julii die 12.in indict.6.anno ſexto Domini Innocentii IV.Papę.

Nos Dñus Docibilis Terracinen.Epiſcopus de noſtra bona, & libera voluntate damus, concedimus, & inveſtiendo tradimus vobis Dopno Jacobo Archipresbytero Terracinen. nomine Canonicæ in perpetuum omnes vineales poſitos in Territorio Terracinen. in loco, ubi dicitur ad S.Silvianum, quos olim Nos, & prædeceſſor noſter bonæ memoriæ Dominus Gregorius de ſpeciali Canonicorum gratia tenuimus, quorum vinealium hii ſunt affines à primo latere;Et totam Eccleſiam S.Donati cum hoſpitali,cum terris,vineis,vinealibus,domibus cum omnibus adjacentibus, & pertinentiis ſuis, quam Eccleſiam tenet modo Nicolaus Mag. Dominici, & partem orticelli juxta domum clibani noſtri pro faciendo clibano prò ipſa Canonica, & partem interiorem clauſtri noſtri, per quam habeatis viam ad Canonicam tantum cum omnibus utilitatibus, & vos facietis murum ab cantone Angulo ipſius portæ, uſque ad angulum muri domus clibani noſtri

ita quod habilitèr ire, & redire poſſitis cum omnibus utilitatibus veſtris, & in eo muro facietis portam, per quam nos, & ipſimet poſſitis ire,& redire cum voluerimus. Promiſerunt Archipresbyter, & Canonici dare annuatim lagenam unam plenam de oleo, donec olivæ, quę fuerint inciſæ, creſcat de eis oleum ſine fraude, & facere murum à muro ponente uſque ad murum domus. Hii ſunt rogati teſtes Angelus Ricardi, Petrus Rizus, & Thomas de Prudentio.

✠ Signum ſubſcriptorum D.Jacobi Archip., & Canonicorum Terracinen. qui hanc ſupraſcriptam notam factam, & ſcriptam per manum quondam D. Jardini de Paleario Scrin.Terracin., & inventam in cartulario ejuſdem D. Jardini per manum Gregorii de Balena Scrin.exemplari rogaverunt,Anno Dom.Incarn.1261. indict.4. menſe Aprili die 27., & anno 7.Pontif.Domini Alexandri Quarti.

✠ Ego Petrus de Ebulo interfui, & ſubſcripſi.

Ego Oddo D. Stephani interfui, & ſubſcripſi.

Ego Petrus Piegolus interfui, & ſubſcripſi.

Ego Paulus de Germano interfui, & ſubſcripſi.

Ego Gregorius de Balena S.R.E., & Civitatis Terracinen. Scriniarius coram ſupraſcriptis teſtibus exemplavi,& in hanc publicam formam redegi.

De Eccleſia S. Mariæ de Sorreſca.

Extat adhùc haud procul à mente Circeo hæc ruralis Eccleſia, ſed in manus alienas faceſſivit; olim verò conferebatur in beneficium à Communi Terracinen. Civibus ejuſdem Civitatis, cujus juris erat. De ea frequens eſt mentio apud monimenta vetuſtatis Terracinen. Hinc legimus Anno Domini 1371.conſilium Terracinen. creaſſe Bartholomęum Lampadarium procuratorem ad movendam litem coram Fr. Daniele de Carreto contra Abbatem Riccardum filium Franciſci Roſæ de Terracina occaſione S. Mariæ de Sorreſca poſitæ in Territorio Terracin., & ſpectantis ad Commune prædictum; & Anno Domini 1407.cum per adhæſionem factam per Carolum de Marchionibus olim Rectorem Eccleſiæ ruralis S. Mariæ de Sorreſca Terracinen. Diœceſ. apud proditionis filium Petrum de Luna olim S. Mariæ in Coſmedin Diaconum Cardinalem, mox Antipapam Benedictum XIII.,vacaſſet tale beneficium, illud Tutius Gerardi Papæ Canonicus Ter-

Terracinen. obtinuit, & in Urbe morans conſtituit ſuos actores venerabilem Virum D. Franciſcum Lucchen Archipresbyt. Eccleſiæ S.Cęſarii de Terracena, D.Abbatem Antonium Dayni, & D.Abbatem Antonium Grifi de Terracena, mittique in corporalem poſſeſſionem dicti beneficii S. Mariæ de Sorreſca voluit. Eadem Eccleſia occupata fuit à Franciſco Gaytan., quamobrem Terracinenſes ad Robertum Sicilię Regem recurſum habuerunt, & epiſtolam ſequentis tenoris eidem tranſmiſit, quæ ſervatur in Archivio Terracinen.

Robertus Dei gratia Jeruſalem, & Siciliæ Rex.

Nobili Viro Franciſco Gaytano Conciliario, familiari, & fideli ſuo gratiam ſuam, & bonam voluntatem.

Sicut nupèr accepimus Eccleſiam S. Mariæ de Sorreſca ſitam in territorio Terracinen. poſſeſſam, ut ponitur per ipſum Commune à tempore, cujus aſſeritur vix extare memoria, noviter indebitè occupaſti, Commune ipſum perpetuè multiplicitèr inquietans. Super quo noſtra proviſione petita nos ipſi Cōmuni in ſuis juſtis agendis propter ejus devotionem, & fidem deeſſe aliquatenùs non valerem, te attente requirimus, quatenùs dictum Commune circa ipſam Eccleſiam, quam diù, ut præmittitur, tenuit rationabilitèr, & poſſedit, aliquatenùs non moleſtes. Datum Neapol. ſub annulo noſtro ſecreto die 14. Novembris indict. 14.

De Eccleſia Sancti Pauli.

Haud procul à Turri Paulæ erat Templum S.Pauli jam dirutum, ex quo nomen accepit Turris illa ad radices montis Circei, ubi definit, verſus Occidentem poſita: De eo ſequens mentio extat inter monimenta Terracinen. In nomine Domini Amen; Anno ejuſdem 1238. indict. 4. menſ. Septembris die 24., & Anno XII. Pontif. Domini Gregorii Papæ. Nos Gregorius Epiſcopus, & Marcus coadiutor ejuſdem. . . . . . . & capitulum Terracinen. concedimus tibi Fr. Gualterio priori Eccleſiæ S.Spiritus . . . . quandam domum dirutam cum omni jure, & pertinentijs ſuis ad reficiendam eandem poſitam in territorio Terracinen. . . . . in Inſula Sorrentæ, & lavo, cujus vo-

ca-

cabulum eſt Eccleſia S. Pauli, quæ eſt juxtà Paulam; hiis conditionibus, quod per ſingulos annos in feſto S. Cęſarii tu, & ſucceſſores tui ſolvetis pro cenſu Epiſcopo, & Capitulo Terracinen. libram unam ceræ.

Ego Gualterius Prior Monaſterii Sancti Spiritus de Inſula approbavi &c.

Ego Nicolaus Ceradinus Civis Terracinen. Notarius exemplavi ad petitionem Venerab. Patris D. Joannis Epiſcopi Terracinen., & diſcreti Viri D. Petri Archipresb., & totius capituli majoris Eccleſiæ Terracin. in anno Dñi 1304. anno primo Pontif. Benedicti XI. Papæ.

De Eccleſia Sancti Viti.

Silentio præteriturus eram hanc Eccleſiam, niſi anſam de eadem verba faciendi mihi dediſſet piiſſima, & omni laude digniſſima familiæ de Carolis deliberatio, quæ ad virtutis opera ſemper inclinans jam dirutam temporis diuturnitate annis elapſis iterum excitavit, & ne paſtores, qui hyeme in magno numero ſylvam Maritimę Terracinen. incolunt, omninò à ſacris ceſſarent, providit; ſingulis enim diebus feſtivis in eadem ejuſdem familię impenſis Miſſæ ſacrificium peragitur, quin immò variis indulgentiis à Summo Pontifice obtentis identidem ipſam locupletant Eccleſiam, quod opus quantum momenti habeat ad gloriam æternam comparandam, unuſquiſque videt. Plura autem Monaſteria ætate Patrum in hac ſylva viguiſſe conſtat; quod vel ipſa minarum cadaveroſa monumenta quibuſcumque intuentibus demonſtrant. Plura quoque palatia, & prætoria extitiſſe narrantur, quorum indagationem poſteris relinquimus.

CAP. II.

De Eccleſia S. Leonardi de Barchis.

IN territorio Terracinen. de Barchis dicto erat hoc templũ, ſeù Monaſterium S. Leonardi, quod modò adeò æquatum eſt ſolo, ut vix ejus veſtigia noſcantur, conceſſit ipſum à ſe deſignatum Venerabilis Dominus Simeon Terracinen. Epiſcopus, Domino Leoni Abbati S. Mariæ de Oricula, uti conſtat ex ſequenti Inſtrumento. In nomine Domini, & individuæ Sanctiſſimæ Trinita-

nita-

nitatis Anno Dom.Incarn.1203. indict.5.menſ. Januar.die undecima intrante, & anno Pontif.D.Innocentii Summi Pontificis, & univerſalis tertii Papæ Sexto in Sacratiſſima Sede B. Petri Apoſtoli ad honorem Divinæ Majeſtatis pertinet Eccleſias conſtruere præſertim in illis locis, in quibus frequentèr fiunt latronum concurſiones, & à malis hominibns direptiones, quibus conſtructis,& malignorum voluntates abdicantur,& bonorum hominum corroborantur, & Domino Deo ibi devotiſſimè ſervitur, & tranſeuntis ſecura libertas relaxatur, & egenorū penuria ſublevatur, & eis neceſſaria ſubminiſtrantur propterea . . . . quoniam locus, qui antea incultus fuerat, & iter agentibus formidoloſus, nunc apertus, & manifeſtus omnibus patet, & ſecuritas ampla cunctis tribuitur, creditur cælitùs eſſe permiſſum, ut homo pius, & religioſus Eccleſiam B. Leonardi ad famulatum Omnipotentis Dei fabricaret in ſubſidium indigentium, & pauperum hoſpitalitatem fundamenta poneret. Nam apud Dominum, & apud homines perfectus habetur, & exiſtit cujus bonam voluntatem, & fidem Omnipotens intuens conſuetam ſuæ largitatis manum porrigens ei pecuniam contulit, de qua poſſeſſiones multas, & optimas eruit, de quibus, & ibi degentes, & venientes uberrime poterunt percipere neceſſaria,& ipſe ad majus emolumentum prædictam Eccleſiam Domini favente clementia ſperat extollere. Quod venerabilis Dominus Simeon Terracinen. Epiſcopus inſpiciens præfatam Eccleſiam S. Leonardi, quam ipſe deſignaverat, tribuit, & conceſſit Domino Leoni Abbati S. Mariæ de Oricula liberam ab omni onere patronatus, & ab omni exactione per Eccleſiam S. Cæſarii, quam Dominam, & matrem recognoſcit, cui prò devotione, quam in Eccleſia S. Cæſarii habet, libram unam ceræ in feſto dicti S. Cæſarii annuatim ſtatuit reddere cum ſuis ſucceſſoribus. Verum tamen ſive ipſe, ſive ſui ſucceſſores prænominatam ceræ libram reddere contemnerent, liberam habeat facultatem Dominus Epiſcopus, qui prò tempore fuerit, capiendi Eccleſiam, & omnia ipſius bona, & eam ordinandi juxtà ſuum arbitrium, ita tamen quod omnis malignitatis nequitia in ipſa ordinatione reprimatur, ſoluſque divinus amor cor inſtituentis regat,& compeſcat, & omnium Creator nos diligat,& non homo.

Hoc autem traditionis,& conceſſionis inſtrumentum ſcriptum, & fa-

& factum eſſe rogavit D.Epiſcopus Simeon Terrac. in menſe, & indictione ſupradicta.

✠ Signum prò juſſione ſupradicti Epiſcopi,qui hoc traditionis, & conceſſionis inſtrumentum fieri rogavit.

Ego Binulfus rog.teſtis.

Ego Leonardus Advocatus rog.teſtis.

Ego Joannes Petrus de Teodora rog.teſtis.

Ego Nicolaus Bulciola rog.teſtis.

Ego Nicolaus Zampus rog.teſtis.

Ego Mag.Joannes de Platea Scriniarius Civitatis Terracinæ hoc traditionis, & conceſſionis inſtrumentum ſcripſi, complevi, & abſolui. Hoc idem inſtrumentum notavit Robertus Setinus S. R. E. Judex, & Notarius rogatus à prænominato Domino Simeone Venerabili Terracinen. Epiſcopo, & legit Baro Archipresbyter Terracinen. Servatur etiam in Archivio Terracinen. quoddam inſtrumentum venditionis factæ favore hujus Eccleſiæ, & eſt tale. In Nomine Domini, ac individuæ Sanctiſſimæ Trinitatis Anno Dom. Incarn. 1215. indict. 3. menſ. Febr. die 4., & anno 18. Pontif. D. Innocentii Summi Pontificis, & univerſalis Tertii Pepę in Sacratiſſima Sede B.Petri Apoſt.Quoniam ea,quæ inter homines contrahuntur, facile oblivioni mandantur; propterea juris eſt remedio ſtabilitum, ut ea, quæ in publicis litteris conſcribuntur, fidem rei geſtæ contineant. Ideò nos Petrus Bellarungia, & Coranzo de Paleario, & Petronilla præſente verò, & conſentiente Nicolao de Berardo marito ſuo ab hac præſenti die inſtrumentum venditionis fecimus,& Domino Leoni Venerabili Abbati S. Mariæ de Oricula prò S.Leonardo de Barcis, ſuiſque ſucceſſoribus in perpetuum nemine nos cogente, aut contradicente, ſed propria, ſpontaneaquè noſtra voluntate de quodam Molendino culto, vel inculto cum ejus pertinentiis, aquis,& ſtagnis, & utilitatibus ſuis poſito in territorio Civitatis Terracinæ in Canneto inter molendinum hæredis Petri Sarraceni,& molendinum Petri Oſaldi, & fratrum, quod molendinum totum integrum cedimus, & irrevocabilitèr tradimus cum omni jure venditionis. Unde ego Dominus Petrus, qui ſupra de medietate ſupraſcripti molendini à te emptore uncias viginti boni auri Siciliæ, & ſoll.ſeptem bonorum proviſ.accepi, & ego Coranzo pro quarta parte dicti molendini accepi à te emptore uncias decem

boni

boni auri Siciliæ, ſolidos tres, & proviſ.quatuor, & ego Petronilla pro alia quarta parte ſupradicti molendini accepi à te emptore uncias decem boni auri Siciliæ, & ſolidos tres, & proviſ. quatuor, & quod plus valet totum donamus, & de ſupradicta pecunia exceptionem non numeratæ pecuniæ refutamus; & ideò ab hodierna die licentiam, & poteſtatem habeas in ſupradicto molendino intrandi, ædificandi, vel quidquid exindè facere volueris in tua, tuorumque ſucceſſorum ſit poteſtate, & nunquam à nobis, neque ab hæredibus noſtris, & ſucceſſoribus quæſtionem, aut calupniam habebis.

Et ſi nos, vel noſtri hæredes, & ſucceſſores contra te, tuoſquè ſucceſſores, aut contra hoc venditionis Inſtrumentum, quod ſpontè fieri rogavimus, venire præſumpſerint; aut parati ab omni homine defendere non erimus una cum hæredibus, & ſucceſſoribus tibi tuiſque ſucceſſoribus tunc daturos nos promittimus una cum hæredibus, & ſucceſſoribus noſtris tibi, tuiſque ſucceſſoribus . . . . litis eſt æſtimatio, non omninò pœnæ duplum, & pœna ſoluta hoc Inſtrumentum firmum permaneat. Et ſuper his ſcilicet venditores jura vere ſine fraude hanc venditionem omni tempore firmam, & ratam habere, nec per eos, nec per alias perſonas ea debeat revocari ✠ ſignum per mādatum ſingulorum venditorum, qui hoc inſtrumentum fieri, & ſcribi rogaverunt per manus Nicolai Scriniarii. . . . . .

Ego Joannes de Uribella rog.teſtis.
Ego Landinulphus Joannis Boni rog.teſtis.
Ego Joannes Geu.rog.teſtis.
Ego Gualterius Joannis Uribellæ rog.teſtis.
Ego Mattheus Petri Oſaldi rog.teſtis.

Et quod ſupereſt emendatum eſt die vigint.

Ego Nicolaus Guercius Dei gratia Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Civitatis Terracin. Scrin. hoc venditionis inſtrumentum ſcripſi, complevi, & abſolvi.

Hanc Eccleſiam S. Leonardi de Barcis, cum jam in manus Epiſcoporum excidiſſet, dono dedit Capitulo Terracinen. una cum molendinis, & omnibus tenimentis, ac pertinentiis ſuis Gregorius Terracinen. Antiſtes anno Domini 1227. die 28. Octobris. Territorium, vbi erat præfata Eccleſia, eſt propè confines Re-

gni Neap. verſus Orientem æſtivum. Molendina autem Canneti omnia diruta, nequè ampliùs in uſu ſunt.

De Monaſterio S.Stephani Prothomartyris.

Supra Terracinam in monte erat celeberrimum illud S.Stephani Monaſterium, de quo S.Gregorius 2.Dialog.cap.22. ait. Alio quoque tempore à quodam fideli viro fuerat rogatus, ut in in ejus patrimonii prædio juxta Terracinenſem Urbem miſſis diſcipulis ſuis conſtruere Monaſterium debuiſſet, qui roganti conſentiens deputatis fratribus Patrem conſtituit, & quis ei ſecundus eſſet, ordinavit. Quibus euntibus ſpopondit dicens. Ite, & die illo ego venio, & oſtendo vobis, in quo loco Oratorium, in quo Refectorium fratrum, in quo ſuſceptionem hoſpitum, vel quæque ſunt neceſſaria, ædificare debeatis. Qui benedictione percepta illicò perrexerunt,& conſtitutum diem magnopere præſtolantes paraverunt omnia, quæ his, qui cum tanto Patre venire potuiſſent, videbantur eſſe neceſſaria. Nocte eadem, qua promiſſus illuceſcebat dies, eidem Servo Dei, quem illic Patrem conſtituerat, atque ejus præpoſito Vir Domini in ſomnis apparuit, & loca ſingula, ubi quid ædificare debuiſſet, ſubtilitèr deſignavit.

Cumquè utrique à ſomno ſurgerent ſibi invicem quod viderant, retulerunt. Non tamen viſioni illi omnimodò fidem dantes, virum Dei, ſicut ſe promiſerat venire, expectabant. Cumquè vir Dei conſtituto die minimè veniſſet ad eum cum mærore reverſi ſunt dicentes expectavimus Pater, ut venires, ſicut promiſeras, & nobis oſtenderes, ubi quid ædificare deberemus, & non veniſti. Quibus ipſe ait quare fratres, quare iſta dicitis? numquid utriſque vobis dormientibus non apparui, & loca ſingula deſignavi? Ite, & ſicut perviſionem audiſtis omne habitaculum Monaſterii, ità conſtruite.

Qui hæc audientes vehementer admirati ad prædictum prædium ſunt reverſi, & cuncta habitacula, ſicut ex revelatione didicerant, conſtruxerunt. Fuit itaque hoc Monaſterium ad preces Terracinen.Civis in ſuo prædio ſub invocatione S.Stephani Prothomartyiris excitatum S.Benedicto architectante per viſum è Monte Caſino; qua de re Petrus Diaconus, Bollandus,aliique auctores.

Anno verò 1103. nonis Novembris dedicata fuit ejuſdem

Ceno-

Cœnobii Eccleſia à Benedicto Terracinen. Epiſcopo, in qua reconditæ ſunt ſubſcriptæ Sanctorum reliquiæ; de panno, ubi involutus fuit Chriſtus, quando natus eſt, de lapide, qui fuit ad oſtium monumenti Domini, de palma, quam tenuit Dominus in manu, quando ei via conſtrata eſt; S. Matthæi Apoſt., Bartholomæi Apoſt., Stephani Prothomartyris, Laurentii, Vincentii, Sebaſtiani, Ciriaci, duodecim fratrum, Coſmæ, & Damiani, Luciæ, & Geminiani, Marii, & Marthæ, Tiburtii, & Valeriani, Georgii, Hypoliti, Martini Turonenſis, Stephani Papæ, Cornelii Papæ, Cipriani, & Priſcæ, & Adelberti. In eadem Eccleſia cum inventa fuiſſent corpora Sanctorum Monachorum Paulini, & Auguſtini B. Benedicti diſcipulorum cum aliis duobus ſepulta, Dęmoniacus quidam ibidem veniens clamare cępit dicens Paulinus, & Auguſtinus Diſcipuli Benedicti cum duobus ſociis ſuis me eiiciunt; hæc dum crebro per os illius diabolus diceret cum ſanguine immundus ſpiritus egreſſus eſt.

Oderiſius autem Abbas Caſinas, & S. R. E. Cardinalis tit. S. Marcelli corpora Sanctorum inde tranſlata Caſinum in Eccleſia S. Andreæ, quam ibidem juxtà abſidem Baſilicæ B. Benedicti conſtruxerat, honorificè collocavit, teſte Ciacconio ad an. 1059. pag. 827. tom. 1. ſub Nicolao Papa Secundo. Plures enim Sancti Monachi hinc ad æthera evolarunt, quorum præcipui Paulinus, & Auguſtinus; magiſterio paritèr S. Patriarchæ Benedicti, qui ſe ſubmiſere nobiles germani fratres Specioſus, & Gregorius eodem præcipiente Sanctiſſimo Patre ad Terracinen. Aſceterium propagandum acceſſerunt: Specioſus urgente negotio Capuam miſſus, ubi vocatus eſt ad gaudia ſanctorum, eodemque temporis momento Gregorio fratri ſuo Terracinæ ad menſam accumbenti ſuum de Terris ad Cęlum tranſitum aperuit, quod ipſe ſimul conveſcentibus Monachis manifeſtavit, de quo Pontifex Gregorius lib. 4. Dialog. ſequens quoque miraculum accidiſſe in hoc Monaſterio notat Chron. Caſſin. lib. 4. cap. 100. his verbis. Ad Eccleſiam B. Prothomartyris Stephani diverterunt, ubi dum unus è fratribus ad portas Baſilicæ aperiendas præceſſiſſet, invenit eas obſeratas, Frater enim, qui eandem tenebat Eccleſiam, unus erat ex duodecim illis, qui ad Cancellarium ierat Regis, & clavem Eccleſiæ oblitus dimittere ſecum detulerat, regreſſo autem illo, qui Eccleſiam aperiendam præceſſerat, quod in re-

erat, denunciat, & ut reverterentur, qui primi incedebant, dicebat, iterum alii, atque alii currentes ſimilitèr clauſas januas invenere, & Fratribus nuntiare curarunt. Frater autem, qui crucem ferebat, ad januas pervenit Eccleſiæ, & mox tactis, ſeris divinitus ſunt apertæ, unde aliquantulum lætificati gratias Deo peregerunt, atque cum omni devotione, & cordis contritione ibi Letaniarum ſuffragiis per actis ad B.Benedicti Eccleſiam ſunt reverſi. Baronius ad annum 1136. hoc examinans ait, quod licet hi eſſent Schiſmatici, tamen omnes non erant Schiſmatici, unde miraculo portæ apertæ ſunt. Agapetus Papa Secundus junior, qui Monachis privilegia multa conceſſit, privilegiis etiam ſuis munivit hoc nobile Monaſterium S. Stephani juxtà Terracinam juſſu S. Benedicti erectum teſtante Auguſtino Oldoino ad ann.946. tom.1. pag.713. in addit. ad Ciaccon.Cumque S.Leo Pontifex Nonus apud S.Germanum honorificè hoſpitatus fuiſſet, rogatus à fratribus ut Monaſterium S.Stephani, quod ſupra Terracinam eſt, illis reſtitueret, interrogavit, utrum ad eos aliquando pertinuiſſet, reſpondentibus etiam oſtendi ſibi expoſtulat, mox itaque Dialogo S. Gregorii in medium exhibito, & ex vita B. Benedicti qualiter in viſione illud idem Pater conſtruxerat, demoſtrato, (aut enim ignorabat, aut minimè ad manum habebat privilegium, quod Agapitus Papa exindè Baldoino Abbati fecerat.) Verè ait S. Pontifex juſtiſſimum eſt, quod requiritis, moxquè privilegium inde fieri Friderico Cancellario juſſit, & ipſum Monaſterium cum omnibus ſuis nobis aſſignari conſtituit. Fecit etiam eodem tempore huic Monaſterio, & aliud pręceptum de libertate navis hujus Monaſterii in portu Romano, ut omni tempore cum nauclero, & univerſis nautis ſuis maneat libera ab omnimoda conditione, & debito penſionis, ut refert Leo Oſtienſis cap.87.lib.2.pag.299.

Hoc itaque Monaſterium Leone IX.Summo Pontifice mandante Caſinenſis Cęnobio conſignatum eſt, è cujus jure jam ſuo ęvo excidiſſe deplorat Petrus Diaconus in notis ad Chron.Caſin. ubi ait Monaſterium Terracinen. Prothomartyris Stephani nomen ſortitum juris fuit hujus Caſinenſis Cęnobii uſque ad noſtram ætatem, nempè ad annum 1637.inconſultò deindè à nobis, ſubductum, & alienatum, me certe tunc juniori animosè proclamante, æquo enim animo ferre non poteram vetuſtiſſimam, ſanctam-

Digitized by Google

ctamque memoriam poſt undecim ſæcula nobis deperire. Ejus modo vix extant veſtigia, & ferè nunquam illuc aſcenderent Terracinenſes, niſi allicerentur à ſaluberrima fontis aqua, cujus originem miraculoſam S.Benedicto tribuunt; fluit tamen tenui vena.

De Eccleſia Sanctæ Trinitatis.

Viſis remotioribus Eccleſiis tempus inſtat, ut Terracinam accedamus, eique proxima examinemus, & quoniam inter ſcripturas Terracinen. nobis occurrit Eccleſia S. Trinitatis, admodum decens eſt, ut incipiam ab Æde Sacra illius Triadis, à qua omnia eſſe cœperunt. Hæc itaque donationis memoria extat de ipſa in Archivio Cathedralis Terracinen. Gregorius Dei gratia Terracinen. Epiſcopus licet immeritus dilectis in Chriſto Filiis Nicolao Archipresb., & Canonicis Terracinen. ſalutem in Domino. Quæ ad laudem, & gloriam Domini, & Salvatoris noſtri Jeſu Chiſtri; necnon, & ad Eccleſiæ veſtræ profectum ſpectare noſcuntur, decet nos tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus honeſta, & utili ſtatuere proviſione, ut cum fuerint ſic ſtatuta, & in ſuo ſtatu illibata maneant,& in Divinæ Majeſtatis obſequio valeant multiplicitèr augeri. Petiſtis ſiquidem à nobis dilecti in Chriſto Filii ſupradicti ut Eccleſiā S.Trinit. cum Hoſp.de medio, & rebus immobilibus, mobilibus ſeſe moventibus, & cum omnibus ad eandem Eccleſiam, & Hoſpitale prædicta ſpectantibus Canonicæ veſtræ concedere deberemus. Nos verò veſtræ mentis promptam attendentes devotionem, quam in divinis quotidie geritis officiis exhibendis, ſi vobis temporalia miniſtrentur prò Deo, cui debitè, & devotè ſervire ſatagitis, & prò honeſtate in vobis ſervanda mori . . . . . precibus Magiſtri Roffridi Subd. Notarii Domini Papæ,& Concanonici veſtri, qui frequentèr per ſe ſuper hoc, nunc autem ad præſens per dilectum Clericum ſuum P. de pophis ſuas nobis preces porrexit; Eccleſiam ipſam cum Hoſpitali juxta petitionem veſtram, ſicut alias Eccleſias Canonicæ veſtræ conceſſas in præſentia teſtium ſubſcribendorum de gratia concedimus liberali putantes nos ſic faciendo Deo majus obſequium præbituros, Magiſtri Maximi Domini Papæ Subd. Notarii, & Concanonici veſtri jure, ſicut aliis Canonicis, in vita ſua beneficiis ſalvis. Ut autem hujuſmodi noſtræ conceſſionis memoria perpetuis temporibus ſervetur.

Per

Per manus Mag. Joannis ſcriptoris veſtri in ſcriptis redigi fecimus eandem.

Ego Joannes Uribelle his interfui.

Ego Paulus de Gratiano his interfui.

Ego Matthæus Balena his interfui.

Ego Simeon Leonarde his interfui.

Ego Mag. Joannes Scriptor ſupradicti Domini Epiſcopi de mandato ſuo præſentem paginam ſcripſi, & ſigillum ejus appoſui. Abbatialem fuiſſe conſtat, anno enim Domini 1158. Pontif. Domini Adriani Papæ Quarti anno quinto indict. 7. die 8. menſis Septembris Dominus Petrus Abbas S. Trinitatis donat ſuas res mobiles, & immobiles eidem Eccleſiæ. Quo verò in locu ſita fuerit hęc Sacra Ædes mihi adeò incertum, ut divinare nequeam, niſi fuerit illa ruralis, quę nominatur in inſtrumento pacis, & concordię initę inter Terracinenſes, & Setinos rixantes propter territorii confines; de quo cap. 10. lib. 2. verſus finem.

De Eccleſia S. Catharinæ Virg., & Mart.

In principio Burgi non murati, [ita legitur apud monumenta antiquitatis Terracin.] extra portam S. Gregorii verſus viam Romanam poſiti ſurgebat hoc Templum, cujus adhùc pendentes muri viſuntur, ibidem proximè arcus erat magnificus lapidibus quadratis, & maximis conſtructus, & turris contigua ſpectabatur, quorum adhuc extant veſtigia. In eo erat ſtatua S. Virginis, & Matyris Catharinæ, quæ in Conventum S. Franciſci Ordin. Min. Conventual. tranſlata, ibidem in Eccleſia ante altare dexterum de medio introeuntibus, cui, & veteres proventus cum oneribus ibi perſolvendis acceſſerunt.

De Eccleſia Sanctæ Crucis.

Haud procul à præfata Eccleſia erat altera S. Crucis titulo inſignita jam interdicta, & jamjam prolapſura Contigua eſt cauponę olim ſpectantis ad nobilem familiam de Romanis, modo verò ad Conventum S. Franciſci Ordin. Min. Conventualium Terrecinen., ſiquidem Nicolaus Antonius de Romanis exhæres moriens omnia bona ſua Cappellæ S. Antonii, cui addictiſſimus erat, reliquit.

De Eccleſia S. Antonii Abbatis.

Sequitur prædictam Eccleſiam Eccleſia S. Antonii Abbatis intra Burgum non muratum extra portam S. Gregorii ſita; extat

etiam

etiam nunc, & ſpectat ad menſam Epiſcopalem una cum caupona, & horto contiguo. In ea olim Monachos habitaſſe ferunt, quibus ablatis ad Epiſcopum Terracinen. introitus devenerunt, cujus autem ordinis fuerint dicti Monachi, ignotum eſt.

De Eccleſia S. Mariæ Baſilicæ Novæ.

Inter Magnifica Ædes Terracinę exiſtentes numerabatur Baſilica S. Mariæ Novę, alias dicta Baſilicata, cujus origo ſicut, & aliarum nos latet. Ab Alexandro Papa III. conſecratam fuiſſe ajunt, unde Baſilicæ nomen obtinuit. Sita eſt intra Burgum non muratum extra portam S. Gregorii propè ſuperiorem Eccleſiam ad dexteram Romam verſus euntibus.

Parochialis erat Eccleſia ſub Caliſto Papa III., ut colligitur ex litteris Apoſtolicis ejuſdem tranſmiſſis ad Priorem Monaſterii S. Dominici poſit. extra muros Terracinen. favore Joannis Grimaldi Rectoris Parochialis B. Mariæ Baſilicæ Novæ contra nonnullos iniquitatis filios detentores bonorum ejuſdem Eccleſiæ, De ea frequens eſt mentio in antiquis ſcripturis Terracinen. Hinc legimus D. Bruna Anno Domini 1215 tempore Innocentii III. cum conſenſu Simeonis Epiſcopi Terracinen. donaſſe Eccleſiæ S. Mariæ Baſilicæ Novæ ortum poſitum adfoveas, & ſede vacante poſt Clementem Quartum D. Jacobum Archipresbyterum Eccleſiæ S. Cæſarii Terracinen. una cum Canonicis dediſſe in emphiteuſim Turrim Eccleſiæ S. Mariæ Baſilicæ Novæ.

Hodiernus hujus templi proſpectus diverſus omnino eſt ab antiquo, Cæſar enim Vintimilia Epiſcopus Terracinen. pulpito marmoreo, ædiculiſque nonnullis cum tecto ſublatis in eam formam redigere fecit, qua viſitur, fornice ſuperſtructo. Nobilis ibi eſt modo congregatio perſonarum civilium Terracinen., quæ diebus feſtivis ibidem congregatę Deo, Beatęque Virgini Mariæ pſalmos, & laudes canunt (vulgo dicitur la Madonna Nova), alias la Madonna delle Gratiæ.

De Eccleſia S. Bartholomęi Apoſt.

Non longe à burgo non murato Portæ Novæ [plura enim ſuburbia antiquitus erant Terracinæ] jam diruto æquatis ſolo domibus ſpectabatur ad commodum ejuſdem Eccleſia S. Bartholomęi Apoſt. quæ ante milleſimum à Nativitate Domini floruit, uti docet inſtrumentum donationis quarundam terrarum factæ favore ejuſdem Eccleſiæ tempore Agapiti Papæ Secundi, ſervatur

tur autem illud in Archivio Terracinen., ex cujus monumentis conſtat; Gregorium Epiſcopum Terracinen. conceſſiſſe eandem Eccleſiam una cum omnibus ſuis pertinentiis Capitulo Terracin. anno Domini 1227. die 28. Octobris.

De Eccleſia S. Mariæ de Libera.

Satis illuſtre, ac fama notum eſt hoc Sac. Virginis Mariæ de Libera Templum, quæ agnomen è liberando de ſumens nullius unquam pie ſupplicantis neceſſitatibus defuit. Quippè norunt eam nautæ, norunt Mercatores, norunt infirmi, norunt finitimę gentes, Urbiſque Terrcinenſis piiſſimi Cives, quam ſit miraculis clara, quam prodigiis frequens, quam præſens petentibus, quam ſecunda rogantibus expertos interroga. Hinc ejus ſacrum delubrum celebratur in diem ab exteris, & indigenis. Olim ejuſdem proventus dabantur in beneficium à Communi Terracinen. Presbyter. ejuſdem Civitatis, è quo jure excidit ſæculo ſuperiore in detrimentum Civium Terracin.

CAP. III.

De Conventu S. Dominici Ord. Præd.

AB Eccleſia S. Mariæ de Libera aſcendamus ad Conventum S. Dominici extra Civitatem Terracinen. ſupra dorſum cujuſdam haud multum elevati collis ſitum, quod ab ipſo S. Patriarcha Dominico fundatum fuiſſe traditur, licet deindè humiles caſas, parvaſque Ædes in ampliorem formam redegerit P.Fr. Albertus de Terracina Ord. Pręd., & Epiſcopus Fundanus ſub Nicolao Quarto collectis eleemoſynis excell. Dominorum de Gajetanis Comitum Fundanæ Civitatis, Communis, & Civium Terracinen. Tàm clauſtrum, quàm Eccleſia ampli ſitus, & nobilis ſtructuræ ſunt; propè Clauſtrum muris concluſum adeſt viridarium malorum aureorum, & hortus, ubi vigebat noſtra ætate dactylis, & adhùc viget arbor aranciorum, & quas arbores S. Dominicum plantaſſe ferunt eaſque ejuſdem Ordinis Patres haud ignari annalium piis oſculis delibant, ubi illuc acceſſerunt.

Intra Eccleſiam præter alias imagines non minimi valoris ſervatur Imago illa B. Marię Virginis Sanctiſſimi Roſarii, quam miris

miris laudibus extollit una cum ſuo infante Simon Rogerius in Diario Jubilæi an. 1650. pag. 283. Conventus aprico in loco poſitus peramænus eſt, & ſalubriorem undequaque ex montibus captat auram, neque uliginoſis paludum pomptinarum effluviis inficitur: Ex eo plures inſigni doctrina, & ſanctimonia viri prodiere, quos inter P.Fr.Petrus de Terracina Epiſcopus Cajetanus ſub Innocentio Quarto, P.F. Albertus Epiſcopus Fundanus Civis Terracinenſis ſub Nicolao Quarto, & P.Fr. Thomas de Jordanis ſub Gregorio XIII., qui ex Socio Magiſtri Sacri Palatii Epiſcopus Signinus electus obiit, antequam ad ſuum gregem accederet moderandum; At modo, ſtante ſuppreſſione ſequuta tempore Pontificatus ſan.mem.Innocentii X. plurium parvorum Conventuum diverſarum Religionum, ob reddituum deficientiam, inter quos etiam iſte S.Dominici comprehenſus fuit, applicatis modicis proventibus Seminario Terracinenſi. Proh pudor! Fabrica Monaſterii cum Eccleſia non modicam læſionem pati conſpicitur. Si quis plura ſcire deſiderat, pervoluat annales Ordinis Prædicatorum, ex quorum monumentis non pauca elicere poterit; nos enim otii penuria altiorem indignationem omiſimus.

De Conventu S.Franciſci Ord.Min.Convent.

Dum peragras præfatum collem contra portus Terracinenſis oram, pervenis ad Conventum S.Franciſci, quem ipſemet Patriarcha fundavit circa annum 1222., quando una cum B.Leonardo Fulginate verſus Regni Neapolitani Urbes tendebat; ibidemque ex relatione P.Fr.Bonaventuræ Theuli lib. 6. cap. 2. Seraphicus Pater arborem aranciororum plantavit, cujus fructus præſtantiſſimum erant remedium prò multis infirmitatibus iis, qui pie, & cum debita veneratione, ac fide ingerebant, verum circa initium ſęculi ſuperioris exaruit. Eccleſia non adeò ampla eſt, ſatis tamen capax, & decentèr habita; frequentatur à multis ex Civibus Terracinen. uti unicum ſolamen ex Religionibus. Ibidem ſervatur adhùc in tabula picta quædam Imago Deiparæ Virginis ſub invocatione Gratiarum una cum Cruce lignea, quæ ambo inventa fuere in quodam ſolitario loco infra eundem Conventum poſito, ubi prædictus Patriarcha ſeſe recipiebat ad orandum, dum eundo, & redeundo finitimas Urbes perluſtrabat.

In dicta Eccleſia habetur Indulgentia, quam ei conceſſit

Digitized by Google

Nicolaus Papa Quartus Anno 4.ſui Pontificatus in feſtivitatibus Sanctorum Franciſci, Antonii, Laurentii, B.Claræ, & Aſſumptionis B. Virginis, & per octo dies feſtivitates ipſas immediatè ſequentes, ut notat Uvadingus tomo 2. annal. minor. ad annum 1292. num. 32. pag. 637. Couventus hic perbelle ſitus conſpicitur ſupra elevatum collem verſus maris auram, adeoquè apud Terracinenſes perfectiori aere frui contenditur. Olim ob prælibatam aeris ſalubritatem ſedes fuit, & habitatio Aragonii Regis, in cujus rei memoriam in quodam pariete ejuſdem intra clauſtrũ ſpectatur ſtemma Aragonium; Ibidem honorificentiſſimè exceptus anno 1589.habitavit Sixtus Papa Quintus,cum Terracinam profectus Urbem novam efficere, portum novum conſtruere, ac paludes pomptinas exiccare meditaretur. Ex eo plures viri quà doctrinæ, quà ſanctimoniæ dotibus clari eruperunt. Inter hos numeratur B.Donatus de Terracina, qui ex Palatio ſibi conceſſo à Rege in Urbe Partenopea celeberrimum S. Laurentii Conventum excitavit, P.Fr.Nicolaus Landus, P.Fr.Jacobus Landus, P.Fr.Bonaventura Landus, ac noſtra ætate, P. Fr. Berardus de Berardo, aliique Sacræ Theologiæ, ac celebres Seraphici Ordinis Patres Terracinenſes omnes. Vide Apparat. minorit. lib. 6. cap.2.concinnat.à P.Fr.Bonaventura Theuli.

De Monaſterio S.Angeli ſupra, & infra Montem.

Supra Montem Neptunium (hodiè vulgò il Monte S. Angelo) ſpectabatur celebre Monaſterium S.Angeli, cujus adhùc extant veſtigia una cum ſacello ſub invocatione ejuſdem S. Angeli. Ferunt ibi olim quoſdam Monacos vitam hęremiticam ducentes vixiſſe.

Alii in diverſa abeunt, ac dicunt ibidem inhabitaſſe æſtivis temporibus ob aeris ſalubritatem non Monacos, ſed Moniales S. Claræ, adeò ut duo Monaſteria in uſu haberent, hoc ſuperiùs prò æſtate, inferiùs verò prò reliquis anni tempeſtatibus; verum enim verò tàm murorum antiquitas, & ſtructura, quàm ſitus, & anguſtia loci,ac cellularum ſuperſtitum habitaculum Monialium haud fuiſſe teſtantur.

Ad hoc ſuperiori per viam S. Franciſci deſcendamus ad aliud Monaſterium ejuſdem nominis inferiùs poſitum in Burgo Civitatis Terracinæ extrà portam Albinam. Prò certo eſt hic habitaſſe Moniales Ordinis S. Claræ, quas jam ab anno 1537. ſub Paulo

Ter-

Tertio deficiente populo Terracinę defeciſſe notum eſt ex Inſtrumento donationis factæ per idem tempus de Eccleſia S. Mariæ Annunciatæ Patribus Cęleſtinis, ubi legitur ità. Hoc anno dono data fuit à Communi Terracinen. Eccleſia S.Mariæ Annunciatę, quæ eſt propè Monaſterium S.Angeli, ubi priùs Moniales Sanctę Claræ perſiſtebant; ſi itaquè priùs perſiſtebant, jam tùm non aderant, præcipuè verò cum Clauſtrum earundem prò habitatione dictis Patribus aſſignatum fuerit. Conſtat etiam anno Domini 1407. ibidem Moniales prædictas extitiſſe; hoc enim anno die 18. Febr. Pontif. Gregorii Papæ XII. anno primo Dominicus, & Antonius filii Jo:Andreæ de Luca fratres vendiderunt unum ortum poſitum in Fontanella juxtà viam publicam, ut monacarent Angelam ſororem carnalem in Monaſterio Sancti Angeli de Terracena.

Cęterum non levi admiratione correptus ſum, dum legi penès teſtamentum rogat. anno 1397., quod Domina Bella teſtatrix mandavit, & petiit corpus ſuum ſepeliri die obitus ſui in Eccleſia Sancti Franciſci in Sepultura Monialium S.Angel. Num præfatæ Virgines in dicta Eccleſia tumulabantur, quia in proprio templo ſepultura non aderat? Dicunt nonnulli hoc inferius Monaſterium conſtructum fuiſſe, poſtquam Comes Fundanæ Civitatis Terracinenſibus nimium infenſus ſuperius in plana demiſit: ſanè aliquandò legimus Januenſes cum 32.Galeis Terracinam, ejuſque caſtra, & Monaſterium S. Angeli liberaſſe à tyrannide Comitis Fundorum, an verò is prædictũ Monaſterium ſolo ęquaverit, nos præterit, adeoquè in medio rem relinquentes, aliis diſcutiendam committimus.

De Eccleſia S.Mariæ Annunciatæ.

Propè idem Monaſterium extra portam Albinam eſt Eccleſia S.Mariæ Annunciatæ, quæ ſatis capax populo olim Parochialis erat ad commodum hujus Burghi marini inſtituta; & quamvis anno 1473. data fuerit in beneficium Nicolao Trumbatori Presbytero Terracinen. à Sixto Papa Quarto, ut patet ex litteris Apoſtolicis ejuſdem ſervatis in Archivio Terracinen., erat tamen ſub jure Cõmunis ejuſdem Civitatis, à cujus Syndico anno Domini 1537.tempore Pauli Papę III.aſſignata fuit Patribus Cęleſtinis, uti elicitur ex Inſtrumento rogato per manus Gaſparis Mare ſub ſyndicatu Nicolai Savii, qui donationem à ſuo prædeceſſore

ceſſore factam per publicum conſilium approbavit, & dictis Patribus præfatam Eccleſiam una cum pertinentiis ſuis tradidit. Ex horum dominio ceſſit deindè in manus Fratrum Ord. Carmelitarum, quo autem pacto id acciderit, ignoramus: Certe uſque ad tempus Innocentii X. ſub eorundem regimine fuit, ſub quo intuitu Bullæ exigua Monaſteria ſupprimentis abiit in commodum Seminarii Terracinen., cujus ſunt fructus, & introitus. In eadem Eccleſia modo fit diebus feſtivis congregatio Agricolarum, qui audiunt Miſſam, & Sanctiſſimum Roſarium Deiparæ Virgini recitant.

De Eccleſia Sanctæ Barbaræ V., & M.

Haud procul ab ædicula illa B. Virginis Mariæ, quæ occurrit ad Marinam euntibus viſitur ad dexteram quidam haud multum elevatus tumulus, ubi erat hæc Eccleſia antiquitùs, quæ modo funditùs eruta jacet, ſolamque cui nominis notam horto contiguo impreſſit: quippe legimus, Gregorium Epiſcopum Terracinen. donaſſe Canonicis ejuſdem Civitatis totum ortum S. Barbaræ, ut patet ex Inſtrumento rogat. per manum Jardini de Paleario anno Dñi 1227., quod Inſtrumentum inſertum eſt in Bulla Clementis Papæ IV. inferiùs danda.

De Eccleſia S. Mariæ Magdalenæ Leproſorum.

Propter radices montis Neptunii, ubi deſinit in præceps, & unde (deteſtabile ſacrificium!) juvenis phaleratus cum equo ſeſe præcipitem dabat juſſu Firmini Idolorum Pontificis, ſpectatur hoc templum inſignitum titulo Sanctæ Mariæ Magdalenæ Leproſorum.

Eſt ibi plurima antiquitas; porrò ipſum templum priùs erat in atrio, quod primò occurrit introeuntibus; deindè accomodatũ fuit intrà maximas illas Ciſternas, (vulgò conſerve d'acqua) quarum latices ibidem detenti erant uſui, quando obſtruebantur aquæductus, qui ex altis montibus aquam derivabant ad cõmodum portus: Terracinen. propè exiſtentis. Ità ſe rem habere teſtantur tùm parietes integri ex tartaro aqueo parietibus ipſius Eccleſiæ incruſtati, & adjacentes, tùm una cum effloreſcente nitro ſtructura murorum. Ibidem habitaſſe conſtat equites Templarios, quibus ſublatis in manus militum S. Lazari ceſſit; hinc ingentes pendentium murorum minæ eminent, & viſuntur, ubi erant illorum habitacula.

Qua

Qua verò de cauſa dicta fuerit Eccleſia Leproſorum alii alia opinantur, & dicunt, ità fuiſſe appellatam ab Hoſpitali Infirmorum, quod olim erat ibidem, vel quia apertis ab uno latere Ciſternis tales halitus nitro ſulphurei expirabant, ut morbis cutaneis, & leproſis mederentur, hinc in antiquo ipſarum foramine propè os locum concavum, ubi ponebantur ſtrata ægrotantium, oſtendunt, vel ſaltem quia fuerit ſub jure militum leproſorum, uti habetur ex Bulla Pii Papæ Quarti tomo 2. Bullar. pag. 103., ubi num. 5. ita legitur. Per alias ſuas litteras medietatem molendini, quod Eccleſia Romana tunc cum quodam Boetio Camerario ſuo in Nympha habebat Magiſtro, & fratribus domus Leproſorum S. Mariæ Magdalenæ Terracinen. ſub annuo cenſu duodecim denariorum Senatus in perpetuum conceſſerat. Modo tàm Eccleſia, quàm proventus, & hortus aranciorum contiguus ad Menſam Epiſcopalem ſpectant. Arbores verò, quæ ordinatim plantatæ viſuntur, ac vigent in dicto horto, ferè omnes propriis impenſis initio ſui Præſulatus inſeri fecit Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Dominus Hercules Dominicus Monannus Epiſcopus Terracinen., etenim præfatum viridarium in peſſimum ſtatum abierat.

De Eccleſia S. Jacobi Apoſtoli.

Propè oſtium antiqui portus Terracinen. ſurgebat Eccleſia S. Jacobi Apoſtoli, cujus adhùc extant muri pendentes: conſtructa fuit hæc S. Ædes ad commodum nauigantiũ, qui in magna copia olim plagas Terracinenſes frequentabant, ut è navibus in terram expoſiti ſive ullo incommodo miſſarum ſolemnia audirent: Propter eandem è latere verſus orientem eſt puteus aquæ dulcis, quem etiam nunc haurire ſolent nautæ ad ſuos uſus.

De Eccleſia S. Rocchi Confeſſoris.

In Campo Arenarum (vulgo l'Arene) præter alia multa Antiquitatis veſtigia viſuntur duæ Sacr. Ædium ruinæ: harum prima, quæ vergit ad Orientem parietes Eccleſiæ S. Rocchi adhùc pendentes nobis oſtendit: Eſt ibi quidam elevatus tumulus, ſuprà quem ſurgunt modo cadentes muri.

Proventus ejuſdem incorporatos fuiſſe conſtat Eccleſiæ S. Mariç Annunciatç: legimus enim in inſtrumento donationis factæ à Syndico, & Communi Terracinen. Anno Domini 1540. hanc particulam: Dono damus vobis [ſcilicet Patribus Cçleſtinis]

aliam

aliam Venerabilem Eccleſiam S.Rocchi in Arenis exiſtentem incorporatam cum dicta, Eccleſia [, nempè S. Mariæ Annunciatæ, ubi adhùc conſpicitur ſtatua lignea S. Rocchi Confeſſoris.

Propè Eccleſiam S. Rocchi Terracinam verſus extat ruinarum, magnorumque operum veſtigia memoriam villici Palatii Eminentiſſimi Cardinalis Jordani Pirunti ſervantia, poſt modum ſequitur celebre viridarium ejuſdem citris, aurantiis limonibuſque olim conſitum, at modo ſolis vitibus excultum; etenim perilluſtris familia de Piruntis, non ſolum in plures divaricata erat ramos, ſed etiam ut prædives plures poſſeſſiones, ac prædia habuit Terracinæ; hinc; uti legimus in quodam venditionis inſtrumento, anno Domini 1314. ſede vacante per mortem Clementis Papę Quinti nobilis vir Jordanus Piruntus filius olim Domini Joannis Pirunti de Terracina vendidit nobili mulieri Dñæ Peregrinæ Piruntæ Sorori ſuæ Carnali octavam partem cujuſdam tenimenti, quod vocatur Acuzano poſit. in territorio Terracin. quod habet ipſe Jordanus commune cum nobilibus viris Clemente Pirunto hæredibus olim nobilis viri Joannis Pirunti, Stephano Pirunto, & hæredibus olim Jordani Pirunti Fratris dicti Stephani, & Paulo Pirunto filio quondam dicti Domini Joannis Pirunti, & fratre dicti venditoris; cujus tenimenti, & diſtrictus hii ſunt affines à primo latere eſt Vallaranum à ſecundo latere eſt Barche, à tertio latere eſt Tinnanus, à quarto verò latere eſt mons Juſtus &c.

De Eccleſia S. Sebaſtiani Martyris.

Altera præfatarum ruinarum in eodem campo de Arenis verſus occidentem antiquam Eccleſiam S. Martyris Sebaſtiani nobis indicat. Stabat hæc in fine Burghi non murati extra portam Romanam de Puſterula exiſtentis; ejus veſtigia, ac muri pendentes ſe nobis exhibent, dum pontem lapideum prætergreſſi verſus S.Felicis oppidum iter agimus. Parochialis erat Eccleſia, & ad commodum prænominati burghi inſtituta; proventus ejuſdem ad Eccleſiam Cathedralem Terracinę acceſſerunt Circumſita loca ruderibus plena præfati ſuburbii fidem faciunt, dum ruinarum arguunt indicia.

De Eccleſia S. Thomæ Apoſtoli.

Peragratis, ac viſis Eccleſiis prædictis modo nobis ſubire liceat

liceat per Portam S. Gregorii burgum muratum Cepollati extra portam Majam, alias S. Laurentii poſitum. Eſt ibi ad dexteram propè vetus Xenodochium prò mendicis Eccleſia S. Thomę Apoſtoli, cujus curam habet Societas Sanctiſſimi Sacramenti; ad ſiniſtram verò extat publicum Hoſpitium prò infirmis,& Sacerdotibus à Cæſare Vintimilia Epiſcopo Terracinen. excitatum. In hac Eccleſia celebratur feſtivitas S.Thomæ Apoſt:& quicumque in Xenodochio vitam deſerit, in ea ſepelitur.

De Eccleſia S.Gregorii Papę.

Sequitur præfatam Eccleſiam ex eodem latere Eccleſia S. Gregorii Papæ,à qua nomen accepit porta Romana ejuſdem ſuburbii murati: Diruta jacet muris pendentibus ad ruinam, in quorum pariete verſus viam publicam ſtemma viſitur Franciſci Canis Civis, & Epiſcopi Terracinen. tranſlati ex Bitectenſi ad Patriæ ſuæ ſedem opera Eminentiſſimi Cardinalis Jordani de Piruntis Concivis ejuſdem: exhibet autem ſtemma catulum cum lingua exerta inferiùs, ſuperiùs verò in corpore [ejuſdem ſtemmatis] tres ſtellas tranſuerſim poſitas habet expreſſas.

De Eccleſia Spiritus Sancti.

Intra idem ſuburbium, antequam portam Majam ejuſdem Civitatis ingrediaris ad dexteram verſus oram maris cernes templum tectis denudatum cum muris vergentibus ad ruinam. Hic itaque erat Eccleſia Spiritus Sancti, quam duraſſe uſque ad annum 1444. pro certo eſt: eo enim Anno Domina Rita Marocchi de Terracina teſtatrix reliquit Eccleſiæ S.Spiritus ſol. quinque, ut patet ex teſtamento rogato per manus Antonii Joannis Roffridi regnante Illuſtriſſimo Domino Alfonſo Rege Aragonum die prima Auguſti.

De Eccleſia S. Nicolai Epiſc., & Confeſſ.

Ad ſiniſtram priuſquam Terracinam per portam Majam ineas, ſpectabis ſupra haud multum elevatum tumulum nonnulla murorum veſtigia, ac parietes una cum quibuſdam Sanctorum imaginibus ibidem expreſſis. Hæc itaque Eccleſiam S. Nicolai indicant, de qua eſt mentio apud Chron. Caſin., & Anno 1216. orta lite inter Priorem ejuſdem,& Procuratorem Eccleſiæ S.Cęſarii circa decimas talis ſubſecuta eſt deciſio. In nomine Domini amen.Ego Jardinus de Paleario Civitatis Terracinen.Scriniarius ſententiam,quam Dominus Simeon venerabilis Terracinen.

Epiſco-

Epiſcopus prò tribunali reſidens in Curia ſua promulgavit de quæſtione decimarum olim habitarum, quæ fuerant de mandato ipſius Epiſcopi ſequeſtratæ reſtituendarum, & de cætero habendarum non moleſtandarum, quæ vertebatur inter Presbyteros Joannem Madium procuratorem Capituli S. Cæſarii, ex una parte, & Benedictum Dentem Priorem Eccleſiæ S.Nicolai nomine ipſius Eccleſiæ ex altera de mandato ipſius Epiſcopi, & precibus procuratoris prædicti ad memoriam poſter.in publicis litteris redigere curavi, quæ ſententia talis eſt. In nomine Domini amen. Cum quæſtio verteretur inter Presbyterum Joannem Madium Procuratorem Capituli S. Cęſarii ex una parte, & Benedictum Dentem Priorem Eccleſiæ S. Nicolai nomine ipſius Eccleſiæ ex altera, dictus Presbyter Joannes petebat inſtantèr ſuper decimis habitis reſtitui, quæ fuerant de mandato noſtro ſequeſtratæ, & ſuper habendis à Benedicto Priore S.Nicolai de cętero non moleſtari; contra dictus Benedictus nomine Eccleſiæ ſuæ reſpondebat, quod ipſe credebat tenere ſua juſtitia, & etiam petebat reſtitutionem decimationis ſuæ ſibi violenter ablatæ, qua quęſtione in noſtra pręſentia diutiùs agitata cum ex parte capituli per præfatum Procuratorem multa jura coram nobis fuiſſent propoſita, & oſtenſa, quod decimæ debeantur Eccleſiæ baptiſmali, & dictus Benedictus à nobis multoties interrogatus, ſi poſſet aliquo modo legitimæ probare,quod Eccclesiæ ſuæ tales decimæ deberentur, cum non ſit ipſa Eccleſia baptiſmalis, nec fuerit ei aſſignata Parochia,per Epiſcopum datis ſibi ſuper hoc multis induciis peremptoriis nihil horum probavit, immò fuit hiis dictis contentus. Nos ergo ſuper hiis, quæ ex utraque parte fuerant propoſita habito prudentum conſilio cum ex parte dicti Benedicti nihil coram nobis fuiſſet probatum, quod tales decimæ aliquo jure ſuæ Eccleſiæ deberentur, abſolvimus Presbyterum Joannem Procuratorem nomine Capituli ab impetitione præfati Benedicti ſuper reſtitutione Decimationis ſuæ, & condemnamus eundem Benedictum nomine Eccleſię ſuæ ſuper reſtitutione decimarum, quę fecimus in præterito ſequeſtrari, & adjudicamus decimationes omnes ab ipſis Parrochialibus ſolvi debere Eccleſiæ baptiſmali. Lata Terracinæ in Curia noſtra Anno Domini 1216.indict.4.Pontif.Domini Onorii III. Papę anno primo 3.Kal.Auguſti.

Ego

Ego Tedelgarius de Gratiano rogat.teſtis.

Ego Leonardus de Raynaldo rogat.teſtis.

Ego Aurelianus de Sexto rogat.teſtis.

Ego Jardinus de Paleario Dei gratia, & S. R. E., & Civitatis Terracinen. Scriniarius ſcripſi, complevi,& abſolvi.

Non longè ab hac Eccleſia olim in campo Cepollati fiebant nundinæ, de quibus talis extat memoria inter monumenta Terracinen. Anno Domini 1540. tempore Papæ III. Dominus Nicolaus Savius Syndicus, & Officiales Terracinen. ſtante petitione facta per Dominum Nicolaum Sorcelli de fabricando portam in Codia portæ Romanæ in ſuo magazeo intus dictam Codiam, videntes, quod tempore nundinarum Curia non habet reſidentiam civilem, & criminalem pro reddendo jus perſonis dicto tempore, poteſtatem dederunt eidem Domino Nicolao Sorcello faciendi portam in ſuo magazeo, quæ habeat exitum in Codia portæ Maii, ſeù Romanæ cum hoc pacto, ut teneatur dictus Nicolaus Sorcelli complacere in perpetuum Syndicis, & Officialibus, ſeù Magiſtris nundinarum de reſidentia cum vexillo Communis abſque ſolutione aliqua &c.

Rog. Gaſpar Mare Notarius anno 1540.

CAP. IV.

De Eccleſia S. Joannis intra Terracinam, olim Sancti Laurentii Martyris.

SAtis, ſuperque de templis ruralibus, & ſuburbanis; reliquum eſt modo, ut Terracinam ingreſſi ejuſdem interiores Eccleſias obeamus, ne quidquam inexploratum prætermiſiſſe videamur, & incuriæ notam incurramus; potiſſimum verò cum ibidem Eccleſia Cathedralis reſideat, de qua plura in calce hujus libri. Fuit itaque hoc Sacrum S. Laurentii Templum Parrochialis Eccleſia, ibidemque exiſtebant quidam Presbyteri cum ſuo Priore; de eadem frequens eſt mentio in monumentis Terracin. Antiquitatis, hinc legendo nobis innotuit, quod tempore Gregorii Papæ Noni Presbyter Stephanus Prior Eccleſiæ S. Laurentii tradidit Joanni Gimundo quandam domum poſitam intus in Civitate Terracinæ in Regione S. Laurentii: Multa alia quoque hu-

Digitized by Google

hujuſmodi legimus, quæ brevitatis gratia omittimus. Adeò verò celebris, ac nota erat, ut vicus, platea, & porta Romana prælibatæ Civitatis propè dictam Eccleſiam ſita inde nomen acceperint, atque ideo appellata ſub titulo S. Laurentii. Periit autem vetus titulus hujus Eccleſiæ circa principium ſæculi ſuperioris, quoniam Illuſtriſſimus Dominus Simon de Taſſis translatis huc ſtatuis Sanctorum Joannis Baptiſtæ, & Evangeliſtæ, quæ jam priùs è S. Mariæ de Puſterula aſportatæ fuerant in Oratorium S. Joannis propè Cathedralem olim exiſtens, novam Confraternitatem ſub invocatione S. Joannis inſtituit, novamque horum Sanctorum picturam efformare fecit, & ante Altare majus appoſuit, quod in cauſa fuit, ut hæc Eccleſia S. Joannis à Confratribus, & Civibus omnibus nuncuparetur. Noviſſimè cum magna hujus Urbis utilitate, & decore novitas alia contigit. Quippe admodum Rev. D. bonæ mem. Franciſcus Antonius de Bellis Archipresbyter Terracinen. videns hoc Templum, ejuſque proventus quotidiè in pejus ruere novam commentus eſt reparationis viam, quam oretenùs coram Eminentiſſimo Imperiali jam tunc Terracinæ exiſtente expoſuit, animumque ejuſdem Principis ità diſpoſuit, ut ibidem aggregatis trium aliarum Confraternitatum jam jam prolabentium proventibus octo Cappellani Cives inſtituerentur, qui ſtatis diebus in dicta Eccleſia congregati ſacra canerent, Miſſas dicerent, & Divinis incumberent, & ſane poſt aliquot turbines Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Domino Hercule Dominico Monanno Epiſcopo Terracinen. navitèr cooperante omnia felicitèr evenère, proventuſque Confraternitatum S. Leonardi, S. Luciæ, B. Virginis Sanctiſſimi Roſarii, ac S. Joannis inſimul aggregati in beneficium præfatorum Cappellanorum Civium conceſſerunt. Hinc modò octo Cappellanis aucta S. Joannis Eccleſia quotidiè magis novis ornamentis, ſacriſque ſuppellectilibus exornata conſpicitur, & in ampliorem formam redacta Chorum receris extructum cum quinque altaribus loco unius numerat: Horum majus dicatum eſt Sanctis Laurentio, Joanni Baptiſtæ, & Evangeliſtæ, reliqua verò Sſño Crucifixo, S. Annæ, Deiparæ Virginis Matri, S. Joſepho ejuſdem Sponſo, ac S. Michaeli Archangelo.

De

De Eccleſia Sanctorum Quatuor Coronatorum.

Intrà eandem Civitatem ex eodem latere, ubi pervenis ad Palatium Perilluſtris Familiæ de Matera, invenies Eccleſiam Sanctorum Quatuor Coronatorum (vulgò Santi Quattro,) cujus dominium olim ſpectabat ad Confraternitatem S. Leonardi, modo ejus curam habent octo prænominati Cappellani, quibus aſſignata fuere onera, & proventus ejuſdem. Pictura dictorum Sanctorum plurimi eſſe dicitur.

De Eccleſia S. Mariæ de Gratia.

A Vico capite lingua deſcendamus verſus Palatium Excell.' de Taſſis; Et haud procul ab eo infrà Epiſcopium Terracin. ſpectabitur templum S. Mariæ de Gratia interdictum ſęculo præterito, de quo nihil notatione dignum inveni; onera ejuſdem modò perſolvuntur in Altari Sanctorum Magorum in Cathedrali exiſtente: Dotatum fuiſſe voluntà familia Cammeracanna olim florente.

De Eccleſia Sancti Joannis Baptiſtæ, alias Sanctæ Mariæ de Poſterula.

Adhùc deſcendamus neceſſe eſt ad inferiorem nempè Civitatem Terracinæ [vulgò Poſterula,] ubi erat hoc magnificum templum, cujus origo ità ſe habet. Gondiberta Regina Uxor Rodoaldi Regis, qui Rotharii filius fuit, & Theodolindæ filia adulterii rea facta, quod cum Charello familiari Regis ſe commiſcuiſſet, carceri mancipata fuit, quod ægrè ferens B. Joanni Baptiſtæ innocentiam ſuam ſupplex commendavit, Charellus autem in vinculis poſitus Regem exoravit, ut quod lege permiſſum aliis erat, ſibi quoque Regia clementia permitteretur, videlicet ſingulari pugna ſalutem ſuam, famamque, & Reginæ decus, ac dignitatem tueri (provocando nempè delatorem, extat enim lex titulo de crimine adulterii:) Annuit Rex Charelli ſupplicationi, pugnaque Rege, ac populo ſpectante admittitur, in qua accuſator occiditur, Charello ſecuritatem recipiente.

Regina verò voti compos, Regique conciliata ob rei monumentum Templum Terracinæ ædificat, inſtruxitque opibus, quod S. Joannis donnarum in ſexus ſui honorem nuncupavit. Hoc idem Platina, quem ſequitur Sabellicus, in vita Joannis Papæ Quarti ann. 638. brevitèr ità exponit. Hoc anno Gundiberta Theodolindæ filia, & Uxor Rodoaldi Regis Longobardorum imitans

pietatem ſuæ matris, ſicut Theodolinda Mogontiæ, ita & ipſa Terracinæ templum S.Joannis Baptiſtæ ædificavit, multoque auro, & argento exornavit; contra quos ſtat nulla ratione fultus Bernardinus Saccus lib.9. cap. 9. de Monomachiæ caſibus; huic tamen obſtrepenti obſtat traditio Terracinenſium, apud quos uſque ad imbellem ſexum hujuſmodi notitia pervaſit, factumque ſe minime ignorare profitentur mulieres Terracinenſes, quæ in feſtivitate S.Joannis Baptiſtæ tripudiant, tripudiique ſui indicia dant, dum faciunt (vulgò la Corona,) & tranſeuntes per viam honeſtiſſime ſalutant ſæpius dicentes (dona alla Corona;) conſtat autem corona ferè ex hyperico, cui perſonatas in figura hominis, & mulieris apponunt imagines: Qui ſane mores ab antiquis ad poſteros effluxerunt, ac multum inoleverant, & quamvis hodiè pene obſolverint, eorundem tamen reliquiæ manent, & me puero invaleſcebant: Symbolum itaque, quod latet in iis tripudiis popularibus, ſignificat reconciliationem factam inter Reginam Gundibertam, & Regem Rodoaldum, qui viſa innocentia ſuæ Uxoris eidem regalem coronam reſtituit; fit autem corona ex hyperico, quia ſicut hæc herba dicitur fuga dæmonum, ita fugatis mali ſpiritus cogitationibus è mentibus maritorum pacis inter conjuges auguratur incrementum; ſed redeamus ad Eccleſiam S.Joannis Baptiſtæ, cujus titulus ferè obſoleſcens ſub invocatione B.Mariæ Virginis ire cæpit, ut paſſim apud acta vetuſtatis Terracinen occurrit. Erant ibi poſt milleſimum à Nativitate Domini ſeptem Canonici cum Archipresbytero, de quibus frequens eſt mentio apud monumenta ejuſdem Civitatis. Hinc legimus, anno ſalutis 1436. Ven. Presb. Blaſium Micam Canonicum Eccleſiæ S. Mariæ de Poſterula interfuiſſe Capitulo Eccleſiæ Cathedralis S. Cęſarii, quando Antonius Brunus Archipreſbyter dictæ Eccleſiæ una cum aliis Canonicis quendam ortum Nardo Tabolatio de S. Felice locavit; & anno 1281. anno primo Martini Papæ Quarti Dominum Angelum Archipresbyterum Eccleſiæ S. Mariæ de Poſterulis ex mandato Rectoris Provinciæ induxiſſe in corporalem poſſeſſionem cujuſdam domus poſitę in burgo Terracinen. extra Portam Madii D. Riccardum Brunum procuratorem Ven. Patris D. Franciſci Epiſcopi Terracinen. anno verò 1396. tempore Bonifacii Papæ Noni Rev. D. Stephanum Epiſcopum Terracinen. mandaſſe Benedicto Archi-

presby-

preſbytero Eccleſiæ S. Mariæ de Puſterula, ut induceret in poſſeſſionem cujuſdam beneficii, D. Tutium Girardi Canonicum Terracinen., qui an fuerit ſequens nominatus in bulla Benedicti Papæ XII. ſervata in Archivio Terracin. penitùs ignoro; eſt autem illa tenoris hujuſmodi.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto Filio Archipreſbytero Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Poſterula Terracinen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

AD audientiam noſtram pervenit, quod tàm dilecti filii . . . . Archipreſbyter, & Capitulum Eccleſiæ Terracinen., quàm prædeceſſores eorum decimas, terras, domos, vineas, ortos, poſſeſſiones, prata, paſcua, nemora, molendina, redditus, jura, juriſdictiones, & quędam alia bona ipſius Eccleſię datis ſuper hoc litteris, confectis exindè publicis inſtrumentis, interpoſitis juramentis, factis renunciationibus, & pœnis adjectis in gravem ejuſdem Eccleſiæ læſionem nonnullis Clericis, & Laicis aliquibus eorum ad vitam, quibuſdam verò ad non modicum tempus, & aliis perpetuo ad cenſum, vel ſub cenſu annuo conceſſerunt, quorum aliqui dicuntur ſuper hiis confirmationis litteras in forma communi à Sede Apoſtolica impetraſſe. Quia verò noſtra intereſt ſuper hoc de oportuno remedio providere diſcretioni tuæ per Apoſt. ſcripta mandamus, quatenùs ea quæ de bonis ipſius Eccleſiæ per conceſſiones hujuſmodi alienata invenies illicitè, vel diſtructa: Nos obſtantibus litteris, inſtrumentis, juram. renunciationibus, pœnis, & confirmationibus ſupradictis ad jus, & proprietatem ejuſdem Eccleſiæ legitimè revocare procures; Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo; Teſtes autem, qui fuerint vocati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint cenſura ſimili appellatione ceſſante compellas veritati teſtimonium perhibere Dat. Avinion. Id. Februar. Pontif. noſtri anno ſexto.

Duraſſe hoc templum uſque ad annum 1444. certum eſt eo enim

enim anno die primo Auguſti regnante Illuſtriſſimo Principe in Domino, D. Alphonſo Rege Aragonum Siciliæ citra, & ultra farum, Domina Rita Marrochi de Terracina teſtatrix reliquit Eccleſiæ S. Mariæ de Puſterula ſol. quinque, anno tamen 1616. omnino deſolatum fuiſſe conſtat, ſiquidem Pomponius de Magiſtris Epiſcopus Terracinen. arcum marmoreum perbelle elaboratum (vulgò alla Moſaica) à porta prædictę Eccleſiæ ſublatum ſacello S. Domitillæ V., & M., quod ipſe extruxerat, accomodavit. Fuit autem hęc S. Ædes conſtructa ferè ad ſimilitudinem Cathedralis Terracinen. hinc tribus navibus conſtans, quarum media ſatis ampla, & capax Populo apparet, muros inter nos ſupra Duodecim colomnas non modici valoris impoſitos adhùc extollit denudato vertice tectis. Pulpitum pulcherrimum, & pavimentum nobiliſſimum elaboratum quoque (vulgò alla Moſaica) ibidem extitiſſe extraditione referunt ſeniores hujus Civitatis, & me puero fons baptiſmilis obſervabatur, qui ſuper ingeſto terræ cumulo modo obrutus jacet; nam Parochialis fuit, & inter inſignes numerata Eccleſias.

De Eccleſia S. Domitillæ Virg., & Mart.

Per vias ſatis notas à prælibato S. Mariæ templo ad ſacellum S. V., & M. Domitillæ propè portam Albinam Civitatis Terracinæ poſitum aſcendamus. Hic. eſt locus, ubi Sanctæ Virgines Domitilla, Theodora, & Euphroſyna martyrio vivicomburii coronatæ ad Cælum evolarunt: Noſcuntur adhùc veſtigia illius fauſtiſſimæ, & celeberrimæ domus, quæ glorioſiſſimas Virgines excepit, & ad Regna cæleſtia abire vidit.

Itaque ne locus adeò venerabilis careret veneratione, Pomponius de Magiſtris Somninas Epiſcopus Terracinen. ibidem dictam Eccleſiam excitavit, appoſuitque in pariete rei memoriam, quę ſic habet.

Viator ſiſte: Cubiculum hic olim fuit, quo exuſto S. Flavia Domitilla V., & M. cum ſociis in Cælum evolavit, ejus memoria ne cum neglecto jam, & ſylveſcente loco obſoleſceret ſacellum hoc à fundamentis à ſe extructum Pomponius de Magiſtris Somninas Epiſcopus Terracinenſis dicavit; Paſchalis, & Flaminius de Magiſtris eques Patrui exemplo ornarunt, dotarunt anno a Virginis Partu 1619.

De

De Eccleſia S. Mariæ de Templo.

Hic ubi palatium perilluſtris familiæ de Vecchis, & arcuatus ille fornix coſpicitur, erat Eccleſia S. Mariæ de Templo, (vulgo S. Maria del Tempio,) ita dicta à celebri, & ſatis noto delubro bifrontis Jani, qui Terracinenſium fundator habitus magnificum fanum ethnica florente gente Terracinæ habuit. Satis amplum, & illuſtre fuiſſe teſtantur columnæ, rudera, & parietes marmorei adhùc reliqui, qui intra, & extra vicinas domos ſparſim viſuntur.

De Eccleſia S. Joannis.

Propè forum S. Cæſarii à parte Epiſcopalis palatii erat hoc ſacellum, ſive oratorium S. Joannis, ubi reconditæ fuere ſtatuę Sanctorum Joannis Baptiſtæ, & Evangeliſtę, poſtquam diruta Civitate inferiori de Puſterula illius quoque Eccleſia Collegiata major deſolata permanſit.

De Eccleſia S. Andreæ Apoſtoli.

Supra Cęmiterium, & ad latus ſiniſtrum Eccleſię Cathedralis neſcio qua ratione ducti hoc templũ conſtruxere Terracinenſes; ibidemque diebus feſtivis jus reddere ſolebat Magiſtratus ejuſdem Civitatis, & audire injuriis, aut aliis damnis oppreſſos, eiſque obviam ire; ità conſtat ex monumentis ſæculi 1500. Fit mentio hujus templi apud Chron. Caſin. lib. 4. cap. 20. pag. 448., & talis eſt. His etiam diebus Abbas noſter Oderiſius cummutationem fecit cum Benedicto Terracinen. Epiſcopo de Eccleſia B. Andreæ Apoſtoli, quæ ſita eſt in Civitate ipſa propè Epiſcopium cum cęmiterio, & domibus, & plateis, prò qua recepit Eccleſiam B. Nicolai ſitam extra Civitatem ipsã juxta portam Majam cum cęmiterio, & horto, & domo centum ſolidorum pęna appoſita, ſi id removere quęſiſſet.

CAP. V.

De Eccleſia Cathedrali Terracinen. Inſignita titulo Sanctorum Martyrum Petri Apoſtoli, & Levitæ Cæſarii.

Super celeberrimum illud Antiquitatis fanum ab Ethnica gente Apollini Deo Terracinæ dicatum, exurgit modo inſignis Eccleſia Cathedralis Terracinen. nomine Sanctorum Mar-

Martyrum Petri Apoſtoli,& Levitæ Cęſarii condecorata,quæ tamen ut plurimum dimiſſo titulo Principis Apoſtolorum Petri, ſub invocatione ſolius S.Cęſarii appellatur.

Quando autem hæc nobilis Baſilica extructa fuerit, difficilis conjecturæ datur locus; piè tamen credere poſſumus id eveniſſe temporibus Conſtantini Magni piiſſimi Imperatoris, qui in ſigno Dominicæ Crucis vincens Fidelibus Chriſticolis Crucem Domini elevare, & templa Dei ubique erigere permiſit.

Hinc ſub Juliano Apoſtata, ut colligitur ex actis S.Valentini Epiſcopi Terracinen., extabant intrà ipſam Civitatem Terracinæ Chriſtianorum Eccleſiæ, quas prælibatus S. Valentinus demiſſis in plana Idolorum fanis quotidie erigebat; unde ſi Cathedralis non dum condita erat, eandem conſtruere minimè neglexiſſet, ad cujus imitationem ſcimus, & videmus extructam fuiſſe circa annum 628. tempore Joannis Papæ Quarti Eccleſiam S.Joannis Baptiſtæ in Puſterula ſuperiùs deſcriptam. Erecta Cathedrali adhùc tamen vigore ſtatutorum ejuſdem urbis non permittebatur, ſepeliri corpora defunctorum intra, ſed tantum extrà Civitatem, & ſicuti Gentiles Idolorum cultores tumulabantur in loco, qui hactenùs vocatur [gli monumenti,] ità Chriſtifidelium cadavera ad Vallem Sanctorum propè Oratorium Sancti Salvatoris haud procul ab iis finibus, ubi antè milleſimum æræ Chriſtianæ inventa fuere Sacra Oſſa B.Silviani Epiſcopi, qui floruit circa annum Domini 443., & inde in Eccleſiam Majorem Terracinæ deportata. Credibile autem eſt veterem Cathedralem, ſeù potiùs delubrum ipſum Appollinis in Divi Cęſarii templum converſum, & conſecratum ingruente Gothorum rabie,aut tyrannide aliarum Gentium barbararum ſæviente periiſſe,ac demùm reparatum fuiſſe redactum in eam formam, in quà viſitur adhùc. At quamvis tempus conſtructionis, & reſtaurationis Eccleſiæ prænominatæ lateat,nihilominùs notiſſimum eſt illud conſecrationis ejuſdem, de qua talis extat memoria apud monumenta Canonicorum ejus.

In nomine Domini amen. Pateat univerſis,& ſingulis, quod ego Ambroſius Dei gratia Epiſcopus Terracinen. conſecravi ſolemnitèr Baſilicam titulo S. Cæſarii inſignitam in hac Civitate Terracinen. conſtructam ſub die Dominico, ac 24. menſis Novembris annò à Nativitate ejuſdem Domini Noſtri 1074.Pontif.

San-

Sanctiſſimi Domini Noſtri Domini Gregorii Papæ Septimi Soanen. anno primo in feſto S.Griſogoni Martyris; conſecravi etiam eodem die tria principalia Altaria ejuſdem Eccleſiæ, videlicet. Altare medium, quod majus eſt, conſecratum eſt in honorem S. Crucis, & B.Mariæ ſemper Virginis, & Sanctorum Petri, & Pauli, & omnium Apoſtolorum, & Beatorum Martyrum Cęſarii, Juliani, Felicis,& Euſebii, quorum corpora intus recondita ſunt. Secundum Altare ad dexteram partem dedicatum eſt in honorem S. Matthæi Apoſtoli, & Lucæ Evangeliſtæ, S.Barnabæ Apoſtoli, & S.Prothomartyris Stephani, Sebaſtiani, Clementis, Blaſii, Cęciliæ, necnon Silviani, Silviæ, & Rufinæ, quorum trium corpora ibidem ſunt inventa, atque recondita. Tertium Altare dedicatum eſt in honorem S.Thomæ Apoſtoli, Innocentii, Anaſtaſii, Adriani, Griſogoni, Terentii, Maxentii, quorum martyrum pars corporis in eodem altari recondita, necnon, & S.Eleutherii Epiſcopi,cujus corpus ibidem jacet. . . . .

Poſtquàm ſolemnem Matricis Eccleſiæ conſecrationem viderunt Terracinenſes, pauci anni effluxerunt, & aliam non minus conſpicuam ſolemnitatem in eadem admirati ſunt Eccleſia, de qua Petrus Diaconus in Chron.Caſin.lib.4.cap.2.pag.427., & Baronius tom.11.ità loquitur.

Defuncto per id temporis Victore Tertio mæror ingens, & deſperatio Catholicos invaſit, prædictis igitur Epiſcopis huc illùc diſperſis frequentes undiquè Nuntii tàm Romanorum, quàm aliarum gentium, & Comitiſſæ Mathildis monebant ipſos Epiſcopos. & hortabantur, ut convenientes in unum eligerent, qui Romanam Eccleſiam regeret, Caput Eccleſiæ conſtituere satagerent, membra Dei auxilio non defutura. Facilè, ſi paſtore careret Eccleſia Dei, confundi omnia, & ruere. Congregati rurſus Epiſcopi una cum Abbate noſtro Oderiſio Romanos Clericos,& Laicos fideles litteris admonent,ut qui ex eis poſſent prima quadrageſimæ hebdomada Terracinam pergerent, reliqui ſententiam ſuam per litteras mitterent. Itidem, & omnes per Campaniam, Principatum, & Apuliam Epiſcopos, & Abbates, ut ad eum locum ad eam diem convenirent,litteris admonerunt, qui non poſſent conſenſum ſuum per litteras, aut certè per idoneas perſonas aperirent. Quarta igitur feria primæ hebdomadæ quadrageſimæ ideſt octavo Idus Martii convenerunt apud Tar-

racinam Campaniæ Civitatem cum Epiſcopis, & Cardinalibus Romanis, noſtroque Abbate Oderiſio Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates ex diverſis regionibus numero quadraginta. Ex Urbe verò Romana Joannes Portuenſis Epiſcopus omnium Cardinalium, & Catholicorum Catholicæ partis caput; Benedictus verò Præfectus omnium Laicorum fidelium conſenſum per litteras attulerunt. Ex remotioribus quoque, & Ultramontaneis partibus Legati adfuerunt una cum Mathildæ Comitiſſæ Nunciis orantes, ut reformandæ Eccleſiæ cum auxilio, & gratia Spiritus Sancti mature operam darent, ut lætos Nuncios ad ſuos referre poſſent. Poſtera igitur die convenerunt omnes in Eccleſia B. Petri Apoſtoli, & S.Chriſti Levitæ Cęſarii ad Epiſcopium ipſius Civitatis. Et cum reſediſſet Tuſculanenſis Epiſcopus in medium ſurgens cuncta per ordinem retulit, quæ de ordinatione Eccleſiæ,& Gregorius Primo, & poſtmodùm Victor Papa mandaſſet, cur etiam tunc ipſi eo conveniſſent. Dehinc Portuenſis Epiſcopus ſurgens una cum Benedicto Præfecto Cleri, populique Romani ſententiam aperuerunt, ut quem omnes unanimitèr eligerent ipſi in Apoſtolica Sede ſuſciperent, quod cum Abbas noſter, & Capuanus Archiepiſcopus, cunctique, qui ederant, approbaſſent, Omnipotentem Deum, ut miſeriam, & afflictionem Eccleſiæ ſuæ jam tandem dignaretur aſpicere, multis precibus implorantes ſtatuerunt, ut per triduum illud ſpirituale jejunium fieret in abſtinentia, orationibus, & eleemoſynis vacarent, peterentque ut perſona tantu apici idonea ſibi divinitùs oſtenderetur. Dominico igitur die ſummo mane in eandem Eccleſiam cuncti conveniunt, & cum inter ſe hac de re multa conferrent exurgentes tres Cardinales Epiſcopi, qui concilio præerant, Portuenſis, Tuſculan., & Albanenſis ambonem coſcendunt, factoque ſilentio uno ſimul ore pronunciant Ottonem Epiſcopum placere ſibi in Romanum Pontificem eligendum.

Tunc omnes repente mirabili, ſummaque concordia magnis vocibus placere ſibi, dignumque eſſe Pontificali ſolio conclamant. Pronunciante Albanenſi Epiſcopo placere ſibi Urbanum illum appellari, ab omnibus rapitur, & lanea exutus veſte purpuream induit cappam, & cum acclamatione,& invocatione S.Spiritus ad Altare B.Petri Apoſtoli pertrahitur, & in Pontificali ſolio collocatur quarto Idus Martii, ſicque miſſa ſolemnitèr ab eo-

dem

dem Pontifice celebrata gaudentes omnes, & Deo gratias agentes in ſua redierunt. Quomodo autem Urbanus Papa Tarracinam Caſſinum veniens poſt dies duodecim à S. Benedicto ſanatus ſit morbo, idem Petrus ſic narrat: His diebus Urbanus Papa cum ad Monaſterium veniſſet, conſuetudinario ſibi dolore lateris graviſſimè vexari cæpit. Itaque dum in vigiliis S. Patris Benedicti nempè decimo tertio. Kal. Aprilis eodem languore cruciaretur, & de præſentia corporis ipſius dubitaret; eidem Sanctus per viſum apparens, cur inquit de mei corporis præſentia dubitas? ad quem ille, tu quis es? Ego inquit ſum Frater Benedictus. Ne autem ultra hinc dubites, & me hic requieſcere certiſſimè noveris cum primo fratres ad nocturam ſinaxim ſurrexerint ſtatim à lateris dolore liber eris, & his dictis evanuit. Extat adhùc prædictæ creationis memoria in Cathedrali Terracinæ, ubi poſt Altare majus S. Cæſarii ſede marmorea viſitur, in qua Urbanus ſecundus electus Pontifex ſediſſe narratur. Ipſa autem Cathedralis Eccleſia tribus conſtat navibus, quarum media uſque ad pręſens undequaque pavimentũ habet elaboratum (vulgò alla Moſaica.) E Latere interno ejuſdem aſſurgit pulpitum, cui adjacet ſacri cerei fulcimen, ſeù columna; utraque ex eodem opere condecorata; ipſa verò columna ſpiris flexuoſis conſtans ad inſtar vitis, cui inſeritur, & circumagitur mater vitis, effictaeſt. Cęmiterium vetuſtiſſimum, & ſatis amplum ibidem extat verſus partem meridiei, quod propiùs excipitur ex parte anteriori à Campanili pulcherrime conſtructo ad ſimilitudinem Campanilis Cajetani ex lateribus rubris, & columellis marmoris albi conſtante; ubi quinque ſunt campanæ licet antiquitùs ſeptem exiſterent Altaria novem habet hæc Cathedralis; quorum tria principalia reliquiis ſacris referta ſunt, ubi & corpora, Sanctorum Epaphroditi Epiſcopi, Leontii Confeſſoris, Montani Martyris, atque aliorum multorum, quorum nomina ſcripta ſunt in Cælis, recondita eſſe dicuntur. In Choro ejuſdem ſatis amplo adiacent muro affixæ tres imagines antiquiſſimæ trium Sanctorum Tutelarium ſcilicet B. Martyris, & Levitæ Cæſarii Protectoris Principalis, & Maximi, (cujus etiam ſtatua lignea extat,) Sanctorum Chriſti Confeſſorum Silviani Epiſcopi, Eleutherii paritèr Epiſcopi inter ſecundarios Patronos recenſitorum. Imago vetuſtiſſima Deiparæ Virginis unita cum alia Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti,

quas D. Lucas pinxiſſe traditur, ſervantur eminenti loco intra ligneam cappellulam repoſitæ poſt altare medium. Has ſupplicitèr per Civitatem ferre ſolent Terracinenſes, dum nimiæ ſiccitates urgent, tempeſtateſque horridæ imminent, neque fulluntur, etenim ferè ſemper præſens experiuntur auxilium; Hinc in feſtivitate Aſſumptionis B. Virginis in honorem ejuſdem ſolemnes celebrant ſupplicationes cum magno totius Cleri,& Populi concurſu. In Sacrario plurimæ Sanctorum Reliquiæ ſervantur, quarum catalogum in calce hujus libri, Deo dante dabimus. Proſpectus autem externus Eccleſię minimè invidet interno;in parte enim anteriori viſitur Atrium quinque columnis marmoreis inſtructum ſatis capax, & perbelle, ac recte formatum, ad quod aſcenditur per multos gradus lapideos decentèr effictos. Supereminent columnis Atrii marmoreæ trabes tranſverſim poſitæ, quæ admodùm egregiæ elaboratę (vulgo alla Moſaica) Martyrium S.Lævitæ Cæſarii, & naviculum S. Petri fluctuantem haud invenuſtè repræſentant. A parte poſteriori pulcherrimum viſu! ſupra durum marmor conſpiciuntur ſponte, ac mirabilitèr ex ordine enatę tres arbores ſemper vireſcentes, nempe ſorbus, falſaracus, & planta aurantiorum, quę conſiſtit in medio; ejus aurei fructus ſi cum debita reverentia ſub invocatione S. Cęſarii aſſumantur (experientia conſtat) febrem expellunt. Ex aliis lateribus externis ſpectantur aliquæ columnæ ſtriatę, ac parietes marmoris candidiſſimi nonnullam nigredinem habentes, & veſtigia ſunt illius celeberrimi templi falſo numini Apollinis dicati, & olim una cum Civitate exuſti.Extat ibidem verſus ſeptentrionem Memoria Architecti, quę talis eſt. Cajus Poſthumius Cai Filius Pollio Architectus.

In eadem Eccleſia modo vacant ſacris duodecim Canonici, (antiquitùs erant ſexdecim) quorum unus habet annexum Archipresbyteratum,quę eſt prima poſt Epiſcopalem dignitas in tota Diœceſi, & hanc antiquiſſimam eſſe conſtat ex litteris Apoſtolicis Papæ Gregorii, & Lucii Papæ III. favore Capituli Terracinen. emanatis, quæ ſervantur in Archivio Capituli ejuſdem, & ſunt hujuſmodi.

GRE-

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis filiis Archipresbytero, & Capitulo Terracinen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

SAcroſancta Romana Eccleſia devotos, ac humiles filios ex aſſuetæ pietatis officio propenſius diligere conſuevit, & ne pravorum hominum moleſtiis agitentur, eos tanquam pia mater ſuæ protectionis munimine confovere. Ea propter dilecti in Domino filii veſtris juſtis petitionibus inclinati perſonas veſtras cum omnibus bonis tàm Eccleſiaſticis, quàm mundanis, quæ in præſentiarum rationabilitèr poſſidetis, aut in futurum juſtis modis præſtante Domino poſſitis adipiſci ſub B.Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſenti ſcripti patrocinio communimus diſtrictius inhibentes, ne conſules, vel alii Laici Terracinen. vos audeant moleſtiis ullis aggravare. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ protectionis, & inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum . . . 2.non.Octobris Pontif.noſtri anno ſexto.

LUCIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis Leoni Archipresbytero, & Capitulo Terracin. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

SAcroſancta Romana Eccleſia devotos, & humiles filios ex aſſuetæ pietatis officio diligere propenſiùs conſuevit, & ne pravorum hominum moleſtiis agitentur, tanquam pia mater ſuæ protectionis munimine confovere. Ea propter Dilecti in Domino filii veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, & devotionem veſtram, quam ergà B. Petrum, & nos ipſos habere dinoſcimini, attendentes perſonas veſtras cum omnibus

bonis

bonis tàm Eccleſiaſticis, quàm mundanis, quæ in præſentiarum juſtè, & canonicè poſſidetis, aut in futurum donante Domino juſtis modis poteritis adipiſci ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus diſtrictiùs inhibentes, nequis vos moleſtare audeat, vel ad res veſtras manus extendere aliqua temeritate præſumat. Quod ſi præſumpſerit excommunicationis ſententia ſe noverit feriendum.

Nullus ergo omninò hominum audeat hanc paginam noſtrę protectionis, & prohibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejùs ſe noverit incurſurum. Datum Anagniæ 10. Kal. Octobris. . . . .

Innocentius Papa Quartus, qui floruit poſt ſæculum 1243. confirmans donationem quarundam poſſeſſionum factam favore Capituli Terracinen. per litteras Apoſtolicas ita ſuam explicat ſententiam.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis . . Archipresbytero, & Canonicis Terracinen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Cum à nobis petitur, quod juſtum eſt, & honeſtum tàm vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Cum itaque ſicut nobis exponere curaſtis, dilectus filius Bibo Laicus Civis Terracinen. quaſdam poſſeſſiones ſuas Canonicæ veſtræ inter vivos, retento ſibi quoad vixerit uſufructu ipſarum prò remedio ſuorum peccatorum pia, & provida liberalitate duxerit conferendas, ſicut in litteris ſuper hoc confectis pleniùs dicitur contineri. Nos veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ab eodem Bibone providè ſine juris præjudicio alieni factum eſt, in hac parte gratum habentes, & ratum id auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis

nis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Lugduni Id. Januarii Pontif. noſtri anno octavo.

Igitur, ut patet ex dictis, Archipresbyter Eccleſiæ Cathedralis erat omninò diverſus ab Archipresbytero Eccleſiæ S. Mariæ de Puſterula, neque ex illa Collegiata ad hanc Cathedralem translatus eſt, ubi vulgò dictitabatur, ſed unus præſidebat huic, alter verò illi alteri, de quo ſuperiùs, ubi de Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ conſtructa à Regina Gundiberta. Ne autem hac ſuper re dubitet Lector, ecce ſubnectimus Catalogum veterum Archipresbyterorum Terraciuen., quos invenimus volutantes monumenta ejuſdem Civitatis.

1 Joannes hujus nominis primus erat Archipresb. Terracinen. anno ſexto Paſchalis Papæ Secundi.

2 Leo agebat inter vivos ſub Lucio Papa III.

3 Coranzo Eccleſiæ S. Cęſarii Archipresb. erat an. 1196.

4 Baro Bellarungia reperitur ab an. 1203. uſque ad 1219.

5 Nicolaus florebat anno primo Gregorii Papæ Noni.

6 Jacobus, de quo frequens eſt mentio ab ann. 1248. uſque ad annum 1267.

7 Joannes hujus nominis ſecundus reperitur ab ann. 1273. uſque ad annum 1286.

8 Angelus hujus nominis primus vivebat an. 1291.

9 Riccardus filius Joannis de Ceccano Canonicus, & Archipresbyt. Terracinen. privatur à Bonifacio Octavo Anno primo ſui Pontif.

10 Petrus Archipresbyter S. Cęſarii invenitur ann. 1304.

11 Clemens Piruntus hujus nominis primus agebat an. 1337.

12 Angelus hujus nominis ſecundus ſubſcripſit cuidam inſtrumento pacis initæ cum Joanne Gaitan. an. 1366.

13 Clemens alter Piruntus generis nobilitate conſpicuus Vir florebat an. 1398., & 1401.

14 Franciſcus Lucchen. Archipresbyter Sancti Cęſarii erat an. 1407.

15 Antonius Brunus floruit ſub Eugenio Quarto an. 1436.

16 Franciſcus Naii Archipresb. Eccleſię S. Cęſarii reperitur ab an. 1444. uſque ad 1453.

No-

Digitized by Google

Notatione dignum eſt, quod apud eadem monumenta reperii ſuper Canonicatus ejuſdem Eccleſiæ renunciatione, & Archipresbyteratus collatione, de quibus ità legitur. Anno Domini 1387.indict. 10. Pontif. Clementis VII.Papæ [ſeù potiùs Antipapæ] anno nono congregato capitulo Cathedralis Eccleſię S. Cæſaris de Terracina in Choro ipſius Eccleſiæ ad ſonum campanæ, ut moris eſt, de mandato Reu.Patris, & Domini, Domini Nicolai Dei gratia Melphiten. Epiſcopi, ac Rectoris, Gubernatoris,& adminiſtratoris Archipresbyteratus dictæ Cathedralis Eccleſiæ auctoritate Apoſtolica Archipresbyteratum ipſum tenentis, & habentis in commendam; in quo quidem Capitulo interfuerunt, ac perſonalitèr convenerunt ipſe Dominus Nicolaus Epiſcopus loco, & vice Archipresbyteri, ac venerabiles viri Canonici ipſius Eccleſiæ videlicet D. Joannes Vallena Diacon. item Presbyt.Raynaldus de Lupica, item Presbyt. Loffiridus de Terracena, item Presb.Tutius de S.Felice, item Presb.Nicolaus de Sopnino, item Vellus Gattula de Gayeta, item D. Stephanus Sarocchi Diacon. item D. Clemens Perunti, item D. Tutiarellus Thomauli, item D. Lucas Aſcion. de Terracena Subdiacon. coram quibus &c. conſtituit ſe perſonalitèr Vir nobilis Noſſus de frugis panibus de Terracena cum eſſet Canonicus dictæ Eccleſiæ S. Cæſarii, nec ipſi Eccleſiæ in aliquo ſerviret, ut Canonicus, neque diſpoſitus eſſet ibidem de cætero ſervire præſertim cum intendat, & anhelet ſe matrimoniali conſortio copulari, & non ſervire ampliùs militiæ Clericali d. Canonicatum cum Prębenda penitùs renunciavit &c. refutavit &c. cum omnibus juribus honoribus, & oneribus &c. ità quod prætextu ſuæ renunciationis licitùm ſit de cætero dictis Domino Epiſcopo loco Archipresb., & aliis Canonicis ſupradictis præfatos Canonicatum, & Præbendam Noſſi prædicti per eum ſolemnitèr renunciatos conferre, concedere, & donare cuicumque perſonæ idoneæ &c.

Franciſcus Belliochi Not. rog.

De reliquis Archipresbyteris videant poſteri.

CAP. VI.

AD Capitulum verò ſpectabat olim electio Terrácinen. Epiſcopi, quæ fiebat una cum Populo fidem faciente S. Gregorio Magno in ſuis epiſtolis, quæ ſunt hujuſmodi.

GRE-

G R E G O R I U S.

Agnello Epiſcopo de Fundis.

RElatio Cleri ſimul,& Populi Terracinę degentis nos valde lætificat ob hoc, quod de tua fraternitate bona teſtatur, & quia defuncto Petro Pontifice ſuo ſibi Cardinalem poſtulant conſtitui te Sacerdotem eorum, vota complenda eſſe prędimus, quatenùs, & illi ſe gaudeant impetraſſe, quod poſtulant, & nos conceſſiſſe, quod expedit, videamur. Quia igitur ob cladem hoſtilitatis, nec in Civitate, nec in Eccleſia tua eſt cuiquam habitandi licentia, ideo te auctoritate noſtra Terracin. Eccleſiæ Cardinalem conſtituimus Sacerdotem admonentes, ut ità de animabus Populorum illic conſiſtentium Deo protegente debeas eſſe ſollicitus, quatenùs callidi, perverſique hoſtis inſidiæ commiſſo ſibi pregi qualibet arte nocere non valeat, ſed ſollicitudinis tuæ grex circumſpectus digni ſe paſtoris gaudeant merviſſe tutamina. In tuis actis plebi exempla bene vivendi exiſtant, avaritia in te vires non habeat. Tua prædicatione qui litteras neſciunt, quid divinitùs præcipiatur, agnoſcant. In Dei timore Populum, queadmodùm vivere poſſit, tui mores inſtituant. Operibus exerce, quod ſubjectos doces, & prædicas: Actus tui in aliorum correptionem proficiaut, in adjutorium ſibi vitæ tuæ imitationem aſſumant, ſicque te in cunctis operibus exhibere feſtina, ut ſcripturam, conſtructionemque in te habeat, quicumque aut negligit, aut non poteſt lectione formari. Tota igitur mentis intentione ità lucrum animarum Domino noſtro facere feſtinato, ut digna te merces ante ejus conſpectum in die retributionis inveniat. Quidquid veró de prædictæ rebus Eccleſiæ, vel ejus patrimoni ſeù Cleri ordinatione, promotione, & omnibus generaliièr ad eam pertinentibus ſolertèr, atque canonicè ordinare, facereque provideris, liberam habebis quippè ut Sacerdos proprius modis omnibus facultatem: Illud, quod fraternitatem tuam ſcire neceſſe eſt; quoniam ſic te prædictæ Terracinen. Eccleſiæ Cardinalem eſſe conſtituimus Sacerdotem, ut & Fundenſis Eccleſiæ Pontifex eſſe non deſinas, nec curam, gubernationemque ejus prætereas, quia ità fraternitatem tuam ſæpe dictæ Terracinen. Eccleſię ſicut prefati ſumus pręeſſe pręcipimus,

 ut

ut antedictę Eccleſię Fundenſis jura, poteſtatemque tibi non ſubtrahamus ex lib.2.regeſt.epiſt.13.

GREGORIUS.

Clero, Ordini, & Plebi conſiſtenti in Terracina.

Dilectionis veſtræ deſideria inſinuata nobis, quam abſtuliſtis, petitio reſeravit, electionemque veſtram valde laudavimus, quia Agnellum fratrem,& Coepiſcum noſtrum probatum jam meritis, Cardinalemque vobis conſtitui deprecamini Sacerdotem, & quoniam gratæ, laudandæque petitioni, nec efficaciter negari, nec moram licebat innecti ſecundum deſideria, petitionemque veſtram, ſupradictum Agnellum directa præceptione veſtræ Eccleſiæ Cardinalem eſſe ſtatuimus Sacerdotem. Prò qua re dilectionem veſtram paterna adhortatione commoneo, ut ei obedientiam præbere in omnibus debeatis, quatenus charitatis veſtræ ſolatio roboratus curam, gubernationemque Eccleſiæ, quam vobis probatur petentibus ſuſcepiſſe adjuvante Domino ſalubriter valeat implere, ex lib. eodem epiſt. 14. Canonicos præfati Capituli egiſſe vitam communem cum proprio Epiſcopo, quem ipſi eligebant, diximus ex Bulla Alexandri Papæ Tertii ſervata in Archivio Cathedralis ſemicorroſa à muribus, quæ talis eſt.

ALEXANDER EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Venerabili Fratri Hugoni Epiſcopo, & Dilectis filiis Canonicis Terracinæ tàm præſentibus, quàm futuris in perpetuum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Ad laudem,& gloriam Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti,necnon ad ipſarum Eccleſiarum tàm in ſpiritualibus, quàm temporalibus profectum. . . . . ea, quæ utili, & honeſta proviſione ſtatuuntur Apoſtolica nos convenit auctori-

tate

tate firmare, ut cum fuerint . . . . per Apoſtolica . . . . roborata in ſuo ſtatu illibata, & inconcuſſa permaneant, & in Divinæ Majeſtatis obſequio multipliciter augeantur . . . . reſcripto, quod nobis frater Epiſcope deſtinaſti, & ex relatione Petri, & Leonis Canonicorum veſtrorum, id ipſum plenè intelleximus, quod tu attendens . . . . . . dignum eſſe, quod quilibet Clericus ipſius Eccleſię in propria domo tanquam Laice vivebat emolumentum in nullum, vel modicum conſequi poſſet . . . . conſtituiſti ſtatuens, ut ibi non plures, vel pauciores ſexdecim Canonicis eſſe debeant, quibus omnes antiquas poſſeſſiones . . . . . vineas, ortos, piſcarias, molendina communia, & . . . . . . piſcariam, quæ dicitur Strunzola . . . . tuo, & totius Capituli alius de eadem Eccleſia, vel aliunde idoneus ordinetur, & is, qui ſubſtituendus futurus . . . . Subdiaconus recipiatur. Statutum eſt inſuper, ut vos, vel ſucceſſores veſtri poſſeſſiones acquiſitas, vel acquirendas poteſtatem . . . . nonnullis caſibus, quos Canones Sacri deſcribunt nempè terrulas, vineolas, & domunculas, quarum pretium in utilitatem Eccleſiæ . . . . ordinatum eſt etiam, ut vos Filii Canonici cum Epiſcopo comedentes inſimul dormiatis, quatenus Domino devotiùs . . . . . ſervire poſſitis. Statuimus prætereà ut tu Frater Epiſcope ſex tantum famulos habeas nempe Cellarium, piſtorem . . . . Canonicis fideliter ſerviant. De jure autem Epiſcopali ſex equitaturas habeas, & vos filii Canonici duas, de redditu molendinorum ematis, quæ ad ſervitium Canonicæ deputetis, & tàm equitaturæ ipſę, quàm Epiſcopus de communi nutriantur. Ad regimen . . . . ex vobis filii Canonici proponantur, quorum unus interiorem curam, alius verò regat exteriorem Nihilominùs, quod piſcarię, & molendina . . . Epiſcopi, & Canonicorum prò veſtimentis, & calceamentis agricolarum diſtribuantur. Pretereà . . . . ſuo . . . . . prędeceſſor tuus ad manus veſtras retinuiſtis eidem Canonicę contuliſti, in qua per unum de Sacerdotibus officiis Divinis, ſeù per . . . . Domino, ac jugiter ſerviant. Ad hęc quiſque veſtrum filii Canonici operam unam in lino cum bobus

Eccleſię in poſſeſſionibus ejuſdem prò veſtimentis . . . . debeat, quam cum propriis expenſis recolligat, & procuret. Ut igitur, quę dicta ſunt in ſua conſtitutione, & ordinatione perpetuis temporibus firma . . . . ea Sedis Apoſtolicę auctoritate roboramus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Liberam quoque electionem Epiſcopi veſtri . . . . volumus ſine quolibet impedimento habeatis, ſtatuentes, ut nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia, vel violentia . . . . . . communi conſenſu, vel pars ſanioris conſilii ſecundum Dei timorem provideritis eligendum. Decernimus ergo ut nulli omninò hominum . . . . temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, aut ablatas retinere, at quomodolibet vexationibus fatigare . . . . conſerventur eorum, pro quorum gubernatione, & ſubſtentatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura, ſalva Sedis Apoſtolicę auctoritate . . . . igitur in futurum Eccleſiaſtica, ſęculariſque perſona . . . . eam temere. . . . . . . ſatisfactione congrua emendantis poteſtatis. . . . . exiſtere de perpetua inquiſitione cognoſcat, & à Sanctiſſimo Corpore, & Sanguine . . . . Redemptoris Noſtri . . . . . . fiat, & in extremo examine Divinę ultioni ſubjaceat. Cunctis autem ejuſdem Eccleſię jura ſervantibus ſit pax . . . . & hic fructum bonę actionis percipiat, & apud diſtrictum Judicem pręmia ęternę pacis inveniat Amen. Apud S.Petrum.

(S. Petrus) ✠
(S. Paulus)

Ego Alexander Catholicę Eccleſię Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Ubaldus Hoſtienſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Baro Presb.Card.S.Pudentianę tit.Paſtor.ſubſcripſi.
Ego Joannes Presb.Card.tit.S.Marci ſubſcripſi.
Ego Petrus Presb.Card.tit.S.Suſannę ſubſcripſi.
. . . . Diac.Card.S.Marię in Coſmedin ſubſcripſi.
Ego Arduinus Diac.Card.S.Theodori ſubſcripſi.
Ego Cinthius Diac.Card.S.Angeli ſubſcripſi.
Ego Hugo Diac.Card. . . . ſubſcripſi.
Ego Raynerius Diac. Card. S. Georgii ad velum aureum ſub-

ſubſcripſi . . . . per manum Alberti Sanctę Romanę Eccleſię Presb. Card. Cancellarii 8. Kal. Martii indict. 11. Incarnationis Dominicę anno 1177. Pontif. verò Domini Alexandri Papę III. anno 19.

Propriam Canonicam prȩfatos Canonicos habuiſſe, & regularitèr vixiſſe cum jam eſſent numero ſexdecim infraſcripta Bulla Clementis Papę IV. edocet, quę ſervatur in Archivio ejuſdem Cathedralis, & eſt tenoris ſequentis.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis Filiis Archipresbytero, & Canonicis Eccleſiæ Terracinen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

QUi Eccleſiarum omnium ex injuncto nobis Apoſtolatus officio curam gerimus generalem imperantes, ut in Eccleſiis ipſis prȩcipuè Cathedralibus cultus Divini nominis laudabiliter obſervetur ea, quę in favorem, & augumentum cultus hujuſmodi ab Eccleſiarum Prȩlatis providè peraguntur Apoſtolicę confirmationis litteris libenti animo roboramus. Sanè petitio veſtra nobis exhibita continebat, quod bonę memorię Gregorius Terracinen. Epiſcopus attendens, quod Archipreſbyter, & Canonici Terracinen. Eccleſię, in qua erat ſex denarius Canonicorum numerus inſtitutus quanquam plures ultrà numerum ipſorum forent ibidem recepti, cȩteri autem ipſorum in domibus propriis cum ſȩcularibus morabantur, ſȩculariter, & vivebant, ac operans, quod ipſi, prout decebat, perſonalitèr in eadem Eccleſia deſervirent, ut adeò commodiùs efficere poſſent quominùs rerum temporalium defectui ſubjacerent eiſdem Archipresbytero, & Canonicis, eorumque ſucceſſoribus Eccleſiam S.Leonardi de Barchis cum Molendinis, & omnibus tenimentis, & pertinentiis ſuis, ortum S.Barbarę, quem tunc ad manus ſuas idem Epiſcopus tenebat, S. Silviani, S. Bartholomęi, & S. Cęſarii ſitas extrà Civitatem Terracinen. Eccleſias cum omnibus Caſalibus, & pertinentiis earundem, quaſdam vineas, terras, & alia bona immobilia, quorum aliqua quidam Canonici ejuſdem Eccle-

Eccleſię ab ipſa Eccleſia in beneficium obtinuerant reſervando ſibi,& ſucceſſoribus ſuis de voluntate prędictorum Archipresbyteri, & Canonicorum quoddam vineale prędictę Eccleſię S. Cęſarii juxtà Caſale conſiſtens in medio, quod tàm Epiſcopus,quã pręfati ſucceſſores, tùm pręſentes Canonici prò tribus, cum verò eos abeſſe contingeret prò duobus Canonicis, vel uno, ſi duos, vel unum ex Eccleſiaſticis ſuis ibi dimitterent, de communibus proventibus Eccleſię prętatę percipere, ſub commodo dedit, tradidit in perpetuum, atque conceſſit, ut in Communi dormitorio, atque refectorio ſimul, & honeſte, diſcreteque comederent, & dormirent, & quod extra refectorium commune, vel dormitorium nihil perciperent, niſi in Civitate Terracinen. vel infirmaretur eorum aliquis, aut prò negotio Eccleſiæ abſens eſſet, & ab Officialibus ipſius Eccleſiæ nihil exigerent,vel in aliquo moleſtiam inferrent eiſdem,ſed omnia in diſpoſitione Archipresbyteri exiſtent habito Fratrum conſilio ſeniori, ſalva canonica correctione Epiſcopo, & ſucceſſoribus ſupradicti; At ſi quis Canonicorum contra faceret per ipſum Archipresbyterum in duplum, idemque Archipresbyter ſi ad id non procederet per Terracinen. Epiſcopum, qui eſſet prò tempore in ſimili puniretur. Ad hæc Divina officia tractim dicerent, & eorũ quilibet in Choro ipſius Eccleſiæ hyemali Capam, ęſtivo verò tempore Cottam haberent,nec ſine ipſis aliquatenùs admitterentur ad Divina officia celebranda, in ipſa autem celebratione certum modum,& quędam alia citra hæc voluit obſervari ſtatuens interim etiam, ut de prædicto numero deficiente aliquo, vel Archipresbytero de remanentibus Subdiaconis, qui tunc ultra numerum ipſum in dicta Eccleſia recepti erant, idem numerus ſuppleretur, quodque ſi aliquis, vel aliqui Eccleſiam deſererent memoratam, alii loco deberent recipi eorundem, & quod quilibet etiam Eccleſiæ Canonicus promotionis ſuæ tempore de prædictis obſervandis teneretur præſtare corporalitèr juramentum,proùt in inſtrumento publico inde confecto pleniùs continetur.

Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati quolibet ex conceſſis ab eodem Epiſcopo, jis dumtaxat exceptis videlicet, quod Terracinen. Epiſcopus prò tribus in præſentia, & duobus, vel uno ex Canonicis ipſius Eccleſiæ in abſentia de communibus

pro-

proventibus ejuſdem Eccleſię percipere debeat,cum id bonę memoriæ Petrus Terracinen. Epiſcopus vobis, & ipſi Eccleſiæ ad preces dilecti filii noſtri Jordani SS. Coſmæ, & Damiani Diaconi Cardinalis tunc Apoſtolicæ Sedis Notarii duxerit remittendum, & de pręfatis Subdiaconis, ut prędictum eſt,d.numerus ſuppleatur, quodque alii loco deſerentium dictam Eccleſiam admittantur, cum hoc prò dictis Subdiaconis, tunc temporis in Eccleſia ipſa receptis ſtatutum fuerit, de ipſis nullus ad pręſens ſuper eſt, qui maneat ultra numerum memoratum, ratum, & gratum habentes illud auctoritate Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus, tenorem ipſius inſtrumenti de verbo ad verbum pręſentibus inſeri facientes,qui talis eſt.

In Nomine Divinę, ac Sanctę Trinitatis in Anno Dominicę Incarn.1227.menſis Octobris die 28.indict. prima,& anno primo Pontif. Domini Gregorii Summi Pontificis, & univerſalis Noni Papę, in Sacratiſſima Sede S. Petri Apoſtoli. Cum Eccleſiaſtici ſint, vel eſſe debeant ſors Dei, & eos oporteat non ſolum à malo ſed etiam ab omni ſpecie mali eſſe alienos,ideo nos Gregorius, qui Dei, & Sacroſanctæ Romanę Eccleſię gratia temporibus iſtis Terracinen. Eccleſię immeriti præſidemus invenientes vos, Dilecti in Chriſto fili Nicolae Archipresbyter cum Eccleſiaſticis, qui eſtis in numero ſexdecim à nobis electi in domibus propriis minùs honeſtè dormire, & cum ſęcularibus ſęcularitèr vivere; cupientes vos inter alios de Epiſcopi voto Gregorii de loco ad locum honeſtiorem migrare, & de virtute in virtutem conſcendere, quantum Deum Deorum in Syon contemplari poſſitis; ut ſicut in factis eſtis in eminentiori Epiſcopatus ſpecula conſtituti, ſitis aliis lucerna ſplendidè lucens: Vobis itaque pręſentibus, & ſucceſſoribus veſtris Canonicę Trracinen. Eccleſię damus, concedimus, & tradimus in perpetuum totam Eccleſiam S. Leonardi de Barcis cum molendinis,& omnibus tenimentis, & pertinentiis ſuis, totum ortum S. Barbarę quem modo ad manus noſtras habemus, reliquus cum pervenerit ad finem nobis debitę locationis; Eccleſiam totam S. Silviani cum Caſalibus, & ſeminibus, cum vineis omnibus, ſicut bonę memorię Symeon prędeceſſor noſter habuit tempore Canonicatus ſui in beneficium cum terris, quas tenet mater, & filius quanquam partim de Galbutio, cum terra, quam tenet in Tyano Stephanus de Affera, ter-

terras, quas tenet Julius Bruma, & vineale quod tenet Marinus Salliacon. in beneficium cum terra, quam tenet Nicolaus Salatinta,& ſoror ejus, & quęcumque poſſeſſiones inventę fuerint hactenùs pertinentes ad ipſam Eccleſiam concedimus Canonicę veſtrę cum ad ipſam pertineant.

Item totam Eccleſiam S. Bartholomęi cum omnibus pertinentiis ſuis.Item totam Eccleſiā S.Cęſarii extra Civitatem Terracinen. cum omnibus pertinentiis, ſuis, niſi quod aliqui pręſentes Eccleſiaſtici, qui non ſunt in Canonica, quandiù non manſerint in ea, fraudentur jure ſuo: Pantanum quod tenet modo Jardinus de Paleario, Caſale quod tenent Eccleſiaſtici, Caſale de Herù, quod tenet Mag.Roffridus, & omnes terras, quas habemus in Prato ſive locatas, ſive non locatas, ſive conceſſas in beneficium damus Canonicę veſtrę reſervantes frui tibi vita, ſicut illis Eccleſiaſticis, & Jardino, qui ea tenent Reſervantes autem vobis, & ſucceſſoribus veſtris de voluntate veſtra vineale ſupradictæ Eccleſię S.Cęſarii juxta vineas noſtras,& in ipſa Canonica, ut percipiantur prò tribus Canonicis ſicut à nobis ſtatutum fuit . . . .

Nonnullis intermiſſis, quę ob lacunas, & litteras deletas intelligi nequeunt ſequitur ità. Vos, & ſucceſſores veſtri in perpetuum debeant, ut contenditis honeſte vivere, & extra refectorium Commune, aut dormitorium nihil percipere, niſi in Civitate vel infirmetur aliquis veſtrum, vel prò negotio Eccleſiæ abſens eſſet, & ab Officialibus Canonicę nihil exigatis, vel extorqueatis, vel in aliquo moleſtiam inferatis eiſdem, ſed omnia in diſpoſitione Archipresbyteri conſiſtant habito ſaniori conſilio Fratrum ſalva nobis, & ſucceſſoribus noſtris Canonica correctione. Si quis verò Canonicorum contrà faceret per Archipresbyrum puniatur in duplum, quod ſi Archipresbyter non puniret, ipſe Archipresbyter à nobis, & ſucceſſoribus noſtris in ſimili puniatur. In celebrandis Officiis Divinis quilibet veſtrum habeat in Choro Cappam in hyeme, & in ęſtate Cottam, ſine ipſis Divinis Officiis pręſertim matutinis ceſſet, at veſperis nullatenùs admittatur cauſa, & omnes horas ſine muſitatione, & murmuratione ſemper alta, & competita voce cantent. . . .

Reliqua verò interrupta, & ferè ſine ſenſu jacent, adeoque omiſimus, Inſtrumentum ſcriptum, & factum fuit per mandatum

prę-

Digitized by Google

prefati Epiſcopi per manum Jardini de Paleariò Teſtes rogati fuere.

Ego D.Leonardus de Raynaldo rog.teſtis.

Ego D.Oddo de Sanguineo rog.teſtis.

Ego D.Joannes de Cruſa rog.teſtis.

[Nomina quatuor aliorum, qui ſubſcripſerunt intelligi nequeunt] . . . Id.Septembr.Pontif.ann.tertio.

Patet ex dictis Canonicis Terracinen. præſcriptum fuiſſe, ut in Choro hyeme gererent Capam, æſtate verò Cottam. Id autem non ob aliam cauſam factum eſſe credimus, niſi quia erant Canonici Cathedralis inſignis, ut probat ſequens epiſtola tranſmiſſa Capitulo Terracin. ab Epiſcopo Cenomanen., quæ ſervatur in Archivio ejuſdem Eccleſiæ, & talis eſt.

Cariſſimis, ac dilectiſſimis Fratribus Dominis Canonicis inſignis Eccleſiæ Terracinen.

CAriſſimi, ac dilectiſſimi Fratres, & amici cordiali recommendatione prævia. Non dubito vos memores eſſe, quod bonæ mem. defunctus Dominus Theobaldus de Lucemburgo genitor meus quondam Cenomannis Eccleſiæ Præſul, cujus anima in pace requieſcat in Eccleſia veſtra Terracinen. me tunc in Roccha, ſive Caſtello Terracinæ exiſten. ſepultus fuit. Cumque accuratè deſiderarem corpus ſuum intrà viſcera Eccleſiæ præd. Cenom. ſuæ quondam Sponſæ inhumari. Vos benevolentia veſtra mihi polliciti eſtis, quod totiens, quotiens pro dicto corpore apud vos Nuncium deſtinarem, illud mihi mandaretis, ſtatui ſiquidem Officium Divinum pro ejuſdem defuncti anima in Eccleſia prædicta Cenom. celebrandi annis ſingulis. Unde ſummo deſiderio, ut dictum corpus in eadem Eccleſia jaceat, afficior; quamobrem præſentium latorem familiarem meum domeſticum ad dominationes veſtras tranſmitto attentè requirens à vobis, quatenus oſſa hujuſmodi corporis, jam, ut arbitror, carnis ergaſtulo exuta ſibi tradere, aut tradi facere dignentur. Quod ſi feceritis gratum mihi facietis ſervitium. Et ſi quid eſt, quod prò Dominationibus veſtris impendere valeam ad omnia paratum me videbitis. Valete in Chriſto, qui vos ad vota confoveat. ex Cen. Diœc.

Amicus, & Frater Veſter

Ph. Epiſcopus Cenomanen.

Digitized by Google

Porrò quis ibit inficias, Cathedralem Terracinen. numeratam eſſe inter inſignes Eccleſias, cum inſtituta fuerit à Principe Apoſtolorum Petro? Sanè admiratus ſum, dum legi, quod Sanctus Gregorius Magnus cum Agnellum Epiſcopum Fundanum Terracinen. Eccleſiæ præfeciſſet, cum Sacerdotem Cardinalem appellaverit, omnem tamen mihi admirationem excuſſit Bartholomæus Chioccarellus in Archiep. Neapol., qui ait, Agnellum in tali caſu nuncupatum fuiſſe à S. Gregorio Sacerdotem Cardinalem, non quia verè Cardinalis eſſet, ſed ut cum ſe Sacerdotem Cardinalem vocatum audiret, inſignioris Eccleſiæ Præſidem electum intelligeret; tale enim nomen tribuebatur Epiſcopis inſigniorum Eccleſiarum, uti teſtatur idem Auctor. Illuſtrarunt autem Terracinen. Eccleſiæ Capitulum plures inſignes doctrina, rerumque gerendarum gloria illuſtres Viri. Hinc legimus Roffridum, & Maximum Canonicos Terracinen. eodem tempore ſub Gregorio Papa Nono fuiſſe Subdiaconos, ac Notarios Apoſtolicos, quam dignitatem obtinuit etiam Jordanus Piruntus Terracinenſis, qui poſtmodùm ex Vicecancellario renunciatus eſt Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis. Petrus Piruntus ex Canonico Terracinen. dictus eſt Epiſcopus Aſculanus, & Simeon, (ad quem extat bulla Honorii III.) ex eadem Canonica electus eſt Terracinenſis Antiſtes, ut innuunt monumenta prædictæ Eccleſiæ; ex qua plures alii Eccleſiarum moderatores, Pontificii Legati, ac Viri delecti in graviſſimis expediendis negotiis emanarunt.

CAP. VII.

FActa diviſione, ut palam fit ex antedictis, & aſſignata congrua portione proventuum Canonicis Terracin. ab Epiſcopo, cujus arbitrio, & ſteterunt, & ſe ſubmiſerunt, nihilominus favore ejuſdem Epiſcopi remanſit neſcio, quod quaſi tributum trium Vivandarum, quæ præſtare eidem tenebantur in diem Canonici præfatæ Cathedralis. Harum verò adeſt remiſſio facta à Fr. Petro Epiſcopo Terracinen., & ſervatur in Archivio ejuſdem Eccleſiæ Bulla confirmatoria obtenta ab Alexandro Papa Quarto, quæ eſt tenoris ſequentis.

ALE-

ALEXANDER EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilectis filiis Archipresbytero, & Canonicis Terracinen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CUm à nobis petitur, quod juſtum eſt, & honeſtum, tàm vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Sanè petitio veſtra nobis. Exhibita continebat, quod Venerabilis Frater noſter Terracinen. Epiſcopus tres vivandas, quas ipſe, ac prædeceſſores ſui à vobis diebus ſingulis conſueverunt percipere vobis, & Canonicæ veſtræ remiſit in perpetuum recepta propter hoc quadam pecunię quantitate convertenda in emptionem poſſeſſionum ad opus Epiſcopalis menſæ, proùt in Inſtrumento publico indè confecto pleniùs continetur.

Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ſuper hoc ab eodem Epiſcopo factum eſt ratum, & firmum habentes id auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus decernentes remiſſionem hujuſmodi plenum robur firmitatis habere, ac fore perpetuis temporibus inviolabilitèr obſervandam, ac nihilominùs irritum, & inane ſi quid contra eam per eundem Epiſcopum, aut ſucceſſores ſuos aliquo tempore contigerit attemptari. Tenorem autem ipſius Inſtrumenti de verbo ad verbum præſentibus inſeri facientes, qui talis eſt.

In nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti anno Dominicæ Incarnationis 1257. indict. prima menſis Decembris die 8., & anno tertio Pontif. Domini Alexandri IV. Papæ in Sacratiſſima Sede B. Petri Apoſtoli. Hac die in præſentia mei Scriniarii, & teſtium ſubſcriptorum ad hoc ſpecialitèr convocatorum, & rogatorum Venerabilis Pater Dominus Frater Petrus Terracinen. Epiſcopus recepit, & confeſſus eſt, & recognovit ſe integrè recepiſſe, & habuiſſe centum libras bonorum Provenien. Senatus à Donno Inginibaldo Canonico Terracinen. Procuratore Venerebilis Viri Domini Magiſtri Jordani Domini Papæ Subdiaconi, & Notarii ſolvente, & numerante nomine ipſius convertendas in emptionem poſſeſſionum ad opus Menſę Epiſcopalis Terracinen. de ipſa

pecunia faciendam ob recompenſationem trium vivandarum trium Canonicorum, quas idem Dominus Epiſcopus de Canonica Terracinen. Eccleſiæ percipiebat ſingulis diebus. Quas quidem vivandas idem Dominus Epiſcopus Canonicæ præfatæ in perpetuum remiſit, & conceſſit pro ſe, & ſucceſſoribus ſuis intuitu Dei, & ob reverentiam B. Cæſarii, & ad multam inſtantiam prædicti Domini Magiſtri Jordani; reſervavit tamen ſibi prædictus Dominus Epiſcopus correctionem Canonicam ſuper Canonicos, quam habet à jure communi, & à privilegio antiquo Canonicæ. Quam quidem remiſſionem idem Dominus Magiſter Jordanus contemplatione venditionis ſibi factæ ab Eccleſia Terracinen. de quibuſdam Camerulis, Domo, & Apothecis prædictę Canonicæ ab eodem Domino Epiſcopo fieri procuravit volens eidem Eccleſiæ per ſolutionem prædictæ quantitatis centum librarum, & men. . . . . . Canonicæ per remiſſionem vivandarum hujuſmodi ſuper venditione prædictarum Camerularum, Domus, & Apothecarum, licet de ipſorum pretio ſatisfeciſſet ad plenum, proùt in Inſtrumentis publicis inde per manus Domini Petri Craſſi Judicis, & Scriniarii Terracinen. & mei Gregorii de Balena Scriniarii confectis pleniùs, & evidentiùs continetur, uberiùs providere. Renunciavit enim præfatus Dominus Epiſcopus exceptioni non numeratæ, ſeù non receptæ pecuniæ, immò ipſam pecuniam in emptionem poſſeſſionum Epiſcopalis menſæ collocare promiſit. Et ſi quid prædictæ tres vivandæ plus quàm prædictum pretium centum librarum valeret pro multis gratiis, & acceptis beneficiis, quæ idem Dominus Magiſter Jordanus eidem Domino Epiſcopo, & prædeceſſori ſuo fecit, & facere poterit in futurum Donno Jacobo Archipresbytero Terracinen. nomine dictæ Canonicæ inter vivos irrevocabilitèr donavit, & eundem Donnum Jacobum Archipresbyterum nomine ejuſdē Canonicæ de ipſis tribus vivandis per quandā clavem cujuſdam ſcrinei corporalitèr inveſtivit: Quam remiſſionem, & conceſſionem, & quæ omnia ſupradicta univerſa, & ſingula jam dictus Dñus Epiſcopus promiſit pro ſe, & ſucceſſoribus ſuis jam dicto Archipresbytero recipienti, & ſtipulanti pro parte, & nomine jam dictæ Canonicæ rata, & firma habere, atque tenere perpetuò, & contrà per ſe, vel per aliquem aliquandò non facere, non venire ſub pœna duple prædictarum centum librarum, & ea ſolu-

ta prædicta omnia, & ſingula in ſua nihilominùs perpetua firmitate conſiſtant; renuncians prænominatus Dñus Epiſcopus omni juris beneficio, quo remiſſionem, & conceſſionem prædictam, & omnia ſupraſcripta, vel ſupraſcriptorum aliquod poſſet infringere, ſeù ſeipſum contra prædicta, vel aliquod prædictorum tueri. Signum ſupraſcriptore, qui hoc Inſtrumentum fieri, & ſcribi per manum Gregorii de Balena Scriniarii rogaverunt menſe, die, & indict. ſupraſcriptis.

Ego Guiniſcius D. Armanni rogatus teſtis.

Ego Matthæus de Roſa rogatus teſtis.

Ego Baſilius rogatus teſtis.

Ego Gregorius de Balena S. R. E., & Civitatis Terracinen. Scriniarius hoc inſtrumentum ſcripſi, complevi, & abſolvi.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. Viterbii 14. Kal. Octobris Pontif. noſtri anno quarto.

Poteſtatem eligendi novos Canonicos loco deficientium in Cathedrali Terracinen. penes Epiſcopum, & Capitulum ejuſdem Eccleſiæ fuiſſe liquet ex ſequenti Inſtrumento largitionis.

In Nomine Domini, & Individuæ Sanctæ Trinitatis anno Dominicæ Incarnationis 1196. indict. 14. menſis Februarii die 22., & anno quinto Pontificatus Domini Cęleſtini Summi Ponticis, & univerſalis III. Papæ in Sacratiſſima Sede B. Petri Apoſtoli. Quoniam ea, quæ inter homines contrahuntur facilè oblivioni mandantur, propterea juris eſt remedio ſtabilitum, ut ea, quæ in publicis litteris adſcribuntur fidem rei geſtæ contineant; ideoquè ego Tedelgarius Dei gratia Terracinen. Epiſcopus ad honorem Omnipotentis Dei, & B. Cęſarii Levitæ, & Martyris patroni noſtri, & remiſſionem animæ meæ ab hac præſenti die mea bona voluntate concedo vobis duodecim Canonicis ejuſdem Eccleſiæ videlicet Caranzoni Archipresbytero, Joanni Comeſtabili Diacono, Alderico Diacono, Presbytero Jo: Caſatæ, Presb. Ilfredo, Archidono Diacono, Presb. Leoni Ingibaldi, Angelo Subdiacono, Joanni Sclinardo Subdiacono, Nicolao Subdiacono, Silviano Subdiacono, & Baroni Subdiacono totum Caſale

S. Cę-

S. Cęſarii ſcilicet Pompii in beneficium, ut in Divinis miſteriis celebrandis attentius de cętero jugitèr vacare valeatis.

Præterea cum divina celebrantur officia ut honeſtius exequantur in poſterum, perpetuo ut in Choro in hyeme cum Capis, & in æſtate cum Cottis canonicè conſiſtatis. Sanè ſi aliquandò aliquis de numero præfatorum Canonicorum fata conceſſerit in poteſtate Epiſcopi, & Canonicorum conſiſtat, quem velint in locum deficientis de gremio ejuſdem Eccleſiæ ſubrogare. Cęterum ſi aliquis Canonicornm alii Eccleſiæ ſervierit, dum illi Eccleſiæ ſervierit de hoc prænominato beneficio non percipiat, ſed aliis Canonicis portio alibi ſervientis accreſcat, donec ille revertatur. Profectò ſi vos Canonici me Tedelgarium Terracinen. Epiſcopum communiter moleſtaveritis, & à me bis, aut tertio commoniti fueritis, & non deſtiteritis, præſentem largitionem irritam volo fieri, & vacuam. Quod ſi reſidui Clerici, qui extrà prænominatum numerum ſunt contra me aliquid attentare præſumpſerint vos unanimitèr mihi contra illos fideliter aſſiſtetis. Intereà charitatem veſtram exoro, ut in orationibus veſtris pietatis contemplatione me perpetuò participem efficiatis. Nos verò jamjam dicti Canonici piis ſupplicationibus veſtris annuere cupientes te ſpecialem Patrem, & Dominum, & utique benefactorem unà cum ſucceſſoribus veſtris in orationibus noſtris humiliter perpetuò recipimus hoc modo, ut poſt Miſſam veſtram in omni menſe Miſſam cum vigiliis celebrabimus, & in Anniverſario Sacerdotes Miſſas, & reliqui inferioris ordinis pſalterium prò redemptione animæ veſtræ concedente Domino celebrabimus. Et ſi nos, vel ſucceſſores noſtri hoc adimplere noluerimus hoc beneficium irritum ſit, & Epiſcopo devoluatur. Idcircò Divino intuitu ab hodierno die licentiam, & poteſtatem do vobis Canonicis in ſupradicto Caſali intrandi, & laborandi, & omnes ex eo fructus percipiendi. Si quis verò contrà Canonicæ largitionis, & conceſſionis paginam auſu temerario venire præſumpſerit anathematis vinculo ſubjaceat perpetuò innodatus. Hoc Canonicè conceſſionis, & largitionis Inſtrumentum factum, & ſcriptum eſſe rogavimus per manus Nicolai Scrin.Civitatis Terracin.in menſe,& indict.ſupradicta.

✠ Signum per mandatum ſupradicti Epiſcopi,& dictorum Canonicorum,qui hoc Inſtrumentum fieri rogaverunt.

Ego

Ego Arnulphus Theobaldi rog. teſtis.
Ego Raynerius Broda rogatus teſtis.
Ego Joannes Caſata rogatus teſtis.
Ego Matthæus Ingibaldi rogatus teſtis.
Ego Bonhomo rogatus teſtis.
Ego Oderiſius Guilielmi rogatus teſtis.
Ego Angelus Stephani rogatus teſtis.
Ego Baro Trita rogatus teſtis.
Ego Gregorius de Ode rogatus teſtis.

Et ego Nicolaus Eccleſiæ, & Civitatis Terracin. Scrin., & miles hoc Canonicè Inſtrumentum largitionis conceſſionis, & donationis confeci, & abſolvi &c.

Menſam Epiſcopalem Terracinen. Eccleſiæ fuiſſe quandam maſſam communem inter Epiſcopum, & Canonicos ejuſdem ſequens donationis Inſtrumentum nos abundantius docet.

In nomine Domini, & Sanctæ Trinitatis anno Dominicæ Incarn. 1221. menſ. Septembr. die 16. indict. 10., & anno Sexto Pontif. Domini Honorii Summi Pontificis, & univerſalis III. Papæ in Sacratiſſima Sede B. Petri Apoſtoli.

Ego Leo Puppa miles Civitatis Terracinæ habitator de mea bona, & libera voluntate prò redemptione animæ meæ, Patris, & Matris, & fratrum meorum do, dono, & trado inter vivos vobis D. Simeoni Ven. Epiſcopo, & Capitulo Terracinen. nomine Terracinen. Eccleſiæ ſcilicet totas terras meas, quas habeo in territorio Terracinen. ad Circejum in loco, qui dicitur ad extremum, quarum hii ſunt affines de terra à petra focali ſunt hii à primo latere terra Gregorii de Benedicto de Aczo a ſecundo latere via, à tertio latere petra focalis, & à quarto latere terra Santi Felicis, de alia terra hii ſunt affines à primo latere terra Eccleſiæ Terracinen. à ſecundo latere terra S. Felicis, à tertio latere mons, & à quarto latere terræ hęredum de Vivone de Uribella, & parentorum; de alia terra, quæ fuit Mariæ de Leone de Fundis hii ſunt affines à primo latere terra hæredum Nicolai Guercii, à ſecundo latere terra parentorum, à tertio latere alia terra donata, & à quarto latere rupes montis, quas omnes terras dono, & trado cum omnibus ſuis utilitatibus ità quod in perpetuum ad menſam Terracinen. Eccleſiæ ſpectent, & pertineant, retento mihi uſufructu in vita mea. Ad hæc præcipio, & volo, quod ſi

quod

quod teſtamentum feci, & ſi quas donationes, vel dationes, irritentur, & evacuentur, & nullas de cætero vires habeant. Quam donationis chartam ſcriptam, & factam eſſe rogavi in præſentia Presbyteri Joannis Madii, Domini Nicolai de Joanne de Petro Subdiaconi, Domini Joannis Celati Diaconi Procuratoris Sancti Donati, & ſubſcriptorum Teſtium per manum Jardini de Paleario Scriniarii Civitatis Terracinæ in menſe, & indict. ſupraſcripta ✠ Signum per mandatum prædicti donatoris.

Ego D.Bonus homo Subdic. Sanctæ Mariæ Baſilicæ Novæ rog. teſtis.

Ego Dominus Guttifredus Canis rog.teſtis.

Ego Marcus rog.teſtis.

Ego Simeon de Domino Pandolfino rog. teſtis.

Ego Abbamons Palombo rog.teſtis.

Ego Jardinus de Paleario Dei gratia, & S.R.E. & Civitatis Terracinæ Scriniarius ſcripſi,cumplevi,& abſolvi.

Donavit, ſeù potiùs reddidit Eccleſiæ Terracinen. Caſale de Flexu Leo comes Fundanus, uti teſtatur ſequens ſcriptura vetus.

In nomine Domini Dei Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti Anno Deo propitio Pontif. Domini Urbani Summi Pontificis, & univerſalis Secundi Papæ anno quinto in Sacratiſſima Sede B. Petri Apoſtoli indict. prima menſe Octobris die quinta. Quoniam certum eſt me Dominum Leonem Comitem Fundanæ Civitatis. Hac die do, dono, reddo, cedo, trado, & irrevocabilitèr largior propria, & ſpontanea mea voluntate tibi Petro Venerabili Terracinen. Epiſcopo vice B. Cæſarii Martyris, tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum, ideſt Caſale poſitum foras Civitatem Terracinæ in loco, qui vocatur Flexu ſubter uia, & ſuper via ſicuti veſtri anteceſſores eum poſſiderunt, ità vobis integritèr concedo, trado, atque reddo, quas verò prò ſupradicto Caſale in integro, & cum omnibus ad ſe pertinentibus . . . .
ita Ego vobis concedo vice B. Cæſarii prò cujus amore ſupradictum Caſale in integro reddimus, ut à præſenti die habeas, teneas, poſſideas, utendi, fruendi, poſſidendi, vendendi, donandi, commutandi, vel quidquid exindè facere, ſive peragere volueris in tua, tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum ſit poteſtas, & nunquam à me, neque ab hæredibus, & ſucceſſoribus meis, neque

què etiam à nulla perſona magna, vel parva à me ſubmiſſa contra te,tuiſque ſucceſſoribus aliquam aliquando habebis quæſtionem, aut calumniam, ſed etiam in omni tempore ab omni homine. . . . . & defendere promitto una cum hæredibus meis tibi tuiſque ſucceſſoribus in omni loco, ubi neceſſe fuerit prò amore Dei, & B. Cæſarii, & prò redemptione animæ meæ. Unde dico ego per Deum Omnipotentem,Sanctamque Sedem Apoſtolicam, ſeù ſalutem noſtri Beatiſſimi, & Apoſtolici Domini Urbani Summi Pontificis, & univerſalis Secundi Papę.

Hæc omnia, quæ præſentis hujus ad id præſcriptæ donationis, & redditionis charta præſcripta diffusè eloquitur inviolabilitèr conſervare, atque adimplere promitto, ſi enim quod abſit, & quoquo tempore ſi ego cum hæredibus, & ſucceſſoribus meis, aut contra hanc à die præſentis donationis, & redditionis chartam, quam ſpontè fieri rogavi, agere, aut cauſare præſumpſero prò quolibet modo, ingenio, vel antepoſita occaſione, tunc non ſolum perjurii reatum incurram, verum etiam, & daturum me promitto una cum hæredibus, & ſucceſſoribus meis tibi, tuiſque ſucceſſoribus in Eccleſia B. Cęſarii decem libras auri, & poſt ſoluta pæna hanc chartam firmam, & ſtabilem in perpetuum maneat, quam chartam donationis, & redditionis à me factam, & ſcriptam rog. per manum Vivo Diaconi, & Scriniarii Civitatis Terracinę in menſe, & indict. ſupradicta.

Ego Leo Comes Fundanę Civitatis hanc chartam prò amore Dei,& B.Cæſarii confirmavi, & propriis manibus ſignum S.Crucis feci.

Quinque Teſtium nomina reliquimus, quia nequeunt intelligi.

Ego Vivo Diaconus,& Scrin.Civitatis Terracin.hanc chartam poſt ipſum ſubſcrpſi,complevi,& abſolvi.

Adeſt ſuper eadem re,ſeù donatione Caſalis de Flexu aliud teſtimonium antiquitatis, nempè ſequens ſcriptura, quæ nimiam vetuſtatem olet, & eſt ſequentis tenoris.

In Nomine Domini, & Dei Salvatoris Jeſu Chriſti Anno Deo propitio Pontificatus Domino Benedicto Summo Pontifici, & univerſali Papa in Sacratiſſima Sede Beati Petri Apoſtoli indict.7. menſis Madii die 15., ſemper namque Omnipotens Deus,

 & mi-

& miſericors juſtitiam ab injuſtitia diſcernit,& diſcordes ad concordiam revocat. Is brevis memoria facio ego Coſtantino filio Leo, & de Amata vonæ memoriæ havitator de Civitate Fundi modo venit in Civitatem Terracin. ſtetit in peſſima infirmitate, quæ eſt mala ſcanna, nihil potebat loquere, nec aqua inglutire, neque ſaliva. . . . ſemivivo, ſed diligebant vocare in fren. mei, & cognati ad domum Marino Socero meo, & planxerant, & anguſtiaverant, uvi jacebat in lecto . . . . conſentiente Deo per ipſa cruce betuſta,quæ eſt in Eccleſia Beati Petri Apoſtoli, & Beato Cęſario Martyre, & S.Juliano, & Felice, & Euphroſina, ut ego loquarer, & facere teſtamentum de mea cauſa modo venerit D. Joannes Epiſcopus cum Clerici cum aqua benedicta, qua lavarat pedes Dominus Noſter Jeſus, quæ eſt in ſupraſcripta Cruce betuſta, & dederunt mihi bivere, ſtatim ut bivit aqua ipſa, bulnus quod habebat in gutture crepuit, & vomuit multa fracidume, modo venit mihi loquela, ut fuiſſe ranus ſtatim me cepit pęnitentia de mea peccata, & fecit teſtamentum de mea cauſa, & promiſit Deo; ut redderet ipſum Caſale cum tota pertinentia ſua ad Sanctum Cęſarium ego tenebam ad portelle, quod in prino tempore vocabatur monte Frontulianum, poſteà ivi ad Fundi ad domum meam, & pauſavi, & ſanavit me fortiter, & venit in Civitat. Terracin. cum mea voluntate unum diem Sanctum Domincum intro in Eccleſia B.Petri Apoſtoli ante ipſam Crucem, & orabit me, & ivi ſuper ipſum altare uvi Beatus Cęſarius, & Sancti Martyres requieſcunt poſt Miſſam finitam ante Dño Joannes Epiſcopus, & Clero, & Populo, & poſui Inſtrumentum ſuper ipſum altare de ipſo Caſale, quod ego Coſtantino tenebat de Flexu ab ipſo portelle cum aquiolo, & fuſſellis ſuis, & refutavit ad Sanctam Crucem, & ad Sancti Martyres, & ad Epiſcopus, & ad ſuos per uſque in perpetuum totum ipſum Caſale de Flexu da ipſe portelle deſuper via, & de ſubter ſive cultum, vel incultum cum arboribus fructiferis, vel infructiferis, & cum introita, & extita ſua, & cum totis ſuis foſſellis uſque ad lacum, & cum ipſo aquiolo da portelle, quem ſi quolibet tempore ego Conſtantino, aut . . . . . ardeo, aut à me ſummiſſa perſona magna, vel parva litem, aut corruptionem aliquam faceret ad ipſam Eccleſiam de totum ipſum Caſale, & dę Aquiolo, & de Fuſſellis aut . . . . . libus

obin-

obindè apparuerint,aut de Caſale,vel de Fuſellis, aut de aquiolo inanis,& vacua fiat,& in ſe roborem non habeat, inſuper componam auri ebritii libræ ſex, & poſt compoſitio facta hoc breve firmum permaneat ſemper.

Signum ✠ manu ego Conſtantino per hunc breve per meam rogationem ſcriptum à Franco Scrin., & tavel. dictæ Civit. in menſe, & indict.ſupraſcripta.

Marco de Juſo fui teſtis; Leo de Vivo fui teſtis; Bono de Qualmanno fui teſtis; Joannes Caſata fui teſtis; Petrus de Andrea fui teſtis; Placido fui teſtis; Formoſo Nolinqua Buſca fui teſtis; Aliſelmo fui teſtis;Gregori de Vivia fui teſtis.

Ego Franco Scrin.,& tavel.dictæ Civit.poſt teſtium ſubſcript. complevi, & abſolvi.

Plura Terracinen. Eccleſiæ privilegia, ac monumenta potuiſſem afferre, niſi quidam Canonicus ejuſdem Cathedralis, cujus memoria apud poſteros nunquam in benedictione erit, ſeculo elapſo illa, & quidem antiquiora intrà ligneam capſulam incluſa transferendi gratia Romam, ut vertenda daret, dum moram nectit ſuper moram, à muribus per foramen nemine obſervante illapſis corrodi permiſiſſet. At quoniam properamus ad finem hujus tertii libri, & alia nobis antiquitatis teſtimonia deſunt, quia & deeſt commoditas Archivia Almæ Urbis inviſendi, his paucis jam prælibatis poſſumus animo acquieſcere, & ſicut promiſimus, ne lectori ſtomachum moveat, aut caput obtundat verboſa diſſertatio, Sacrarum Reliquiarum in Eccleſia Terracin.exiſtentium notam apponere non differamus, quæ talis eſt.

RELIQUIÆ SACRÆ,

Quæ ſervantur in Eccleſia Cathedrali Terracinæ.

De Ligno Crucis Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti.
De Panno, ubi involutus fuit Chriſtus,quando natus eſt.
De Sindone, in qua involutum fuit Corpus Chriſti.
De lecto, & veſtimento Deiparæ Virginis.
De lapide, qui fuit ad oſtium monumenti Domini.
De lapide domus, in qua habitavit Deipara Virgo.
De lapide ſepulchri,in quo repoſita fuit Virgo Maria.

De lapide,qui fixus fuit in terram ad firmandam Crucem Dñi.
De lapide S.Stephani Prothomart.
De lapide antri,ubi pęnitentiam egit S.Maria Magdalena.
De ſanguine S.Laurentii Mart.
Brachium S.Cęſarii Levitæ, & Mart.
Brachium S.Silviani Epiſc., & Confeſs.
Brachium S.Eleutherii Epiſcopi.
Brachium S.Euſebii Mart.
De brachio S.Felicis Mart.
De genu S.Stephani Prothomart.
De oſſibus ejuſdem Prothomart.
De veſtimento B.Jacobi Fratris Dñi.
De brachio S.Pauli Apoſtoli.
De panno, & cilicio S.Thomæ Archiep.Cantaurienſis.
De gamba S.Sixti,& aliæ reliquiæ ejuſdem Sancti.
De capillis S.Luciæ Virg., & Mart.
De coſta S.Blaſiii Epiſc., & Mart.
De oſſibus B.Jacobi Apoſtoli.
Reliquiæ S.Bartholomæi Apoſtoli.
Reliq.S.Barnabæ Apoſtoli.
Reliq.S.Martini Epiſcopi.
Reliq.S.Ambroſii Epiſc., & Doct.
Reliq.S.Thomæ Aquinatis.
Reliq.SS.Nerei, Achillei, & Chriſtophori Mart.
Reliq.S.Benedicti Abbatis.
Reliq. S.Catharinæ Virg., & Mart.
Reliq. S.Eraſmi Epiſc., & Mart.
Reliq.SS.Damiani, Chriſanti, Dariæ, & Victorini Mart.
Reliq.SS. Fabiani, & Sebaſtiani Mart.
Reliq. SS.Sixti, & Euſebii Confeſs.
Reliq. SS.Eleutherii Confeſs.
Reliq.SS.Andreæ Apoſtoli, & Zachariæ Prophetæ.
Reliq.SS.Primi, Feliciani, & Victoriani Mart.
Reliq. S. Feliciſſimæ Virginis.
Reliq.SS.Apoſtolorum Petri, & Pauli.
Reliq.S.Fabiani Papæ, & Mart.
Reliq.SS.Theodori, & Dionyſii Mart.
Reliq.SS,Mart.Cęſarii, Sixti, & Feliciſſimæ.

Re-

Digitized by Google

Reliq.SS.Mart. Georgii,Euſtachii,& Coſmæ Mart.
Reliq.SS.Innocent.Mart.,& quatuor Coronatorum Mart.

Has omnes Sanctorum reliquias viſis litteris authenticis Epiſcoporum Terracinen. approbavit, ſuoque ſigillo munivit, decretumque appoſuit anno elapſo 1705.Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Dominus Victor Felix Couccius Epiſcopus Fundanus Viſitator Apoſtolicus Civitatis Terracinæ,& totius ſuę Diœceſis à Sanctiſſimo Domino Papa noſtro Clemente XI.declaratus, qui conſiderans utraſque thecas poſt altare majus S.Cæſarii è lateribus pulcherrimè conſtructas à Fabritio Peruſino Epiſcopo Terracin.,auferri eaſdem ex Arca Canonicorum,& ibidem reponi mandavit,exiccata prius humiditate.

In una illarum leges . Cuſtodivit Dominus oſſa eorum ; in altera verò adeſt inſcriptio : Sanctorum tùm veteris, tùm novi teſtamenti reliquias alio olim loco reconditas Fabritius Peruſinus Op. . . . . Epiſc. Terracin. Provinc. Campan.Maritimæque Generalis Gubernator his extructis thecis honorificentiùs,atque præſtantius cuſtodiendas curavit Anno Domini 1602. Magnus quidem eſt numerus dictarum reliquiarum , ſed major eſt illarum , quæ ſine nomine jacent : Has olim quoque extitiſſe docet Chron. Foſſæ novæ ad annum 1196. ubi de conſecratione S. Mariæ de flumine de Ceccano inquit; Aſſiſtente, & cooperante ei Domino Tedelgario venerabili Terracinen. Epiſcopo de reliquiis iſtis de veſtimento Virginis Mariæ , Philippi, & Jacobi, Marci, & Marcelliani , Chriſanti, & Dariæ Concordi Martyris , & aliorum Sanctorum , quorum nomina Deus novit . Prò certo eſſe poteſt, prælibatas reliquias è ſua ſponſa Eccleſia illuc deportaſſe Tedelgarium Epiſcopum , neque dubium eſſe debet Cathedralem Terracin. tantis reliquiis cumulatam , exornatamque fuiſſe , cum enim ſit Eccleſia omnium in Campania antiquiſſima, quæ plurium Sanctorum Martyrum cruore illuſtrata fuit, ac plurièſ in ſinu ſuo Summos Pontifices profugos ob tyrannorum perſecutionem excepit ; credibile eſt , eam quam plurimis Sacris Reliquiis,donis,ac privilegiis per eoſdem Chriſti Vicarios cohoneſtatam remanſiſſe. Verùm ob temporum injuriam ſicut nonnullorum privilegiorum , ità & multarum reliquiarum memoria periit : Hinc nulla modo extat memoria connotans aquam benedi-

ctam,

ctam, qua Salvator Noſter Jeſus Chriſtus lavit pedes Apoſtolorum, & tamen illam extitiſſe docet in Cathedrali Terracin. ſcriptura vetuſtiſſima à nobis ſuperiùs data, ubi fit mentio de Conſtantino Comite Fundorum, de Cruce vetuſta, Joanne Epiſcopo Terracinen., atque aliis multis, quæ ità ſcripta ſunt, ut multam vetuſtatem ſapiant. Sed hæc quoad Eccleſias Terracinen. aliaſque res ad ipſas pertinentes nobis dixiſſe ſufficiat; de cæteris videat poſteritas.

DE

Digitized by Google

DE HISTORIA TERRACINEN.

LIBER QUARTUS.

De Epiſcopis Terracinen.

PROŒMIUM.

TERRACINEN. Epiſcopos plures fuiſſe, quam infra in ſerie deſcripta notavimus, nemo eſt, qui inficias ibit, inito enim calculo annorum, qui à prima infantia naſcentis Eccleſiæ uſque ad milleſimum à Partu Virginis decurrerunt, obſervabis plura ſæcula præteriiſſe, in quibus nulla extat mentio Terracinen. Antiſtitum. Ea quippè fuit illorum temporum calamitas, ut niſi ſubſcriptione in Conciliis à Summis Pontificibus habitis eorum aliquis emergeret, ferè omnes in tenebris ignorantiæ obvoluti, cunctiſquè ignoti ſcriptorum litteras fallerent: At quoniam in rebus antiquis acquieſcendum eſt iis paucis, quæ temporum voracitas ad noſtram notitiam devenire permiſit, operæ pretium duxi brevitèr de Epiſcopis Terracinen., eorumque operibus recenſitu dignis ſermonem habere; & quia noſtra ætate plurimæ exuſcitatæ ſunt lites de jure abſoluto Cathedræ Epiſcopalis Terracinen., dequè ejus Diœceſi, facere non poſſum, quin aliquid ſuper his delibando, quid evenerit, explicem, ut omnibus ſincera veritas ob oculos eluceat, & extortæ, derivatequè ex falſis principiis concluſiones lectitantium animis imponere valentes penitùs elidantur.

Itaquè in hoc libro diſcuſſis nonnullis circa opera Pręſulum Ter-

Digitized by Google

Terracinen., deſpriptaquè eorundem ſerie, ac Diœceſi, tandem ad litium deciſionem accedam, & in medium, quidquid ſtatuerit Sac. Rotæ congregatio, producam.

CAPUT I.

De Epiſcopis Terracinen.

INter alias Urbes Italiæ, quæ ſe jactant Sedem Epiſcopalem jam indè à primis Chriſtianæ Fidei exordiis obtinuiſſe, eſt Terracina, quæ ſibi S. Epaphroditum primum Epiſcopum à Principe Apoſtolorum Petro collatum gloriatur, qua de re Metaphraſtes die 29. Junii in actis Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli ità. Cum autem S. Petrus non diù manſiſſet apud Romanos, & ſancto baptiſmo multos regeneraſſet, venit Terracinam, in qua cum Epaphroditum ordinaſſet Epiſcopum, venit Sirmium Civitatem Hiſpaniæ: Unde meritò Terracinen. Eccleſia à nonnullis inter inſigniores Cathedrales reponitur, qui titulus etſi ei modo non competat propter infrequentiam populi, & inopiam Cleri præſentis, competere tamen poteſt ratione antiquitatis, & inſtitutionis præcipuè verò cum olim, & populo quam maximè frequens, & Clero copioſiſſima fuerit, duaſque Canonicas cum Archipresbyterali dignitate, & Eccleſiaſticis multis enumeraverit. Quo autem modo acciderit prima Terracin. Epiſcopi inſtitutio, alii alia dicunt. Metaphraſtes, de quo ſupra, docet Divum Petrum ab Urbe Terracinam veniſſe, ibidemque conſtituiſſe primum Epiſcopum S. Epaphroditum; Ciacconius tomo primo ſui operis ab Urbe Terracinam eundem à Sancto Petro tranſmiſſum fuiſſe refert, Michael Angelus Lualdus, aliique opinantur S. Epaphroditum ordinatum fuiſſe Epiſcopum Terracinæ, dum Princeps Apoſtolorum terreſtri itinere, Capua, ubi Priſcum inſtituerat Antiſtitem, diſcedens Terracinam pervenit, & inde Romam perrexit; ſed quoquo modo id acciderit, nihil intereſt, modò tamen meritò, non caſu (ut excidit ex ore cujuſdam) hoc eveniſſe dicamus; & ſanè nefas eſt aſſerere, caſu eveniſſe creationem piiſſimi Antiſtitis habitam à Principe Apoſtolorum, cujus opera dirigebantur à Spiritu Sancto, adeoquè caſu operari non poterat, in Urbe Terracina toto Orbe Terrarum eo temporis celeber-

leberrima. Erat enim totius Campaniæ caput, nulliquè Nobilium Italiæ Civitatum honore, gloria, & amplitudine concedebat; notiſſima etiam erat Sedes, ubi Almæ Urbis Præſides ad Provinciæ Campaniæ gubernium miſſi reſidebant; Hinc ex illorum nefariis juſſibus plures Chriſtiani gregis oves ad Regna Celorum evolare vidit; Quo autem tempore S. Epaproditus datus ſit Epiſcopus Terracinenſibus ex Baronii, & Ciacconii opere colligere poſſumus; Baronius enim ad annum 46. ait.

Hoc anno habuit à Petro inſtitutos Epiſcopos Siciliæ Pancratium, Capua Priſcum, Terracina Epaphroditum; & Ciacconius tom. 1. pag. 41. inquit anno Chriſti 56. Pontificatus Petri anno 24. Neronis Imp. anno primo in Urbem reverſus [nempe S. Petrus] nam abierat vetante Claudii edicto Judęos Romę eſſe, quod ipſius obitu ſpirarat. Multos interim ex ſuis diſcipulis factos Epiſcopos prædicandi Evangelii gratia in diverſas Provincias direxit. In Siciliam Pancratium, in Capuam Priſcum, in Neapolim Aſprenem, in Terracinam Epaphroditum: Horum itaquè auctoritati ſi ſtandum eſt; Terracina non minùs celebris Capua erat, dum ſibi quoquè ordinationem Epiſcopi à primo Vicario Salvatoris Noſtri; ſicut illa promeruit. Facta inſtitutione Epiſcopi Terracinæ S. Epaphroditus, cui ea Provincia obvenit, ità ſe geſſit ut ſemen Chriſtianæ Fidei à Principibus Apoſtolorum Petri, & Pauli in eadem Civitate diſſeminatum non ſolùm excoluerit, verum etiam per finitima loca, totamquè Campanię Provinciam propagaverit; dein reverſus ad ſuam ſedem aſſidua, plenaquè fervoris prædicatione ſatis conſpicuus ibidem deceſſit in pace die 22. Martii, uti docet Martyrologium Romanum. Tanti Præſulis exempla ſecutos ejus ſucceſſores Diſtrictum, & Comitatum Terracinen. credibile eſt, contrà tyrannorum inſultus confirmaſſe, & in Catholicæ Religionis amore quotidiè roboraſſe: Unde plures Chriſtiani ovilis agnos ab Ethnicis è medio ſublatos ad Cęlum evolaſſe ſcimus. Ignorantur tamen immediati ſucceſſores prælibati S. Epaphroditi, & an inter eos primus numerandus ſit S. Quartus Civis Capuanus, adhùc ſub judice lis eſt; Certum eſt nihilominùs Quartum adhùc Presbyterum corpora Sanctorum Martyrum Euſebii Monachi, & Felicis Presb. prope corpus Sanctorum Martyrum Levitæ Cęſarii, & Juliani Presbyt. in agro Varano propè Terracinam exiſtente ſepelliiſſe; quo autem

Digitized by Google

tem tempore Terracinen. Epiſcopus creatus fuerit, & qui eum ſubſecuti ſunt Præſules, incertum. Sabinus Epiſcopus è Terracina ad Concilium Romanum ann.313. ſe conferens emergit, & Avitus ejuſdem ſucceſſor eruitur è tenebris per acta S.Valentini Civis; & Epiſcopi Terracinen., qui ſuper omnes eminens prædicatione Evangelica, Martyrii palma, ac ſanctitate clarus obiit ſub Juliano Apoſtata, poſtquam Terracinen. Eccleſiæ ſtatum optimè conſtituiſſet demoliendo, ſoloquè æquando Idolorum delubra, novaquè Deo vero Templa erigendo Terracinæ, necnon in Theatina regione, ubi cum Damiano Diacono ſuo paſſus eſt. B.Felix Terracinen. Antiſtes emicat in medium temporibus Valentiniani Junioris Imp., cujus filiam Placidam à dæmone obſeſſam liberavit. Joannes nobis innoteſcit ex Vita S.Silviani Epiſcopi Africani, qui exul ab Africa ob Vandalorum perſecutionem Terracinam applicuit, & clarus miraculis regimen ejuſdem Eccleſiæ tenuit circa annum Domini 443. At ne ulteriùs prçſedam, reliquos, qui prænominatos ſubſecuti ſunt, vide in ſeriè inferiùs deſcripta: Præſtat enim aliquid ſuper operationibus illorum delibare; Unde præter ea, quæ ſupra retulimus, & alia, quæ referemus in actis Sanctorum Terracinen., notum eſt, floruiſſe temporibus S.Gregorii Magni Petrum illum Terracinen. Epiſcopum, qui ſummo Dei zelo ferebatur ergà ſuum gregem, nihilominùs aliquantulum exagitaſſe Judços viſus eſt, atquè adeò præfatus Pontifex hujus tenoris litteras eidem dedit.

G R E G O R I U S.

Petro Epiſcopo Terracinen.

JOſeph præſentium lator Judæus nobis inſinuavit, quod de loco quodam, in quo ad celebrandas feſtivitates ſuas Judæi in Terracinen. Caſtro conſiſtentes convenire conſueverunt, tua eos fraternitas expulerit, & in alium locum prò colendis ſimilitèr feſtivitatibus ſuis, te quoque noſcente, & conſentiente migraverint, & nunc de eodem loco expulſos ſe denuò conqueruntur. Sed ſi ità eſt, volumus, ut tua fraternitas ab hujuſmodi ſe querela ſuſpendat, & ad locum, quem, ſicut prædiximus, cum tua conſcientia, quo congregentur adepti ſunt, eis ſicut mos fuit ibidem liceat convenire.

Eos

Eos enim, qui à Religioné Chriſtiana diſcordant, manſuetudine, benignitate admonendo, ſuadendo ad veritatem fidei neceſſe eſt congregare; ne quos dulcedo prædicationis, & prætenſus futuri judicii terror ad credendum invitare poterat, minis, & terroribus repellantur. Oportet ergo magis ut ad audiendum de vobis verbum Dei benignè conveniant, quam auſteritatem, quæ ſupra modum extenditur, expaveſcant ex lib. 1. regiſt. ejuſdem epiſt. 34.

Adhùc non contentus S. Gregorius, ut Judęis plenam ſatisfactionem tribuat ſuper eadem materia ſcribit Bacaudę, & Agnello Epiſcopis ità.

Supplicarunt nobis Hebræi Terracinæ degentes, ut locum, quem Synagogæ hactenus habuerunt, eum illis noſtra quoque auctoritate eſſet habendi licentia; ſed quia pervenit ad nos, quod locus ipſe ſic vicinus eſſet Eccleſiæ, ut etiam ad eam vox pſallentium perveniret, ideò ſcripſimus fratri, & Coepiſcopo noſtro Petro, ſi ità eſſet, ut vox de eodem loco in Eccleſia ipſa reſonaret Judæi celebrationibus privarentur. Itaque fraternitas veſtra cum ſupraſcripto fratre, & Coepiſcopo noſtro locum ipſum diligentèr inſpiciat, & ſi ità eſt, ut aliquid vobis in Eccleſia viſum fuerit obfuiſſe alium locum intrà ipſum Caſtellum prævidete, ubi præfati Judæi conveniant, quò poſſint ſuas ſine impedimento cæremonias celebrare. Talem verò fraternitas veſtra prævideat, ſi hoc fuerint loco privati, ut nulla exindè in futuro querela naſcatur. Prædictos verò Judæos gravari, vel affligi contra ordinem rationis prohibemus: Sed ſicut Romanis vivere legibus permittuntur, ſic annuente juſtitia actus ſuos, ut nōrunt, nullo impediente diſponant. Eis tamen Chriſtiana mancipia habere non liceat. Ex lib. 12. regiſt. ejuſdem epiſt. 18.

Credibile eſt hunc Petrum auſteritate notatum in Judæos minimè neglexiſſe ea, quę facerent ad majorem cultum Veri Dei; nihilominùs ſuccedente ei Agnello, proh facinus! adhùc Terrac. Idololatria pullulare auditur, quà de re iſta ſcribit ad Agnellum S. Gregorius.

GREGORIUS.

Agnello Epiſcopo Terracin.

PErvenit ad nos quoſdam illic, quod dici nefas eſt, arbores colere, & multa alia contra Chriſtianam fidem perpatrare, & miramur cur hoc fraternitas veſtra diſtricta emendare ultione diſtulerit. Ea propter ſcriptis vos præſentibus adhortamur, ut hos diligenti inveſtigatione perquiri, & veritate cognita, talem in eis facias exercere vindictam, quatenùs, & Deus placari poſſit, & aliis eorum ultio correptionis exemplum ſit. Scripſimus autem, & Mauro nunc Vicecomiti ut fraternitati veſtræ in hac re debeat adhibere ſolatia, dummodo ad comprehendendos eos invenire excuſationem aliquam non poſſitis. Quia verò comperimus multos ſe à murorum vigiliis excuſare, ſit fraternitas veſtra ſollicita, ut nullum, neque per noſtrum, aut Eccleſiæ nomen, aut quolibet alio modo defendi à vigiliis patiatur, ſed omnes generalitèr compellantur quatenus cunctis vigilantibus melius auxiliante Domino Civitatis valeat cuſtodia procurari. Ex lib.7.regiſt.ejuſdem epiſt.20.

Obiit Bacauda Epiſcopus, dum Agnellus præſidebat Terracinæ, & Viſitatio Eccleſiæ deſtitutæ Paſtore eidem à S.Gregorio Magno committitur per hujus tenoris litteras.

GREGORIUS.

Agnello Epiſcopo Terracinen.

OBitum Bacaudæ Antiſtitis directa relatio patefecit, quaproptèr viſitationis Eccleſiæ deſtitutæ fraternitati tuæ operam ſolemnitèr delegamus, quam ità te convenit exhibere, ut nihil de proventibus Clericorum, reditu, vel ornatu, miniſteriiſque, vel quidquid illud eſt in patrimonio ejuſdem à quoquam præſumatur, & ideò fraternitas tua ad prædictam Eccleſiam ire properabit, & aſſiduis adhortationibus Clerum, plebemquè ejuſdem Eccleſiæ admonere feſtinet, ut remoto ſtudio, uno, eodemque conſenſu talem præficiendum expetat Sacerdotem, qui tanto miniſterio dignus valeat reperiri, & à venerandis canoni-

nonibus nullatenùs reſpuatur. Qui dum fuerit poſtulatus cum ſolemnitate decreti omnium ſubſcriptionibus roborati, & dilectionis tuæ teſtimonio litterarum ad nos ſacrandus occurrat; Commonentes etiam fraternitatem tuam, ut nullum de altera eligi permittatis Eccleſia, niſi fortè inter Clericos ipſius Civitatis, in qua viſitationis impendis officium nullus ad Epiſcopatū dignus, quod non credimus evenire, potuerit inveniri. Proviſurus ante omnia, ne ad hoc cujuslibet converſationis meritum Laicæ perſonæ aſpirare præſumant, & tu periculum ordinis tui, quod abſit, incurras. Ex lib.*6*.regeſt. S.Gregorii epiſt.*16*. Mortuo Agnello cura Eccleſiæ Terracinen. demandatur Epiſcopo Panormitano, cui ſcribit ità Sanctus Gregorius.

GREGORUS.

Conſtantio Epiſcopo Panormitano.

FRaternitati veſtræ Eccleſiæ Terracinen. viſitationis operam nos olim mandaſſe recolimus, ſed quia pervenit ad nos, quod peccatis facientibus, nec Clerus illic, nec plebs tanta remanſerit, quibus debeat interim Epiſcopus ordinari, utile eſſe perſpeximus eandem Eccleſiam, vel quidquid ipſius eſt, quouſque illam, ut Domino placuerit, ordinemus veſtræ, Deo auctore, diſpoſitioni committere; & ideò ſolicitudinem vos convenit adhibere, ut quidquid de poſſeſſionibus Eccleſiæ ipſius in qualibet re accedere potuerit vobis, vel in reparatione ejuſdem Eccleſiæ, ſive Cleri ipſius ſubventione proficiat; quatenùs & nos remedium prò veſtro labore capere, & illi aliquod valeant ſuſtentationis habere ſolatium. Mobile verò prædictæ Eccleſiæ facta ſubtilitèr volumus deſcribi notitia, nobiſque tranſmitti, ut ex hoc quid fieri debeat auctore Domino diſponamus. Circa actus autem, vel diſciplinam Cleri, vel filiorum Eccleſiæ ipſius magnam te habere curam neceſſe eſt, atque ſuper paſtorali ſtudio invigilare, ut de animabus eorum non culpabilis ſis, ſed apud Omnipotentem Deum mercedem potiùs poſſis acquirere ex lib. *7*.regiſt. ejuſdem epiſt.*74*.

Poſt adminiſtrationem Conſtantii Epiſcopi Panormitani habitam in Eccleſia Terracinen. ex Imperio S. Gregorii, quinam ſub-

ſubrogatus fuerit in eadem Antiſtes, ignotum eſt. Felix Terracinenſium Pontifex eruitur ex tomo ſexto Conciliorum noviſſimæ editionis Synod.anni 649. ſub Martino Primo, quo tempore floruit etiam Clariſſimus Epiſcopus Tauracinæ, & Candidus Epiſcopus Sicienſis, & in eodem tom.6.concil.pag.148.ità ſubſcripti inveniuntur Clariſſimus Gratia Dei Epiſcopus S.Eccleſię Tauracinæ, Candidus gratia Dei Epiſcopus S.Eccleſiæ Sicenſis: Verumtamen hi ambo (quod nota) non fuerunt Epiſcopi in Latio; ut quidam opinatus eſt,ſed in Africa de Provincia Carthaginenſi, nequè ſubſcripſerunt Concilio Romano habito ſub Martino Primo, ſed cuidam epiſtolæ Synodicæ Patrum ejuſdem Provinciæ Carthaginenſis ad Paulum Conſtantinopolitanum tranſmiſſę, quæ in Concilio Romano lecta fuit: Eſt autem Sicia Urbs Africæ, & ejus Eccleſia celebris apud auctores ob controverſiam inter Urbanum Epiſcopum,& Apiarium ejus Presbyterum,ſed hęc ſint obitèr dicta.

Poſt multos itaquè annorum curriculos ſe offerunt nobis Ambroſius Monachus Caſinas,qui anno ſalutis 1074. die 24.Novembris Baſilicam S. Cęſarii hoc eſt Cathedralem Terracinæ ſolemnitèr conſecravit; & Benedictus, qui anno Domini 1103.dedicavit Eccleſiam S.Stephani Prothomartyris. Hos omnes ſuperavit doctrina, & eloquentia Gregorius Monachus Caſinas, de quo Petrus Diaconus lib.1.de Viris Illuſtr. Caſſinen. his verbis: Gregorius Terracinenſis Epiſcopus parvulus, & ipſe in Caſſino oblatus, memoria tenax, ingenio vivax, tantæ fuit gravitatis, ſuavitatis, & eloquentiæ, ut à nonnullis Columna Eccleſiæ diceretur, ſcripſit paſſionem Sanctorum Caſti, & Caſſii, paſſionem S.Virginis Reſtitutæ, vitam S.Confeſſoris Gerardi; Homeliam de Aſſumptione Sanctiſſimæ Dei Genetricis Mariæ, Cantus Sanctorum Caſti, & Caſſii; hymnos eorum, verſus de tranſitu peregrinorum ad Sepulchrum Chriſti Domini, & de captione Hieroſolymitanæ Urbis rogatu Berardi Valvenſis pulcherrimos fecit; Hiſtoriam Jonæ, verſus de dedicationibus Eccleſiarum, feſtivitatequè Paſchali, de S.Andrea; homelias de totius anni feſtivitatibus. Fuit autem temporibus Alexii, Henrici, ac Joannis Imperatorum, ſepultus verò eſt apud Pipernenſem Eccleſiam. Notæ. Eccleſiæ Terracinenſi præpoſitus eligitur à Paſchali Papa Secundo, in quam poſteà noſter Gregorius eximia admodum doctri-

ctrina refertus, omnique ſcientia exornatus virtutum ſemina inſeruit, vitiorum elementa eradit optimis præceptis, moribuſque ſubditos imbuens. Hugo ſubſequitur, ad quem extant litteræ Apoſtolicæ Alexandri Papæ III. ſervatæ in Archivio Terracinen. ſuper piſcaria Saſſone, & ſunt tenoris hujuſmodi.

ALEXANDER EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Venerabili Fràtri Hugoni Terracinen. Epiſcopo, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CUm tu, & dilectus filius noſter Petrus de Roberto prò cauſa, quæ inter te, & ipſum ſuper medietate Saxone vertebatur in noſtra præſentia eſſetis conſtituti, talitèr cum eo mediantibus Venerabili Fratre noſtro B. Portuen. Epiſcopo, & dilecto filio P. tituli S. Laurentii in Damaſo Presbyt. Card. prò vitando ſcandalo compoſuiſti, quod ei ad preces dilectorum filiorum noſtrorum nobilium virorum O.C., & P. Frajap., & L. de Supin. præſcriptæ Saxone medietatem in vita tua conceſſiſti tenendam, ità quod poſt mortem ejus ad Eccleſiam tuam liberè, & abſolutè nulla conſuetudine, vel lege obſtante abſque ulla queſtione debeat redire, & tibi, & ſucceſſoribus tuis liberum ſit poſſeſſionem ipſius Saxone ſine aliqua contradictione intrare. Multa deſunt corroſa à muribus . . . .

. . . .

ità ad jus tuum, & Eccleſiæ tibi commiſſæ pertinere manifeſtiùs recognovit, & omni liti, & quæſtioni publicæ coram nobis, & fratribus noſtris, & teſtibus, & qui hinc inde advocati fuerant in perpetuum ſententians permiſit, quod ipſe cum filiis ſuis cartam refutationis, & publicum inſtrumentum exin ſibi, & ſucceſſoribus tuis facere debeat. Ut autem compoſitia ipſa perpetuis temporibus inviolabilitèr obſervetur; eam auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Statuentes, ut nulli omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei aliquatenùs contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit indignationem omnipoten-

tentis Dei,& beatorum Petri,& Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.Dat.Anagniæ 7.Kal.Septembris.

CAP. II.

Simeon, de quo multa in ſerie, donavit celebri Monaſterio Foſſæ novæ Ordinis Ciſtercienſis in perpetuum poſſidendam Eccleſiam S. Angeli de campo mellis cum omnibus pertinentiis ſuis, quam donationem Honorius Tertius anno 1220. ſequenti bulla confirmavit, in quà ad verbũ ipſa donatio inſeritur, uti videre eſt apud Ughel.tom.1.Italiæ Sacræ,ubi legitur ità.

HONORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Abbati, & Conventui Foſſę novę. Juſtis petentium &c.eapropter &c.uſque concurrentes aſſenſu Eccleſiam S.Angeli de campo mellis à venerabili Simeone fratre noſtro conceſſa, ſicut eam juſtè, ac pacificè poſſideatis, ut in inſtrumento publico exindè confecto pleniùs continetur, vobis, & per vos eidem Monaſterio auctoritate Apoſtolica confirmamus, ad majorem autem evidentiam,tenorem ipſius inſtrumenti de verbo ad verbum huic noſtræ paginæ duximus inſerendum. In nomine Domini Amen. Anno Domini 1203. indict. ſexta Pontificatus Innocentii Papæ Tertii anno ſexto menſe Auguſti die quinta aſtante. Cum jure ſit naturali adinventum gentium, ac civili comprobatum univerſalitèr hujuſmodi ſubvenire multo quippè ampliori honore ſunt digni, & uberioris charitatis viſceribus amplectendi, qui juxta Evangelica præcepta mundum cum blanditiis, & adulationibus ſuis ſpernentes ſoli Deo placere deſiderant, carnem ſuam cum vitiis, & concupiſcentiis crucifigentes in jejuniis, & vigiliis multis, in orationibus ſine intermiſſione habita, & in charitate non ficta. Horum autem habitacula Sanctiſſimi Imperatores domos religioſas vocantes pleniùs adornarunt privilegiis, munificentiis ditarunt innumeris, ardorem fidei eorum conſiderantes, & qualitèr die, noctuque Deum prò fidelibus interpellare non ceſſant attendentes. Ego itaque Simeon Dei gratia Epiſcopus Terraci-

nen.

nen. conſpiciens in Venerabili Monaſterio Foſſæ novæ omnem honeſtatem, omnemque religionem vigere, ipſumque Monaſterium inter cætera Ciſtercienſis Ordinis Cęnobia celebrare; habui Eccleſiam S. Angeli de Campo Mellis, quæ licet quondam poſſeſſionibus ampla fuerit per ſuppreſſionem tamen patronorum, quibus ſub gravibus exactionibus tenebatur obnoxia, & dilapidationem Prælatorum ferè ad nihilum redacta, nunc autem ſtudio, & ope Venerabilis Domini Jordani S. Pudentianæ Presbyteri Cardinalis tituli Paſtoris in integrum reſtituta longè, lateque ditior effecta prò amore Dei, ac reverentia ſupra nominati Domini Jordani venerabilis Presbyteri Cardinalis, & honore, & devotione totius conventus ipſius Monaſterii conſenſu Caranzonis Archipresb. Terracinen. Magiſtri Stephani, Federici Sacriſtæ, Presbyteri Nicolai, Joannis Girardi Diaconi ipſius Capituli Terracin. concedo in perpetuum ſupradicto Monaſterio Foſſæ novę Fratrem Creſcentium ipſius Monaſterii cellarium ex ea nomine Monaſterii inveſtiens hoc modo quatenùs in ſupradicta Eccleſia S. Angeli ſemper duo Clerici Sęculares reſideant, qui non deſinant ibi Divina celebrare miſteria, quorum unus ſit Sacerdos, & alius alterius ordinis Clericus, vel ambo ſint Sacerdotes, qui mihi, ſucceſſoribuſque meis Terracinen. Eccleſiæ Epiſcopis de officinis ſuis, ſicut ſuis Epiſcopis reſpondere teneantur. Ad hæc prædicta Eccleſia nullo tempore in formam Grangiæ inſtituetur, ideſt ne Eccleſia exindè deſtruatur, aut duo ſint Clerici, qui ibi ſicut ſupradictum eſt Divina celebrent miſteria, & omni anno in Feſto S. Cæſarii Monaſterium Foſſæ novæ ſolvet nomine cenſus prò prędicta Eccleſia S. Angeli Epiſcopo Terracin. marcam unam puri argenti, ſeù quadraginta ſoldos præbiſinorum veterum de flore. Ut autem ſupraſcripta perpetua ſtabilitate ſerventur, promiſſa ſunt ab utraque parte in perpetuum firma ſervari. Hi ſunt rogati teſtes.

Jordanus Caponiæ Civis Romanus teſtis.
Raynaldus Piperni Judex teſtis.
Leonardus Advocatus Terracinæ teſtis.
Matthęus Ingibaldi Civis Tarracinenſis teſtis.
Riccardus Alberici de Monticello teſtis.

Ego Robertinus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Judex, & Notarius rogat. interfui, & ſupradicta fideliter ſcripſi. Nulli ergo &c.

noſtræ confimat. paginam infringere, ſi quis autem &c. Datum apud Urbem veterem 2. nonas Septembris Pontificatus noſtri anno quinto.

Simeoni Gregorius ſucceſſit, qui plures donationes fecit, & inter alias anno 1236. dono dedit in perpetuum Eccleſiam Sancti Joannis de Pede Montis Caſtri Sarmineti Abbati, & Conventui S. Mariæ de Gloria Anagninæ Diœceſis Ordinis Florenſis, quam donationem ratam habuit Gregorius Nonus anno duodecimo Pontificatus ſui, ac ſequenti Bulla confirmavit, ut refert Ughellus ibidem.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Abbati, & Conventui Monaſterii Sanctæ Mariæ de Gloria Florenſis Anagninæ Diœceſis.

CUm à nobis petitur &c. uſque aſſenſum Eccleſiam S. Joannis in pede montis Sarmineti cum pertinentiis ſuis, quam Venerabilis Frater noſter Terracin. Epiſcopus loci Diœceſanus, proùt ſpectabat ad eum Capituli ſui accedente conſenſu Monaſterio veſtro pia, & provida liberalitate conceſſit, proùt in Inſtrumento confecto exindè pleniùs continetur, ſicut jam honeſtè, & pacificè poſſideatis vobis, & per vos eidem Monaſterio authoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. ad majorem a utem evidentiam hujus rei tenorem ipſius Inſtrumenti duximus præſentibus inſerendum, qui talis eſt.

In Nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti amen; Anno Domini 1238. Pontif. Domini Gregorii Noni Papæ anno undecimo indict. 11. menſe Martii die 20. Cum Eccleſia S. Joannis in pede montis Caſtri Sermineti Tarracinen. Diœceſis à Dominis ejuſdem Caſtri ocaſione juris patronatus, quod in ipſa Eccleſia ſe habere dicebant graves, & grandes pateretur anguſtias, & preſſuras ità quod propter eorum violentias Rector, qui eidem præerat Eccleſiæ adminiſtrationis officium nullatenùs in eadem exercere valeat, licet per annum, & ampliùs à nobis Gregorio Tar-

raci-

racinen. Epiſcopo fuerint vinculo excommunicationi aſtricti, tamen quod Venerab. Viri Dominus Benedictus Abbas, & Conventus Monaſterii S. Mariæ de Gloria Anagninæ Florenſis Ordinis vexationem eorundem dominorum, qui poſſeſſiones Eccleſiæ memoratę detinebant temere occupatas pro quadragentis libris denariorum Senatus redimere curaverit, & firmitèr ſperamus, & credimus, quod per eoſdem Abbatem, & Conventum prædicta Eccleſia à debito, quo tenebatut liberari debeat, & in maris, & in aliis, in quibus minatur manifeſtè ruinam congruè reparari. Nos Gregorius Dei gratia Tarracinen. Epiſcopus, & eiuſdem Terræ capitulum videlicet Nicolaus Archipresbyter, Gregorius Paganus, Domnus Iordanus, Donnus Martinus Diaconus, Petrus Monopoli Diaconus, & Guido Subdiaconus, Roffridus Diaconus, Gimbaldus Subdiaconus, Iacobus Tedalgus Subdiaconus, Robertus Subdiaconus, & Donnus Ioannes Craſſus propenſius attendentes ſtatum ipſius Eccleſiæ in ſpiritualibus, & temporalibus poſſe fieri meliorem pro eo, quod ipſi viri magnæ religionis exiſtant, prædictam Eccleſiam S. Ioannis vacantem, liberam, & abſolutam cum omnibus pertinentiis, & juribus ſuis fratri Ioſepho Cellario Monaſterii memorati recipienti pro Abbate, Conventu, & Monaſterio nominatis recepto ab eis uno Molendino apud Nympham prò recompenſatione temporalium, in quibus dicta Eccleſia S. Ioannis Tarricin. Eccleſiæ tenebatur liberè, & abſolutè ſub cenſu annuo unius librę cerę apud Eccleſiam S. Ioannis prędicti nobis, & ſucceſſoribus noſtris in feſto B. Cęſarii perſolvendo cum dicti Abbas, & Conventus à nobis, vel certo noſtro Nuncio fuerint requiſiti pietatis, & religionis intuitu, & pro reverentia Sanctiſſimi Patris noſtri Domini Gregorii Papę Noni ad perpetuos uſus fratrum Monaſterii prelibati, tàm in ſpiritualibus, quàm temporalibus pleno jure perpetuò duximus concedendam promittentes per nos, noſtroſque ſucceſſores pręſcriptam donationem, & conceſſionem firmam, & ratam omni tempore tenere, & habere, & contrà nullo modo, vel ingenio ratione aliqua, vel exceptione venire, renunciando in hoc contractu omni juri, omni exceptioni, & privilegio, ſeù etiam juris auxilio Eccleſiaſtici, vel Civilis, quę nobis, vel ſucceſſoribus noſtris ad reciſionem hujus contractus jam, vel in poſterum competere poſſent, & obligamus nos, noſtroſque ſucceſſores Epiſco-

ſcopos, & Capitulum nomine noſtrę Eccleſię, & Epiſcopatus noſtri tibi Cancellario ſupradicto recipienti prò Abbate Conventu, & Monaſterio nominatis, & ſucceſſoribus veſtris, vel cuicumque jus iſtud concedere velitis ducentarum librarum den. Senatus legitimè in ſtipulatione deducta, ſi contra prędictam dationem, & conceſſionem aliqua ratione, vel exceptione aliquo tempore per nos, vel per alios veniremus, vel ſi omnia, & ſingula, quę ſuperiùs dicta ſunt perpetuis temporibus non obſervaremus, & ea legitimè non defenderemus conſtituentes nos dictam Eccleſiam S. Ioannis cum pertinentiis ſuis, & juribus omnibus precario poſſidere, donec dictum Monaſterium S. Marię de Gloria plenam, & legitimam ipſius Eccleſię S. Joannis cum pertinentiis ſuis, & juribus fuerit poſſeſſionem adeptum, dantes, & concedentes eidem Cellario liberam poteſtatem, & deinceps quandocumque ei placuarit authoritate propria nomine Monaſterii ſui intret poſſeſſionem ipſius Eccleſię poſſeſſionum, & jurium ſuorum, ut eam ad verum dominium, & proprietatem teneant, poſſideant, & fruantur, & faciant ex eis quidquid Monaſterio ſuo videbitur expedire promittentes inſuper dictam Eccleſiam S. Joannis cum pertinentiis ſuis, & juribus ſuis omnibus ab omni litigante perſona legitimè authoritare, & defendere, & reficere quodcumque damnum, quaſcumque expenſas dictum Monaſterium S. Marię de Gloria incurreret, vel faceret, ſi aliqua ratione, vel exceptione, vel in partem, vel in totum ad infringendum dictum contractum à nobis, vel ſucceſſoribus noſtris fuerit aliquatenùs attentatum ſub pęna ſuperiùs nominata, & ea ſoluta prędicta omnia, & ſingula, ut antedictum eſt in prędictis caſibus nihilominùs legitimo firmitatis robore perſeverent.

Ad hęc hi rogati interfuerunt teſtes.

D. Henricus Beraldi de Gualterio.

D. Prudentius.

D. Nicolaus Narus.

M. Dominicus Medicus.

Boronella.

D. Jardinis.

D. Jo: de Rocca.

Theobaldus Tondo teſtis.

Ego Rogerius Sanctę Romanę Eccleſię Anagninus Notarius à prę-

à prędictis Epiſcopo, & Capitulo, & Cellario rogatus ſcripſi, & ſignum feci. Nulli ergò noſtrę confirmationis &c. Si quis autem &c.

Datum Anagni Kal. Octobris anno 12.

Andreas Terracinen. Epiſcopus Eccleſiam S. Laurentii Romę conſecravit cum Pontifici Romano Vicariam operam prętaret anno 1324. ad eundem plures litteras dedit Joannes Papa XXII. inter quas eſt illa relata à Raynaldo tom.15.ad annum 1323., & hujus ſententę eſt.

Venerabili Fratri Andreæ Epiſcopo Terracinen. Vicario noſtro in ſpiritualibus in Urbe.

CUm inter nonnullos viros ſcholaſticos ſæpe contingat in dubium revocari, utrum pertinaciùs affirmare Redemptorem noſtrum, & Dominum Jeſum Chriſtum, ejuſque Apoſtolos in ſpeciali non habuiſſe aliqua, nec in communi etiam hæreticum ſit cenſendum diverſis diverſa, & adverſa etiam ſentientibus circa illud, nos huic concertationi finem imponere cupientes cum ſcripturæ Sacrę contradicat, expreſsè erroneum fore cenſendum, & hæreticum de fratrum noſtrorum conſilio hoc perpetuo declaramus edicto &c. paupertas enim Evangelica in juſto rerum uſu, non verò in injuſto conſtat, & tomo eodem ad annum 1324. idem inquit. Cum Joannes anhatematis ſententia Ludovicum Bavarum, quam antea intentarat, ni poneret titulo (perſecutor erat Eccleſiæ, & fautor hæreticorum) ineunte Octobri perculit, ac fotæ hæreſeos crimine poſtulavit conſtitutis illi ad dicendum cauſam die peremptorio, cujus ſententiæ ſeries ad plures provincias, præcipueque Romam ad Epiſcopum Terracinenſem Pontificium in Urbe Vicarium in Divina re tranſmiſſa eſt, ut promulgandam juraret. De Stephano Terracinen. Epiſcopo apud monumenta ejuſdem Civitatis, ubi de ſolutione decimarum agitur, mentio extat, & talis eſt.

In nomine Domini amen. Noverint univerſi, & ſinguli pręſens inſtrumentum publicum inſpecturi, ac etiam audituri, quod Anno Domini 1272. iudict. 5. Pontif. Domini Gregorii Papę XI. anno primo menſe Jan. die 30. Hac die præſentia mei Notarii, & teſtium ſubſcriptorum ad hæc ſpecialitèr vocat, & rogat. Ven.

Vir

Vir Dominus Franciſcus de Manfredonia Archipresbyter S.Vin-centii de Urbe aſſerens ſe ſublectorem conſtitutum in Provincia Campaniæ, & Maritimæ ad colligendum, & exigendum decimas ternales per venerabilem virum Dominum Raymundum Reger-dii collectorem Apoſtolicum ibidem.

Ad precedentem interrogationem,& petitionem ſibi factam per Rev. in Chriſto Patrem , & Dominum , Dominum Fratrem Stephanum Dei , & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopum Terraci-nen. confeſſus fuit, & aſſervit Dominum Epiſcopum hęc , & ſe in veritate vidiſſe, & perlegiſſe, & tenuiſſe veras, & legitimas ape-dixas facientes fidem veram de ſatisfactione, & perſolutione de-cimarum ternalium totius temporis retroacti à tempore fęlicis recordationis Domini Innocentii Papę Sexti uſque ad pręſentem diem factis plenarie per Rev. Patrem ſupradictum Dominum Epiſcopum , & ejus prędeceſſores . In ejus terminis jam apixis VII., & de perſolutione ipſarum decimarum quantum ad termi-nos temporis retroacti dictus Dominus ſubcollector ipſum Do-minum Epiſcopum , & prædeceſſores quantum in eo fuit quie-tavit penitùs, & abſolvit à perſolutione dictarum decimarum uſ-que in pręſentem diem.

Actum Terracen. in ſala majori Epiſcopatus Terracin. ſita in contrata fori juxta rem Civi Roſę juxta Canonicam , & alios fines pręſentibus hiis vocat;& rog. teſtibus ſcilicet Domino An-gelo Mag. Trucitis ; Jo: de Gramonte , Tutio de Miruli , Paulo de Toto, Bello de Ceccano,& Petro Presbytero de Gajeta Civi-bus Terracinen.

Et ego Cicchus Pitinus de Terracina publicus imperiali au-ctoritate Notarius prædictis omnibus , & ſingulis interfui, & ea mea propria manu fidelitèr ſcripſi , publicavi , & in hanc publi-cam formam redegi,meoque ſigno rogatus.&c.

Alexandrum Argolũ ità celebrat Horatius Turſelinus lib.3. Lauretan.hiſt.cap.2.Alexander Argulus itaque Terracinen.Epi-ſcopus à Summo Pontifice illius loci Protector electus pręclare res ejuſdem loci diſpoſuit , & ampliavit , multos doctos , ac pru-dentes viros honoravit , Canonicos Lauretanos eos conſtituens, ſolemni , & ſanè Pontificio more ceremonias in Divinis officiis adhibuit , & demùm cum maxima laude adeptus nomen piiſſimi, & benigniſſimi Præſulis per quatuor annos continuos tàm in ſpi-

ri-

Digitized by Google

ritualibus, quàm in temporalibus illam dignitatem adminiſtravit. Octavianus Roverta plures obiit legationes prò Sede Apoſtolica, cum Terracina pręſideret; unde Thuanus lib. 18. Hiſt. ann. 1557. pag. 383. inquit. His actis, quod jam meſſis tempus inſtaret juſſu Albani Palianum proficiſcitur Columna, ut agrum circumvaſtaret, & meſſem corrumperet, cumque per exploratores cognoviſſet Pontificios Roma copioſum commeatum Palianum inferre, decreviſſe ad IIICIↃ Helvetios auxiliares deſtinatos nuper ex pago Undervallenſi à Tarracinę Epiſcopo Pontificis mandato conductos Felcio Duce juvene ſtrenuo, ac locuplete, ſed rei bellicæ parum gnaro, & cum iis CC. Equites; ipſe Albanum de re omni certiorem facit; & lib. 26. pag. 533. ad annum 1560. idem Thuanus ait. Nam cum Franciſcus grandior natu filius jam ætate eſſet, ut uxorem duceret, magnumque momentum ad firmandum novum imperium Pontifex [Pius Quartus] allaturam illuſtrem aliquam adfinitatem judicaret per Terracinæ Epiſcopum Oratorem ſuum apud Philippum egit, ut ſororem olim cum Luſitaniæ Principe matrimonio junctam, & ſuſcepto ex eo Sebaſtiano filio; qui poſt Avum Regnũ tenuit viduam relictam Franciſco uxorem concedere dignaretur. Et Spondanus in vita ejuſdem Pii Quarti ann. 1561. pag. 605. his verbis refert. In Hiſpaniam Epiſcopum Terracinen. legavit, qui quæ in gratiam Navarri facta fuiſſent purgaret, excuſaretque, ſimulque per occaſionem Philippo de diplomate Concilii ſatisfaceret. Reliquas Terracinen. Antiſtitum operationes vide inferiùs in ſerie eorundem. Illud autem nobis ſemper admirationi fuit, quod licet Terracina plures exceperit Præſules purpura dignos, nullum tamen ex eis inter purpuratos Patres numeratum vidit, quin immò Octaviano prælibato deſtinatam purpuram fatum Pontificis eripuiſſe condoluit. Ferunt nonnulli Cardinalem fuiſſe Agnellum Epiſcopum Fundanum Terracinenſibus à S. Gregorio Magno prò Paſtore indultum, verum hallucinantur, quoniam uti Bartholomęus Chioccarellus in lib. Antiſt. Neapol. edocet, ille appellatus fuit Sacerdos Cardinalis, non quia verè Cardinalis eſſet, ſed ut cum ſe Cardinalem vocatum audiret inſignioris Eccleſiæ Præſidem electum intelligeret, omnes enim primarii, ac pręcipui, ut ait ibidem, Sacerdotes, & Clerici inſigniorum Eccleſiarũ, qui aliis præerant, aut ji, à quibus alii dependebant, ex vi verbi Cardinales appellabantur.

CAP.

CAP. III.

De Serie Epiſcoporum Terracinen.

1. SAnctus Epaphroditus unus è ſeptuaginta duobus Chriſti Diſcipulis, qui à Principe Apoſtolorum Petro ordinatus eſt primus Terracinenſium Antiſtes anno Domini 46. teſte Baronio. Eodem mandante univerſam Romanæ Campaniæ Provinciam Evangelii diſſeminator peragravit;ad ſuam reverſus Eccleſiam ibidem in pace quievit die 22.Martii.

2. S.Quartus Capuanus. Hic corpora Sanctorum Martyrum Felicis Presb., & Euſebii Monachi propè Corpus S. Martyris, & Levitæ Cæſarii humavit, ac tandem una cum Quinto Epiſcopo Capuano prænobilem tulit palmam Martyrii.

3. Sabinus Epiſcopus è Terracina interfuit Anno Dñi 303. Concilio Sinveſſano, ubi convenerunt 160. Epiſcopi audientes, non tamen judicantes S. Marcellinum Pontificem, qui ob timorem Idolis thura dederat. Interfuit etiam anno ſalutis 313.Concilio Romano ſub Melchiade Papa in cauſa Cæciliani contra Donatiſtas,ut patet ex tomo 1.Concil. pag.1403. Ejuſdem meminit Optatus lib. primo, & Pater Carolus à S. Paulo in geographia Sacra.

4. Avitus Sabino ſucceſſit, vixitque temporibus S.Silveſtri Papę;cujus mentio deſumitur ab Ughello in appendice quinti tomi ex vita ſequentis Valentini.

5. S. Valentinus Civis Terracinenſis poſt mortem Aviti à Clero,& Populo ejuſdem Civitatis Epiſcopus electus, & in monte Soractè à S. Silveſtro Papa Conſecratus verbo, & exemplo ſibi commiſſam Eccleſiam ſtrenuè rexit ad Juliani Apoſtatæ uſque tempora, ſub quo una cum Damiano Diacono ſuo circa annum Domini 362.nobilem tulit palmam Martyrii ex tom.5.Ughel.in appendice.

6. B. Felix Terracinenſis Eccleſiæ Epiſcopus vixit temporibus S. Damaſi Papæ, & Valentiniani Junioris, cujus filiam Placidam à dæmone obſeſſam meritis, & precibus S.Martyris, & Levitæ Cæſarii liberam reddidit Patri ſuo, uti conſtat ex codice Baſilicę Vatic.

7. Joannes hujus nominis primus fuit Sancti Silviani proximè

mè deceſſor, cujus Præſulatus acta ejuſdem Sancti Silviani fidem faciunt.

8. S. Silvianus genere Afer, qui in Vvandalica perſecutione ex Africa, ubi prò Chriſtiana Fide plura perpeſſus eſt, Deo diſponente Terracinam appulit, ibidemque poſt obitum præfati Joannis à Clero, & Populo circa annum Domini 443. in Epiſcopum aſſumptus Romano Pontifice confirmante cum per novem circiter menſes Terracinenſis Eccleſiæ naviculam rexiſſet clarus miraculis, ac plenus meritis migravit ad Dominum die 10. Februarii.

9. S. Eleutherius etiam Afer Senex venerabilis poſt obitum Sancti Silviani, cujus genitor digniſſimus fuerat, per aliquot annos Terracinenſis Eccleſiæ regimen tenuit, ubi ætate confectus obdormivit in Domino die 6. Septembris, qua die colitur à Clero,& Civibus Terracinen.

10. Martyrius Terracinenſis Epiſcopus interfuit Conciliis Romanis habitis ſub Symmacho Papa anno ſalutis 399., 501., 502., 504., uti docemur ex tomo quarto Conciliorum noviſſimæ editionis.

11. Eucherius Terracinenſis Antiſtes ſubſcripſit una cum Epiſcopo Fundano, Minturnenſi, & Formiano epiſtolæ S. Silverii Papæ contra Vigilium S. Romanæ Sedis invaſorem; de his Baronius ad annum 539.

12. Petrus vixit, & obiit ſub Magno Gregorio, à quo per litteras admonitus fuit, ne Judęos in Caſtro Terracinen. exiſtentes perſequeretur, non quia perfidam gentem tueretur piiſſimus Pontifex, ſed ne probris, licet prò meritis exagitata Chriſtum magis averſaretur, cujus eſt lacte, & melle oves ad paſcua vocare. Ex lib. 1. epiſt. 34. indict. 9. anno 590.

13. Agnellus Fundanus Epiſcopus Terracinen. Epiſcopatum obtinuit ex Imperio Magni Gregorii poſt Petri deceſſum ita tamen, ut incardinatus Eccleſiæ Terracinæ etiam proximi Fundenſis ovilis curam gereret. Plures huic litteras dedit S. Gregorius, de quibus ſupra. Anno Domini 595. ſubſcripſit cuidam favorabili diplomati conceſſo à S. Gregorio Eccleſiæ Caſinen., & anno 596. die 5. Julii ſubſcripſit Synodo habitæ ab eod. tempore Mauritii Auguſti in Urbe Roma indict. 13. Idem ſubſcripſit conſtituto prò Monachis edito in tertio Concilio Romano anno ſalut. 601.

14. Conſtantius Panormitanus Epiſcopus curam geſſit de grege Terracinen.ex Imperio ejuſdem S.Gregorii Pontif.,uti palam fit ex lib.7.epiſt.74.

15. Felix hujus nominis ſecundus eruitur è Concilio Lateranen. habito ſub Martino Primo anno *649*. *3*.nonas Octobris, in quo Monothelitarum hæreſis damnata eſt; ità legimus penès *6*. tom.Conciliorum pag.*366*.eodem tom.pag.148. ſubſcribunt clariſſimus S.Eccleſiæ Tauracinæ,& Candidus Dei gratia Epiſcopus S.Eccleſiæ Sicienſis cuidam epiſtolæ ſynodicę exaratæ ab Epiſcopis Africanis, cum iidem eſſent Epiſcopi Civitatum Tauracinæ, & Siciæ in Africa, quod nota, ne confundaris intelligendo Terracinam,& Setiam in Latio.

16. Agnellus hujus nominis ſecundus inter Concilii Romani Patres numeratus eſt anno *680*., in quo poſt Agathonem ſecundo loco ità ſubſcribitur. Agnellus gratia Dei Epiſcopus Sanctæ Eccleſiæ Tarracinen. Provinciæ Campaniæ in hanc ſuggeſtionem, quam prò Apoſtolica noſtra fide unanimitèr conſtruximus,ſimiliter ſubſcripſi ex tom.*6*.Concil.pag.*692*..

17. Jordanus cum diutiùs deperdatur omnis Terracinenſium Præſulum memoria prodit è Romano Concilio anni 8*53*., cui interfuit, & ſubſcripſit pro depoſitione Anaſtaſii Presbyteri Cardinalis tituli Sancti Marcelli facta à Leone Quarto tempore Lotharii Imperatoris uti videre eſt apud Baronium, & tom.8.Conciliorum.

18. Leo Epiſcopus Tarracinenſis ſubſcripſit propria manu ſynodo habitæ anno 8*79*. tempore Joannis Papæ VIII., & Baſil. Maced.Imp.in commonitorio Apoſtolicæ Sedis prò reſtitutione Photii S̃m̃i Patriarchæ, uti legere eſt apud eundem Baronium,& tom.*9*.Conciliorum pag.*323*.

19. Sabbatinus Terracinenſis Pontifex adfuit Concilio Romano anno Chriſti *963*., & *964*., uti docent Abbas Lucentius, & Ughel. tomo 2. in appendice, qui cum Terracinenſibus adjudicant, licet malè Tarraconenſis, aut Ferrarienſis Epiſcopus ſubſcribatur.

20. Benedictus Epiſcopus S.Terracinen. Eccleſiæ anno Domini *969*. Imper.Otthone major.ſubſcripſit privilegio,quo Joannes Papa XII. anno quarto ſui Pontif.Sedem Beneventanam Epiſcopalem in Archiepiſcopalem dignitatem evexit tempore Lan-

dul-

Digitized by Google

dulphi Epiſcopi Beneven. ex tom.8.Ughel., & tom.9.Conciliorum pag.1240.

21. Joannes hujus nominis ſecundus Terracineſibus præerat anno Domini 987.

22. Deodatus Epiſcopus Terracinen. interfuit Synodo Romanæ ſub Benedicto Papa Octavo anno 1015., in qua Fructuarienſis Cęnobii privilegium editum eſt ex tomo nono Concil. pag. 836.

23. Theobaldus ejuſdem Eccleſiæ Paſtor reperitur ſubſcriptus in charta donationis cujuſdam piſcariæ,ubi capiebantur anguillæ ſub Benedicto Papa Nono circa annum 1033. ex monum. Terracinen.

24. Joannes hujus nominis tertius reperitur Epiſcopus Terracinenſis ab anno 1037.uſque ad 1050.quo anno interfuit Concilio Romano. Circa hunc quoque annum, ut Leo Oſtienſis refert, Leone IX. Summo Pontifice mandante Monaſterium S.Stephani ſupra Terracinam Caſinenſi Cęnobio conſignatum eſt.Deindè ſub Nicolao II. circa annum 1060.in eodem Monaſterio reperta ſunt corpora Sanctorum Auguſtini,& Pauli ſuperſtitis Sancti Patris Benedicti, qui fuerant diſcipuli, eaque ab Oderiſio ex Comitibus Marſorum Monacho, & Caſinenſi Abbate, inde Cardinali Diacono Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Caſinum tranſlata ſunt in Eccleſiam Sancti Andreæ, ut ex ejus geſtis in Ciacconiano opere.

25. Ambroſius Mediolanenſis Montis Caſini Monachus vir doctus, ac prudens ab Alexandro ſecundo electus fuit Terracinen. Antiſtes anno ſalutis 1071. ex Chron. Caſin. Aram S. Cęciliæ apud Caſinates conſecravit; ſubſcripſit diplomati conceſſo in favorem Alphani Archiepiſcopi Salernitani ab Alexandro Papa II., & interfuit ſolemni conſecrationi Baſilicæ Caſinen. ab eodem Pontifice celebratæ anno Domini 1071. Kal.Octobris,uti docet Bartholomęus Chioccarellus in lib. Antiſt. Neapol. Idem anno Chiſti 1074.die 24.Novembris conſecravit Eccleſiam Cathedralem Terracinæ commoratus eſt, & litteras dedit Remedio Lincolnienſi Epiſcopo in Anglia, qui Sacerdotem homicidam dimiſerat,eidemque præcipit, ut à Sacri Altaris miniſterio abſtinere faciat epiſt.34.an.1073.

26. Petrus hujus nominis ſecundus S. Terracinen. Eccleſiæ

Epiſcopus confirmavit anno Domini 1093. Urbani verò Secundi anno quinto die 24.Octobris quandam locationem in tertium genus factam de terris Lejani à Canonicis Terracinen., quam Vivo Diaconus ſcripſit. Eodem anno Leo Comes Fundanus eidem Petro reddidit Caſale de Flexu ex monum. Terracinen. Floruit itaque hic Petrus ſub Urbano II., qui creatus fuit Pontifex Terracinæ anno ſalutis 1088. 4.Idus Martii.

27. Benedictus hujus nominis ſecundus agebat anno Domini 1100., de quo Petrus Diaconus in Chron. Caſinen., reperitur ejuſdem mentio in quadam charta derogationis factæ à Leone Abbate S.Silviani anno ſecundo Paſchalis Papæ II., & anno ſalutis 1105., quo anno Joannes Archipresbyt. Terracinen. donavit eidem Benedicto quandam vineam poſitam in Liano; Idem anno 1103. Eccleſiam S.Stephani Prothomart. dedicavit.

28. Gregorius Monachus Caſinas à Paſchali II. electus interfuit Concilio Vaſtellenſi anno Domini 1106., & anno 1112. interfuit Concilio Lateranen. celebrato ſub Paſchali Papa II. ex tom.10. Conciliorum pag.769. Idem ſubſcripſit quandam bullam Honorii II. indultam Eccleſiæ Piſanæ anno 1126., quo anno obiit, & ſepultus eſt in Eccleſia Priverni Diœceſis Terracinen. plura ſcripſit, de quibus Petrus Diaconus in lib. de viris illuſtr. Cœnobii Caſin., ubi infans S.Benedicto oblatus eo virtutum culmine ornatus apparuit, ut à multis Columna Eccleſiæ vocaretur; erat enim memoria tenax, ingenio vivax, tantæ autem gravitatis, ſuavitatis, & eloquentiæ, ut omnes in ſui admirationem traheret. Epiſcopus Terracinenſibus datus virtutum ſemina inſeruit, vitiorum elementa eradit optimis præceptis, & moribus ſuos ſubditos imbuens.

29. Berardus de Berardo è nobili familia Terracinen. nominatur in quadam charta donationis, quam ſcripſit Vivo de Barone, & anno Domini 1166. cum conſenſu Canonicorum Terracinen. reddidit omnia bona ſua Joanni de Placza excepta una domo, quam ille donaverat Eccleſiæ S.Cęſarii Mart. anno dicto, & anno 7. Alexandri Papæ III. indict.4. die 27. Februar. ex monum. Terracin. Eccleſiæ.

30. Hugo electus anno Chriſti 1168., & anno 6. Alexandri Papæ III., quo anno Cencius Archipresb. Terracinen. Joannis Craſſi frater tradidit Ugoni electo ortum poſitum in loco, qui vo-

vocatur Ortus balnei die 27.Septembris, anno Domini 1179.interfuit Concilio Laterano ſub eodem Alexandro, à quo recepit Hugo litteras confirmatorias eorum, quæ ipſe diſpoſuerat,& ordinaverat ſuper Capitulum Terracin.an.1177.Pontif.ejus au.19. ex monum.Terracin.

31. Tedelgarius interfuit dedicationi Eccleſiæ S. Mariæ de Flumine in Oppido Ceccano anno Domini 1196. ex Chron. Foſſænovæ; eodem anno tempore Cęleſtini Papæ III.donat Capitulo Terrac.Caſale Pompii, & anno ſuperiore 1195. tulit ſententiã favore Eccleſiæ S.Donati ſuper quibuſdam terris poſitis extra Terracinam in Buccaporco ex monum.Terrac.

32. Simeon ex Canonico Terracin. Epiſcopus electus reperitur anno Domini 1203., quo anno donavit Eccleſiam S.Leonardi de Barchis D.Leoni Abbati S.Mariæ de Oricula. Idem eodem anno donavit celebri Monaſterio Foſſænovæ Ordinis Ciſtercienſis poſſidendam in perpetuum Eccleſiam Sancti Angeli de Campo mellis cum omnibus pertinentiis ſuis. Simeoni exuplicas litteras dedit Honorius III. ann.1221.pro pace ineunda inter Odonem, & Petrum Frangipanum, & anno 1217. per diploma ſpeciale confirmavit privilegia anteceſſorum ſuorum, & unionem Eccleſiæ Privernatis,& Setinæ cum Terracin. ſuppreſſivè factam. Inſuper Simeon approbavit donationem, quam fecit an.Domini 1215. D.Bruna de Orto ſuo poſito ad foveas favore Eccleſiæ Sãctæ Mariæ Baſilicæ Novæ, & aliam de terris in Circejo, quam fecit Capitulo Terracin. Leo Puppa Miles an. 1221., & demum alteram de omnibus bonis, quam fecerunt Marcus, & Alvara uxor ejuſdem Eccleſiæ S.Cęſarii an.Dñi 1224.die 3.Febr., quibus promittit piiſſimus Pontifex providere de neceſſariis in vita ex monum.Terracin.

33. Gregorius Epiſcopus Terracinen. donodedit in perpetuum Eccleſiam S. Ioannis de Pede Montis Caſtri Semineti Abbati, & Conventui S.Mariæ de gloria Anagninæ Diœceſis ordinis Florenſis anno Chriſti 1238.,quam donationem ratam habuit Gregorius Nonus eodem anno Pontif.ſui anno 12. Locavit Gregorius anno Domini 1232. in tertium genus quandam domum Eccleſiæ Sancti Cæſarii Magiſtro Dominico Fiſico, & anno 1227. multas poſſeſſiones Canonicis Terracinen. tradidit, de quibus ſupra in Bulla Clementis Papæ IV.

Do-

34. Docibilis Terracin. Antiſtes donodedit Jacobo Archipresb., & Canonicis Terracinen. Eccleſiam S. Donati una cum Hoſpitali, terris, vineis, vinealibus, & omnibus pertinentiis ſuis anno reparatæ ſalutis 1248. ſub Innocentio IV. ex monum. Terracinen.

35. Fr.Petrus Terracinenſium Præſul vixit tempore Alexandri Papæ Quarti, cujus mentio extat in bulla data anno 4. ejuſdem Pontificis, ubi agitur de remiſſione trium vivandarum, quas ſolebant percipere à Canonicis Terracin. ejuſdem Eccleſiæ Antiſtites.Idem anno Domini 1259.teſtis fuit, & ſubſcripſit inſtrumento pacis initæ inter Terracinenſes, & Pipernenſes diſſidentes propter confinia territorii.

36. Franciſcus Canis filius Guttifredi Canis antea Bitectenſis Epiſcopus in Barenſi Ducatu ad patriæ ſuę ſedem,nempè Terracinam translatus per Jordanum Piruntum Concivem Terracinen. S. R. E tit. Sanctorum Coſmæ, & Damiani Diaconum Cardinalem confirmatur ab Urbano Quarto an. 1262., uti conſtat ex reg. Vatic. ſubſcripſit Anno Domini 1268. quibuſdam indulgentiis cōceſſis Eccleſię S.Vincentii de Tibure,uti refert Michael Juſtinianus in hiſt.Tirburtin.Ejus ſtemma extat Terracinę in Eccleſia S.Thomę Apoſtoli,ubi inſpicitur Catulus,cui ſupereminent tres ſtellę tranſverſim poſitę.

37. Fr. Franciſcus Ord.Minor.quo Præſule obiit in Foſſę novę Cænobio anno 1274. D. Thomas Aquinas, cujus funeri cum multis aliis Religioſis Viris interfuit,uti docet Uvadingus in addit. ad annal. minor. Anno Domini 1273. teſtis interfuit cuidam inſtrumento rogato Fruſinoni favore Terracinenſium,& an.1281. Riccardus Buccus ejuſdem procurator inducitur ab Angelo Archipresb. S.Mariæ de Poſterulis in corporalem poſſeſſionem cujuſdam domus poſitæ in burgo Terracinę extra portam Madii ex mandato Rectoris generalis Provinciæ Campan., & maritimæ. Deindè anno 1295. ad Avellinam tranſiit Eccleſiam Bonifacii Octavi anno 1. ſexto idus Aprilis ex regeſt. Vatic. epiſt. 329. fol. 72.

38. Theobaldus antea Stabienſis Epiſcopus translatus eſt ad Terracinen.Eccleſiam à Bonifacio Octavo eodem anno 1295., qui ad Aſſiſinenſem tranſiit idibus Februarii 1296.

39. Albertus ſucceſſit Theobaldo an. 1296. Hunc tranſtulit idem

Digitized by Google

idem Bonifacius Octavus ad Capuanam Eccleſiam anno 1300.ex regeſt.Vatic.epiſt.187.fol.3.

40. Joannes ex Canonico Bononienſi eligitur Terrcin. Epiſcopus à Bonifacio Octavo eodem die,& anno quo Albertus aſſumptus eſt ad Capuanam Eceleſiam.

41. Andreas Terracinenſis Antiſtes pronunciatus an. 1319. Eccleſiam S. Laurentii Romæ conſecravit an. 1324. cum Pontifici Romano Vicariam operam prҿſtaret ex monum. Baſilicҿ Vatic. Huic Andreæ ,& Epiſcopo Anagnino indagationem miraculorum D. Thomæ demandavit Joannes Papa XXII. an. 1321. ex Raynaldo tom.15.Eidemque Andreæ Epiſcopo Terracin. plures dedit litteras idem Joannes XXII. , dum ejuſdem Papҿ Vicarius erat in Urbe.

42. Sergius Peruntus Civis Terracin. ex coadiutore præfati Andreҿ dictus eſt Pontifex ejuſdem Eccleſiҿ, cui prҿfuit ab anno 1326.uſuqe ad annum 1348.Fuit autem Vir omnium virtutum genere cumulatiſſimus.

43. Petrus Rector Eccleſiæ Parochialis de Coreba Tornacenſis diҿceſis renunciatus à Clemente VI.anno 1348.obiit anno 1352.ex regeſt.Vatic.

44. Jacobus de Peruſio Ordinis Eremit. S. Auguſtini Terracinenſium Antiſtes eligitur à Clemente Sexto anno 1352. 14. Kal. Maii. Sacræ Doctrinæ titulis inſignis in quatuor ſententiarum libros opus congeſſit, de quo Oldoinus in ſuo Athæneo Auguſto.

45. Fr.Joannes Ferrerius Ord.Min.demortuo Jacobo priùs à Capitulo electus, mox irrita electione ab Urbano V. promotus an.1363.10.Kal.Februarii,ait Vvaddigus.

46. Stephanus Terracinen.Pontifex reperitur ab anno 1372. uſque ad annum 1396.,quo anno mandat Benedicto Archipresb. Eccleſiæ S. Mariæ de puſterula ut inducat in corporalem poſſeſſionem cujuſdam beneficii D. Tutium Girardi de Terracina Canonicum majoris Eccleſiæ Cathedralis viſa bulla con ceſſionis à Sede Apoſtolica ; anno verò 1372. accipit abſolutionem decimarum ternalium à Ven. Viro Franciſco de Manfredonia Archipresb. S. Vincentii de Urbe ſublectore conſtituto ex monum. Terracinen.

47. Rogerius ſubſequitur morte correptus anno 1398., quo tem-

Digitized by Google

tempore Sedes Terracinenſis vacabat; & Vicarii generales Epiſcopatus Terracinen. erant Clemens Peruntus Archipresb., & D. Bellus Canonicus Eccleſię S. Cæſarii qui dederunt litteras dimiſſorias Epiſcopo Buyan., ut promoveret ad Sacerdotium Abbatem Tutium Girardi Canonicum Terracin. ex monum.ejuſdem Eccleſię.

48. Nicolaus Civis Signinus Rogerio ſucceſſit, anno autem 1402. ad ſuæ patriæ Epiſcopatum translatus eſt Kal. Septembris.

49 Marinus de S.Agatha Canonicus Firmanus, ſcriptorque Apoſt.Bonifac.IX. intimè carus Epiſcopus ſublectus eſt an. 1402. anno verò 1404. ad Cajetanam Eccleſiam translatus eſt 2. idus Martii. Hic Marinus cum anno ſalutis 1403. audiviſſet Clementem Piruntum Archipresb.,& Canonicos dilapidaſſe bona Eccleſię Majoris, miſit Blaſium de Mediolano Vicarium ſuum ad viſitandum Eccleſias Terracinen., qui abſolvit Canonicos omnes cum Archipresbytero tanquam innocentes. Ex monum. Terracinen.

50. Antonius antea Epiſcopus Iſernienſis à Bonifacio Nono ad hanc Eccleſiam translatus eſt anno 1404. 2. Idus Maii: fidem facit hujus translationis Breve Pontificium in Archivio Terracinen.exiſtens.Qui Antonius cum partes Gregorii XII. Pſeudo Papę ſuſcepiſſet tanquam Schiſmaticus à Joanne XXII. omni honore denudatus fuit.

51. Fr. Antonius à Zagarola Ordinis Minorum à Joanne XXIII.in locum deturbati Antonii ſubſtituitur anno 1411 7.idus Martii, qui deinde Cajetanam conſecutus eſt Eccleſiam an.1422. 13.Kal. Junii.

52 Andreas Joannis Gacii Canonicus Præneſtinus ſuffectus eſt à Martino Quinto die 10.Junii 1422. obiit Terracinæ anno 1425.

53. Joannes de Normannis Romanus ex Canonico Baſilicę XII. Apoſtolorum electus eſt anno 1425. 12. Kal.Junii, deinde ad Cajetanam Eccleſiam Martino Quinto promovente tranſit anno 1427. die io Novembris. Servantur in Archivio Terracin. litterę Pontificiæ Martini Quinti hujus rei fidem faciente. cæterum illuxit Joannis nomen in grege perpoliendo, & virtutibus illuſtrando Cives Cajetanos; apud quos obiit anno 1441.

Ni-

54. Nicolaus de Aſpera antea Epiſcopus Signinus huic Eccleſiæ admotus eſt anno 1427., quo anno die 13. menſis Auguſti indict. ſexta excepit occaſione caritativi ſubſidii per manus Cæſarii Ferraguti, & Antonii Caſaſſi Officialium Capituli flor. auri duodecim.

55. Alexander ejuſdem Eccleſię Antiſtes ceſſit fatis an. reparatæ ſalutis 1448.

56. Alexander Cajetanus juris utriuſque Doctor à Nicolao Quinto electus anno 1448. die 10. Febr., vale dixit rebus humanis anno 1448.

57. Corradus Marcellinus Romanus Canonicus, & Prior S. Mariæ in Via Lata de Urbe Epiſcopus primum Feretranus, poſtmodum Terracinenſis dictus an. 1458. die 6. Octobris Pio II. ſedente. Romæ extrema clauſit an. 1490., ſepelitur in Eccleſia Sanctorum XII. Apoſtolorum propè Fratrem, cujus ſepulchro epitaphium exculpſerat.

58. Franciſcus Roſa Terracinenſis filius Nicolai Roſæ Fulginas anteà Epiſcopus ad Patriæ ſuæ Sedem Epiſcopalē translatus eſt ab Innocentio Octavo anno 1489. die 3. Martii, breviſſimuſque Pontifex fuit ex Ludovico Jacobillo in hiſt. Fulginat.

59. Gundeslaus Romanæ Urbis Gubernator hanc obtinebat Eccleſiam an. 1493.

60. Antonius Roſa Civis, & Epiſcopus Terracinæ obiit anno reparatæ ſalutis 1500. ex Abbate Lucentio.

61. Joannes de Galves Hiſpali in Hiſpania natus ex Aula Card. Oliverii Carafæ ad Romanæ Curiæ gradus excurrendos prodiit, ſiquidem ex Apoſtolicæ Cameræ Clerico ſublectus eſt Epiſcopus Terracin. an. 1507. 8. Idus Auguſti, ſepultuſque jacet apud S. Jacobum inſigne Hiſpanicæ Gentis Templum cum Cenotaphio, ejus gentilitia ſtemmata ſunt duo canes aderectam arborem anhelantes.

62. Oliverius Card. Carafa Archiepiſcopus Neap. hujus gregis eſt aſcitus adminiſtrator an. 1507. die 10. Auguſti, Nuncium remiſit an. 1510. menſe Majo.

63. Zaccharias de Moris Romæ Præpoſitus S. Luciæ Terrac. Præſul. renunciatus eſt an. 1510. die 13. menſis Maii. Hic inter Concilii Lateranenſis Patres numeratus eſt.

64. Andreas Cibo proviſus de Eccleſia Terracin. vacante

Digitized by Google

per obitum Zacchariæ de Moris lib.decret. Leonis X. fol.4. die Iunæ 20. Aprilis. Ejus nomen inſculptum erat in lapide Palatii Epiſcopalis Terracin. propè focum exiſtente.

65. Joannes de Copis Barbantinus utriuſque Signaturæ Referendarius proviſus per obitum Andreę Cibo an.1522.die Mercurii 29. Octobris, Romæ deceſſit anno 1527., ſepultuſque jacet apud Sanctam Mariam de Anima cum Epitaphio, & verſibus iſtis.

Diſce meo exemplo Templis dare munera magna
Quando hoc pro parvis hæc monumenta dedit.
Atque ſuis precibus Cœli in regione locavit
Virgo parens animam quis meliora dabit?

66. Antonius Bonſius Nobilis Florentinus gente Senatoria cum apud Clementem VII. pro publica re Florentina fungeretur legatione ab eodem Terracin. infula coronatur an. 1528. die 8. menſis Januarii; inſignis Doctor fuit, celebriſque Orator. Romę è vivis eximitur ann. 1533., dum ſibi majora auſpicatur, poſtquam rediiſſet è Gallia, quo miſſus fuerat ab eodem Clemente ad Franciſcum Regem pro expediendo matrimonio inter Catharinam Mediceam, & Henricum Aurelianenſem Ducem Regis filium. E Bonſia familia floruit in purpura ſub Paulo V. Jo: Baptiſta S.R.E. Cardinalis integritate vitæ, morumque candore ſatis conſpicuus.

67. Cinthius Filonardus de Bauco Hernicorum Oppido Cardinalis Ennii frater rebus gerendis aptiſſimus cum Peruſiæ Prolegatus eſſet hujus Eccleſiæ Epiſcopus creatus eſt an. 1533. die Veneris 7. Novemb., ſed cum ſaluberrima meditatur impertiri ſibi commiſſo gregi morte præoccupatus eſt die 1.Novemb.proximè inſecuti an.1534.,& ætatis ſuæ 43.

68. Cyprianus de Caris Epiſcopus Sidonien. translatus eſt ad hanc Eccleſiam per obitum Cinthii Filonardi die Veneris 13. Novemb.an.1534.ex lib.decret.Pauli III.fol.115.

69. Alexander Argolus de Tallacotio Terracinenſem gregem excepit poſt obitum Cypriani de Caris an. 1535. die Veneris 29. Jan.ex lib.decret.Pauli III.fol.120.deceſſit autē an.1540. Ejus cum laude meminit Horatius Turſelinus lib.3.cap.2.Lauretanæ hiſtoriæ.

70. Octavius Maria Sfortia Nobilis Mediolanenſis, & Patriar-

triar-

triarcha Alexandrinus deputatus eſt in adminiſtrationem d. Eccleſiæ die Mercurii 24. Novembris ann. 1540. ex lib. decret. Pauli Tertii fol. 115.

71. Octavianus Roverta Nobilis Mediolanenſis fuit deputatus coadiutor cum futura ſucceſſione dicto Octavio Maria Sfortiæ in eadem Eccleſia Terracin. cui de facto ſucceſſit ann. 1545. die Veneris 26. Novembris. Apud Helvetios nomine Julii Tertii legatione functus eſt, itemque Pauli Quarti, cujus in interregno Leoninam regionem frenavit. Apud Philippum Secundum Apoſtolicæ Sedis cauſa peroravit, dum Pius IV. ad clavum ſederet. Ceterum purpuram Octaviano deſtinatam fatum Pontificis eripuit. In Hiſpania deceſſit an. 1562. inconſolabile propè modum ſui deſiderium poſteritati relinquen.

72. Franciſcus Beltraminus Patria Cellenſis in Hetruria electus an. 1564. die Mercurii 21. Junii vivere deſiit anno 1575. ex lib. decret. Pii Quarti fol. 168. ſub eodem Pio in Gallia aliquando Apoſtolicæ Sedis Nuncius fuit, quo munere egregiè functus ad gregem ſibi commiſſum rediit, ubi obiit, ſepultuſque eſt in Cathedrali Terracinæ.

73. Beltraminus de Beltraminis ejuſdem germanus Frater Epiſcopus declaratus eſt an. 1575. die Lunæ 5. Decembris ex lib. decret. Gregorii XIII. fol. 63. obiit an. 1582. Somneni ſuæ Diœceſis oppido, ſepultuſque jacet in Parochiali Eccleſia Sancti Petri propè altare majus cum Epitaphio. Hæc Beltramina familia Florentina Civitate donata gerit pro inſigni in ſcuto argenteo hippogryphum rubrum corona aurea exornatum.

74. Lucas Cardinus à Regio Lepidi Beltramino ſucceſſit an. 1582. die Lunæ 20. Auguſti ex lib. decret. ejuſdem Gregorii fol. 165. deceſſit autem anno 1595. Ejus ſtemma gentilitium eſt pyramis ſupereminente Cruce, quo inſigni ornatus ex utroque latere proſpectus antiqus Eccleſiæ Cathedralis.

75. Fabritius Peruſinus à Clemente VIII. creatus eſt anno 1595. die Lunæ 24. Aprilis, deſiit eſſe inter mortales ann. 1688. fuit Gubernator generalis Provinciæ Maritimæ, & Campaniæ, an. 1602., ut colligitur ex thecis extructis in Cathedrali, ubi condidit Sanctorum tùm veteris, tùm novi teſtamenti reliquias.

76. Pomponius de Magiſtris ex Oppido Somneni Diœceſis Terracin. Vaticanæ Baſilicę Canonicus à Paulo Quinto ſublectus

eſt anno 1608. die Lunæ 28. Januarii, apud concreditam ſibi Eccleſiam deceſſit an.1614. Ejus inſignia ſpectantur in Sede Epiſcopali Terracinæ. Sub Paulo V. ſubſcripſit prò canonizatione Sanctæ Franciſcæ Romanæ in hæc verba. Mihi omnium poſtremo Divinitùs factum videtur Beatiſſime Pater, ut ſicut olim hæc Beata Franciſca in Turre Speculorum enituit, ità nunc in Eccleſia Dei, quæ eſt Turris David, ex qua pendent mille Clypei, & Arx Sion, quam interpretamur ſpeculum, tanquam novus Clypeus ad nos tuendum, atque novum virtutum omnium ſpeculum imitandum effulgeat. Quare tot exploratis rationibus ſanctitatis titulo merito decorandam exiſtimo ex Fr. Abraham Bzovio Ord.Præd.cap.32. pag.406.

77. Cęſar Vintimilia Nobilis Beneventanus Pompeii, & Victoriæ Bixiottæ filius ſub Paulo V. in Hiſpaniam Auditoris munere functus eſt Decio Carafa Apoſtolico Nuncio, poſteà Cardinale: Ab eodem Pontifice dictus eſt Epiſcopus Terracinen.anno 1615. die Lunæ 14.Januarii. Hic Setiæ ſuæ Diœceſis Oppido pulchrum, commodumque Palatium funditùs excitavit an.1632. quo modo ſe conferre amant æſtivis temporibus ad ſalubrem aerem colligendum Epiſcopi Terracin. defunctus eſt ibidem anno 1645. die 25.Decembris.

78. Alexander de Taſſis ad Terracinenſem Cathedram aſcendit Innocentio X. promovente an.1646. die Lunæ 25. Iunii, dum plura meditatur ob ſibi deſponſatam Eccleſiam, ſuumque munus cumulatiſſimè expleret morte eripitur Romæ ineunte anno 1648.

79. Franciſcus Maria Chislerius Nobilis Bononien. Sacræ Romanæ Rotæ Auditoratu celebris an. 1648. die Lunæ prima Februarii Terracinenſibus Præſul attribuitur ex lib.decret.Innonocentii X. fol.90., quos dum eximia animi moderatione, ſummaquè in omnes urbanitate regit ad Imolenſem translatus eſt Eccleſiam an.Dñi 1664.Kal.Septembris.

80. Pompejus Angelottus Reatinus proviſus de Eccleſia Terracin. an.1664. die Lunæ 15. Decembris per translationem Chislerii ad Imolen. expurgando gregi, ſuiſque juribus tuendis propenſius invigilat Setiæ ſuæ Diœceſis oppido inter epulas ſubita morte corripitur non ſine hujuſmodi eventus ſiniſtra opinione an. 1667. menſe Majo.

Her-

81. Hercules Dominicus Monannus ex Oppido Monterchii Ditionis Florentinæ juris utriuſque Doctor, dum pro Card. Barberino Veliternenſis Vicariatus officio fungeretur Terracinenſem conſecutus eſt Cathedram an. Dñi 1667. die 22. Auguſti in ſecunda, quam habuit, Epiſcoporum promotione Clemens Nonus Purpuratorum Decani precibus inclinatus benigniſſimus Pōtifex. Vivit adhuc in pluribus laudandus, quippè qui Ædes Epiſcopales Terracinæ ſilveſcentes, & jam deſolatas habitabiles reddidit, novo laqueari, aliiſque ſuppellectilibus Sacris Cathedralem Sancti Cęſarii, & octo Cappellanis Eccleſiam S. Ioannis exornari curavit.

C A P. IV.

De Diœceſi Terracinen.

Expoſita Terracin. Antiſtitum ſerie, ut ut potuimus (plures ſiquidem Præſules ob temporum injuriam perierunt, & omnis eorum memoria excidit) reliquum eſt modò, ut de locis Terracinen. Epiſcopatui obnoxiis verba faciamus, habent enim Terracinen. Epiſcopi pulcherrimam, deliciis affluentem, ac ſatis amplam Diœceſim, cujus ſeriem juxta hodiernum ordinem ita diſpono. Meritò poſt Terracinam ſequitur Privernum prænobile Oppidum Viris pace, belloque conſpicuis illuſtratum; poſt Privernum ſequitur Setia Oppidum vaſtiſſimum, quo ſe conferre amant æſtivis temporibus ad ſalubrem aerem colligendum Epiſcopi Terracinen.; Quartum locum Somninum habet, Sermoneta quintum, cujus melopepones mirum quantum celebrat Andreas Bavius in lib. de vinis Italiæ. His demum ſuccedunt Magentia, Baſſianum, Rocca Aurga, Rocca Sicca, & Sancta Felicitas, cujus promontorium. Circejum dictum mirum in modum apud Mytologos commendatum leges; quibus adde Inſulam Pontiam exilio tot Sanctorum Martyrum, Sanctarumque Virginum ſatis claram: Par erat enim, ut ſicut olim Terracina Civitas Illuſtriſſima Oſcorum, Volſcorumquè Metropolis fuit, ità & nunc non parvæ Diœceſis Caput, ac Mater exiſteret; de ea in præſentiarum nihil agimus, quoniam ſatis, ſuperquè diximus ſupra, & dicemus, Deo dante, inferiùs.

PRI-

P R I V E R N U M.

PRivernum olim Epiſcopalis Civitas, nunc verò Diœceſis Terracinen. (, vulgo Piperno;) duodecim, & ampliùs milliaribus à Terracina diſſitum conſidet in vertice montis, cujus in planitie ad radices ſecus Amaſenum fluvium, ubi magnorum operum, ruinarumque veſtigia cernuntur, erat ſitum vetus Privernum Virgilianæ Camillæ Patria, quod è campeſtri arduum in collem mutatum, poſtquam Theutonica ſimul, & Britonum rabie exciſum, deletumque fuit; etenim ſuperſtites Cives in montes, ac loca vicina prolapſi ſopito barbaræ Gentis furore cum patriam in priſtinum ſplendorem reſtituere poſſe omnem ſpem abiicerent, eam in colle, in quo adhùc viſitur, inſtaurarunt, vetuſque Priverni illuſtre nomen indiderunt. An excidium hujus veteris Priverni in cauſa fuerit, ut ejus Eccleſia Terracinenſis Eccleſiæ prædium fieret, eidemque ſubjectivè uniretur, uti ad preſentem uſque diem perſeverat apud ſcriptores in dubio eſt; conſtat autem inter omnes olim Epiſcopali dignitate exornatum fuiſſe, unde.

1 Eleutherius Privernas Epiſcopus invenitur ſubſcriptus in Concilio Romano an. 825. ſub Eugenio Papa Secundo, uti videre eſt apud Baronium.

2 Majus Epiſcopus Privernas ſub Leone IV. ſubſcripſit Concilio anni 893., uti videre eſt apud eundem.

3 Benedictus S. Pipernenſis Eccleſiæ Epiſcopus conſenſit, & ſubſcripſit pro canonizatione S. Ulderici Epiſcopi an. 993. ſub Joanne XV. ex tom. 1. bull. Rom.

4 Martinus gratia Dei Epiſcopus S. Pipernenſis Eccleſiæ ante millesſimum vixit, & librum paſtoral. S. Gregorii fieri curavit ex codice vetuſt. Baſilicæ liberianæ.

5 Petrus Pipernenſis Epiſcopus ſub Sergio IV. miſſus in Galliam Monaſterium Belliloci conſecravit anno 1010. teſte Petro Marca.

At modo Privernas Eccleſia omni decore Cathedralitatis exuta inſignis Collegiata eſt Deiparæ Virgini in Cælum aſſumptæ dicata. In ea Archipresbyter, cui animarum cura committitur, & quindecim Canonici cum aliis Clericis Divinis incumbunt, & quamvis quinque Parochiales Eccleſias ſub ſe nume-

meret, à ſola tamen Collegiata Sacram Synaxim ſuſcipiunt infirmi.

Monaſteria Virorum tria viſuntur S. Laurentii Conventualium, S. Franciſci Cappucinorum, & S. Thomæ Dominicani inſtituti, Monialium unum S. Claræ; Habetur etiam domus ſub invocatione S. Pontificis Nicolai, quæ inhabitatur à Presbyteris Doctinam Chriſtianam erudiendis pueris aſſignatis; Oratoria plurima adſunt, & mons frumentarius cum Hoſpitale Peregrinorum. Extra Privernum Terracinam verſus Palatium S. Martini eminet, quod ſtatis anni temporibus inhabitatur ab Epiſcopo Terracinen., in cujus commodum ceſſit ex Bulla Innocentii X. exigua Monaſteria ſupprimentis Camaldulenſibus Monachis ſublatis: Sequitur poſtmodùm celebre illud Foſſæ novæ Cænobium adhùc pietatem ſpirans, ubi Monachorum corona ſeptus exuvias mortalitatis depoſuit Anno Domini 1274. Theologorum Princeps S. Thomas Aquinas; Ex eo tres Cardinales Jordanus, Stephanus; ac Theobaldus è familia Ceccana tria Ciſtercienſis Ordinis ornamenta erupere; In eo excultus olim fuerat Gregorius Papa Quartus, qui orbem celebritate venerari; ibidemque pietate perpolitus fuit B. Gerardus Martyr, qui translatus in Gallias Claræ vallenſis Abbas, ac D. Bernardi Sextus ſucceſſor eſſe promeruit. Hujus Cænobii alumni fuere Petrus Meſſarellus Privernas, qui à Summis Pontificibus in graviſſimis expediendis negotiis adhibitus eſt; Robertus Privernas Epiſcopus Fundanus, Leonardus de Sermoneta Epiſcopus Iuvenacenſis, & Stephanus de Ferentino Epiſcopus Turtibulenſis, aliique plures Eccleſiarum Moderatores, & Pontificum Legati, de quibus vide Hiſt. Ciſtercien; Sed redeamus intra Privernum recens, quod minimè invidet illi antiquo; plures enim Viros qua bellica qua litteraria virtute claros extulit; quos inter eminent Petrus Valerianus Sanctę Mariæ Novæ Diaconus Cardinalis ſub Bonifacio Octavo; Maximus Valerianus Caroli II. Neapolitani Regni armorum Præfectus; Petrus Ferri nobili genere natus Epiſcopus Theatinus, Leonardus Tacconius Epiſcopus Fundanus, Victorius Guarinus Epiſcopus Anagninus, Robertus Monachus, ac Prior Foſſæ novæ Epiſcopus Fundanus, Fr. Reginaldus Ord. Prædic. Epiſcopus Marſicenſis, qui ſocius, & confeſſor S. Thomæ Aquinatis eſſe promeruit. Cæterum ſicut Terracinenſes ad Janum, ita Pipernenſes

ſes ad Saturnum ſuam originem referunt, à quo nomen veteris Priverni corrupta tamen voce derivatum eſſe putant, licet alii ità dictum velint, quaſi primo vernans ſignificet, eò quod in aprico poſitum perpetuo quaſi vere gaudeat; quod autem modo enuncietur Pipernum, & ità dicatur vel à ſaxo piperino, vel ab arbore piperis ibi enaſcente,conjectura eſt. Veriſimillimum nihilominùs eſt à S. Epaphrodito primo Terracinen. Epiſcopo, qui totam Campaniȩ Provinciam Evangelii prædicatione luſtravit luce Fidei fuiſſe illuſtratum, & ad Chriſtum converſum; De reliquis vide Theodor.à Valle in hiſt.privernat.

SETIA.

Setia oppidum Latii Diœceſis Terracinen., [vulgo Sezze Terra del Latio Dioceſe di Terracina;] poſt Privernum locum tenet in dicta Diœceſi fere ab immemorabili, ſicuti adhuc perſeverat. Jacet autem hoc pervetuſtum, ac nobile oppidum ſupra montis jugum Viam Appiam, & pomptinas paludes proſpiciens ſeptemdecim millliaribus diſtans à Velitris, ſex Priverno proximans; Romana Colonia fuit deducta ab Urbe condita an.373 ante natum Jeſum 380. teſte Vellejo. Ejus vinum celebre erat apud Veteres, unde Martialis lib. 13. epigr. 112. inquit.

Pendula pomptinos, quæ ſpectat Setia Campos.
Exigua vetulos miſit ab Urbe cados.

Pendula hic dicitur Setia, quia in montium jugo ſita ab extrema ora ejuſdem tanquam ex crepidine quadam in ſubjectam planitiem deſpicit, Urbs vocatur ad commodum verſus; exigua autem inſcribitur, quia parvum erat oppidum, at nunc ſatis vaſtum; hinc tria Virorum Cænobia Sancti Franciſci enumerat, Monialium unum, necnon, & Patrum Societatis Ieſu excitatum Collegium, unde magis litterarum, pietatiſque gloria effloreſcit; Laicorum Confraternitates plures; Peregrinorum Hoſpitale, & Parocchias ſex. Eccleſia Princeps B. Mariæ Virgini dicata ſimplex collegiata eſt, ibi Archipresbyter cum novem Canonicis, & duabus inferioribus dignitatibus circa initium ſęculi ſuperioris erectis Archidiacono videlicet,& Prępoſito Capitulum explet; olim ſi conjecturæ datur locus Abbatialis Eccle-

ſia

Digitized by Google

ſia fuit, & Monachi eam poſſiderunt; hinc S. Lidanus Abbas Setinorum Protector eſt, qui ab aliis fratribus ſecedens in locum ſolitarium intra paludes pomptinas ad Anachoreſim ducendam ſe recepit, uti conſtat ex ejus Vita. Plurimum decoris addidit huic oppido Civitatis Terracinæ calamitas, quæ exhauſta viris à morbo Peſtifero (vulgo il Caſtrone) anſam dedit, ut Epiſcopi Terracinenſes illud Seminarium, Archivium Terracinen., & familiam armatam aſportarent, quin immò, & ſibi, & ſucceſſoribus Palatium Epiſcopale funditùs erigerent, ubi diutiùs commorari conſueverunt cum maximo Civium Terracinen. detrimento.

Cæterum veris bello, litteriſque coſpicuis enituit Setia: L. enim Annius Latinorum prætor, & Valerius Flaccus poetica laurea inſignis, necnon P. Fr. Franciſcus Bruſchus Ord. Minor. Conventual. Epiſcopus Litterenſis inde prodiere; nullum verò ex Civibus ſuis adhùc in purpura elatum vidit teſte Ciacconio in ſuo opere luculentiſſimo, licet nonnullos jactitent recentiores oppidani illius loci, quos certe ſomniarunt: Quoad auctorem hujus oppidi nulli nobilium Italiæ Urbium decedunt, etenim ſicut Terracinenſes à Iano, Pipernenſes à Saturno, ità & Setini ab Hercule ſe oriundos faciunt, ſed hæc ſatis ne doctis indoctus laudes præripere videatur.

S O M N I N U M.

SOmninum derivatum nomen eſt ab vulgari vocabulo (Son pennino,) unde Sonpninum, mox Somninum dictum fuit, etenim ſupra verticem alti montis ſitum pendere videtur in præceps; aliis Somminum à ſummitate montis, in qua poſitum ſpectatur, appellari placuit; Principatus titulo inſignitur oppidum, & ſpectat ad Excellentiſſimam Familiam Columnenſium; montes circumſtantes undequaque olivarum corona ſepti ſemper vireſcentes ſpectantium oculos exhilarant, & dominorum crumenas locupletant: Ex aſperitate hujus loci plures plurima humanitate præditi viri, litterarumque gloria inſignes prodiere inter quos emicant P. Fr. Vincentius Calceus Ord. Prædic. Epiſcopus Venuſinus, Petrus de Somnino Epiſcopus Seruntinus, P. Fr. Angelus Petriccha Ord. Minor. Conventualium Viſitator Generalis Provinciæ Neapol., & Miniſter Provincialis ejuſdem

Ordinis; Franciſcus Sabellicus S.Caroli Borrohomęi auditoratu celebris, de quo talis extat memoria in Conventu S. Franciſci apud Somninum ipſum.

Franciſcus Sabellicus juris utriuſque Doctor Sancti Caroli viventis ſervitio indignè receptus, ut prò ſe, ſuiſque in hoc Sacello de proprio erecto quotidie celebretur, huic Eccleſiæ ſcuta mille erogavit. Anno Domini *1616.* ac tandem Pomponius de Magiſtris, qui ex Canonico Baſilicæ Vaticanæ electus fuit Epiſcopus Terracinenſis à Paulo V. an. *1608.* Is piis, honeſtiſque prognatus genitoribus,& propenſiſſimus ergà patrios Lares Principem Eccleſiam Abbatiam nuncupatam S.Joannis jam ferè dirutam reſtitui juravit, & in Collegiatam erigi, antequam ad dictas Epiſcopales infulas adduceretur dignitate Archipresbyteratus ibidem inſtituta, ut memorialis epigrapha ibidem appoſita eloquitur in hæc verba Pomponio de Magiſtris Prothonotario Apoſtolico Sanctiſſimi Dñi Noſtri Papæ Clementis VIII.Cubiculario Baſilicæ Apoſtolorum Principis de Urbe Canonico, & Altariſtæ Ædes Sacras funditus ruentes proprio ære in nobiliorem formam reſtituenti, marmoribus, Sanctorumque reliquiis illuſtranti Canonicatus, & Capitulum erigenti in magnum Principatus Somneni decus fautori Livius Lampreda J.U.D.,& Archipresbyter tanto Civi munificentiſſimo poſuit anno ſalutis 1604. Eſt ibi Monaſterium Monialium Ordinis Ciſtercienſis, & Conventus Ord.Min.Convent. S.Franciſci; Parochiales Eccleſiæ tres nempè, S.Angeli, S.Petri, & inſignis Collegiata S.Joannis, ubi Archipresbyter cum octo Canonicis Sacris incumbunt; Laicorum Confraternitates quinque, videlicet Sanctiſſimi Sacramenti, Sñi Roſarii, S. Crucis, S.Sebaſtiani, ac demum alia ſub titulo mortis, plures quoque adſunt cappellæ, quæ ad inſtar Confraternitatum gubernantur à Laicis.

S E R M O N E T A.

SErmoneta oppidum ſupra quendam collem exurgit ſpectabile omnibus, qui viam Romanam prætereunt, unde patet longè, latæquè proſpectus amæniſſimus in ſubjectam planitiem, cæteroſque adjacentes campos; aſcenſus montis aliqualitèr aſper eſt, ad quem per vias in modum cochlidis ſtratas ad ſum-

ſummitatem pervenitur, ſub cujus pede fons eſt aquæ dulcis marmoreis lapidibus inſtructus, ubi mulieres ejuſdem loci indumenta ſordida abluunt:Ità dictum volunt quaſi ſerva moneta, vel quia fuerit locus ubi ſervarunt theſauros ſuos nonnulli Cives Sorani exules, qui initia huic oppido dederunt, aut quia hoc terræ ſpatium fuerit in fame latrociniis, unde viatores, vel in ipſo nomine admoniti erant, ut ſuam pecuniam ſervarent, quod forſitan in cauſa fuit, ut Turris haud procul extrueretur, ſicuti adhuc perſeverat excubiis munita, . quæ ab advenis equitantibus ſtipendia expoſcunt, quoniam eorum cauſa ſtationes agunt. Sunt, qui opinantur, hoc oppidum è veſtigiis Sulmonis intra antiqui Latii fines recenſitæ à Plinio ſurrexiſſe, unde rectius Sulmonetam dici mallent. Cæterum Ducatus titulo inſignitur, & pertinet ad Excellentiſſimam familiam de Gajetanis, quorum natalibus aliquandò illuſtratum fuit oppidum; in eo enim nati ſunt Henricus, & Nicolaus Gajetanus S.R.E. Cardinales vulgò dicti Cardinales de Sermoneta; ex eo etiam plures inſigni doctrina viri, Eccleſiarumque Rectores emanarunt, in quorum numero ſunt Leonardus Monachus Foſſænovæ Epiſcopus Juvenacenſis ſub Innocentio Quarto, Jordanus ex Canonico S. Mariæ de Sermoneta creatus Epiſcopus Venafranus à Bonifacio VIII., cui ſucceſſit ſub eodem Pontifice Docibilis Archipresbyter ejuſdem Eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Sermoneta; Annibal de Paolis floruit ſub Sixto V. Epiſcopus Acerranus in Regno Neapolis, cujus extat memoria in Eccleſia S. Mariæ de Gratia extrà Sermonetam ſita. Matrix Eccleſia Collegiata eſt, & colitur ſub invocatione B. Mariæ Virginis; ejus Capitulum ex duodecim conſtat Canonicis, quorum unus Archipresbytali dignitate condecoratus aliis præcellit. In hoc Templo ſequens legitur munimentum; memoriæ æternæ. Hic fuit Carolus V. Imp., & ad Deum preces fudit menſe Aprili die 5. an. 1550. Quatuor Religioſorum Monaſteria adſunt, quorum tria ſunt de familia Franciſcana nempè Conventualium, Diſcalceatorum, Cappuccinorumque; aliud verò eſt Bernarditarum. Parochiæ duæ inſunt; Laicorum Confraternitates plures. Imminet huic oppido Arx munita cuſtodiis, quæ ab ipſius Dominis de familia Gajetana per Caſtellanum cuſtodiri mandatur: Egregia agri fęcunditate pro re frumentaria, cęterarumque frugum ubertate fruitur Sermoneta, vineas quidem paucas numerat, hinc ei

auxiliaris eſt Ciſterna, & Sancta Felicitas; ingenti quoque melopeponum proventu fragrantia, gratoque ſapore laudabilium gaudet, quos mirum in modum extollit Andreas Baccius lib. *6.* de vinis Italiæ pag. 288., Viris literatis floruiſſe ex ſupra relatis diſces, quibus adde Franciſcum Valerium Gubernatorem Tiburis an. 1536. ſub Paulo III., uti tradit Michael Juſtinianus in Hiſt. Tiburtina; cæteros ejuſdem loci Civibus indagandos relinquimus.

MAGENTIA.

MAgentia (vulgò Majenza) Caſtrum eſt Terracinenſis Diœceſis ſupra elevatum collem ſitum, cujus dominium modò ſpectat ad Excellentiſſimam familiam de Pamphiliis; ità dictum volunt à S. Magentio Martyre, id quod approbat Theodorus à Valle in Hiſt. Privernat.; Viſitur parum diſtans à Priverno, & viris litteraria virtute præclaris non vacat. Eccleſia Princeps Collegiata Parochialis, & B. Virgini in Cęlum aſſumptæ dicata eſt, ibidem vacant ſacris ſeptem Canonici cum Archipresbytero. Adeſt quoque Conventus S. Franciſci Ordinis Minor. Conventualium ſub invocatione S. Reparatæ; Tres verò Laicorum Confraternitates videlicet Sanctiſſimi Sacramenti, Sanctiſſimi Roſarii, & Sancti Jacobi Apoſtoli; Noviſſimè erecta fuit quædam alia Eccleſia ſub tit. Sanctæ Mariæ de Stella cum quatuor Cappellanis perpetuis.

BASSIANUM.

BAſſianum Caſtrum quoque eſt Terracinenſis Dięceſis ſub jure Excellentiſſimæ Familæ de Gajetanis perſiſtens; conditum volunt à Baſſiano Caracalla, à quo & nomen accepit; ibidem antiquitùs latuiſſe ferunt Saturnum, cum exul arma Jovis fugeret, ac primò Italiam ingreſſus eſt: Hoc reſciens Janus prudentiſſimus Italiæ Rex Saturnum ad regni participatum, & conſortium evocavit, eidemque Terracinam, quam ipſe fundaverat, conceſſit. Eccleſia Collegiata ſub invocatione S. Eraſmi Parochialjs eſt, ibidemque ſacris incumbunt Archipresbyter, & ſex Canonici. Adeſt quoque altera Eccleſia Parochialis S. Nicolai, ubi Abbas cum quinque Beneficiatis præeſt.

Lai-

Laicorum Confraternitates quatuor ſunt Sanctæ Mariæ de Carmelo, Sanctiſſimi Roſarii, Sanctiſſimi Sacramenti, & Confalonis. Emerſit ex hoc loco Fr. Petrus Ord. Præd. electus à Clemente VI. Epiſcopus Venafranus anno 1348.

ROCCA AUGURGA.

ROcca Augurga, (vulgò Rocca Gorga) Arx eſt Terracinenſis Diœceſis pertinens ad Illuſtriſſimam Familiam de Ginnettis ſupra elatum cujuſdam collis tumulum ſita haud longè à Megentia. Eccleſia Matrix ſub invocatione S. Mariæ Annuntiatæ regitur ab Archipresbytero una cum duobus Beneficiatis.

Nupèr extructa eſt altera Eccleſia ſub titulo Sancti Leonardi; ubi Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Dominus de Ginnettis plures Cappellanos inſtituere meditatur, quos tamen adhùc non ſtabilivit: Laicorum Confraternitates tres adſunt, nimirum Sancti Leonardi Sanctiſſimi Roſarii, & Sanctiſſimi Sacramenti; oleis, paſcuis, & agro pro re frumentaria ſatis ornata perſpicitur, ex quibus non modici redditus proveniunt ad præfatam familiam de Ginnettis.

ROCCA SICCA.

ROcca Sicca (vulgò Rocca Secca) Arx eſt ejuſdem Diœceſis ſupra verticem Montis poſita ſpectabilis ab iis, qui Privernum tranſiliunt, & ad Illuſtriſſimam Familiam de Maximis ſpectat; quamvis ob loci ſitum ſolis æſtivi ardore torreſcat, & quodammodò ſiccetur, viris tamen eruditis madet, ac viret. Eſt ibi Eccleſia Collegiata ſub invocatione S. Mariæ Aſſumptæ in Cœlum, ubi Divinis laudibus vacant Archipresbyter, ac quatuor Canonici; Laicorum Confraternitates quatuor adſunt, nempè Sanctiſſimi Roſarii, Sanctiſſimi Sacramenti, S. Sebaſtiani, ac Sanctæ Mariæ Annunciatæ.

SANCTA FELICITAS.

SAncta Felicitas Caſtrum præfatæ Diœceſis aſſurgens ex ruinis veteris oppidi celeberrimi ſpectatur ſitum apud radi-

Digitized by Google

dices montis Circei, ubi verſus Orientem aliqualitèr ſe elevat in collem, & eſt ſub dominio familiæ Excellentiſſimæ de Gaitanis, (vulgò dicitur Santa Felice.) Fuit olim Romanorum Colonia, quam primus deduxit Tarquinius Superbus, uti teſtantur Livius, & Dionyſius lib.4. inquiens. Circeam Tarquinius deduxit Coloniam data opera, quod in Pometino campo totius Italiæ maximo locus is opportunus ad mare ſitus eſſet. Oppidum vocabatur Circeum à Dea Circe, quæ ibidem in quodam montis antro inhabitaſſe fertur,& homines in feras mutaſſe, qua de re Sanctus Auguſtinus, dum de Civitate Dei ædificat, ſic habet: Varro aſtruit Circen Socios Ulyſſis mutaſſe in beſtias; & infrà, nam de mulieribus malis artibus imbutis, & nos dum eſſemus in Italia audiebamus talia de quadam regione illarum partium, mulieres imbutas his malis artibus mulieres imbutas his malis artibus in caſeo dare ſolere, quibus poſſent, ſi vellent viatoribus, unde in jumenta verterentur, neceſſariaque comportarent; Poſt quę perfuncta opera iterum ad ſe redirent, nec tamen in eis mentem fieri beſtialem, ſed rationalem, humanamquè ſervari. Oppidani dicebantur Circejenſes, hinc L. Numicius Latinorum prętor Circejenſis appellatur apud Livium, & Cic. de Nat. Deor. libro quarto inquit; quanquam Circem quoque Coloni noſtri Circejenſes religioſè colunt; at modò in hujus Oppidi devaſtati locum Caſtrum ſurrexit [vulgò dictum Santa Felice,] & incolę Santa Feliciani, ibidemque in Eccleſia ejuſdem nominis,cui pręeſt Archipresbyter cum aliquot Cappellanis ſervaretur corpus S. Felicis Mart.,& Pontif. Hunc locum natalibus ſuis clarum reddidiſſe Celeſtinum Papam II. Petrarcha, & Platina memorant, quos allegat Kircherus in lib.de Latio novo, & veteri, licet alii alitèr ſentiant; Viſitur ibi Turris perantiqua à Romanis Pontificibus extructa, ut tempore tyrannicæ perſecutionis haberent, quo tutò ſe reciperent, uti de Gelaſio Papa II. an.1120. refert Blondus his verbis. In Circeo Monte fuiſſe arcem Circeam omnium,quas Romana Eccleſia ubique haberet, munitiſſimam, quę afflictis Romanę Eccleſię rebus auxilio ſępe fuit. Conſpiciuntur etiam nonnulla veterum ędificiorum veſtigia, quę ſua amplitudine priſtinam loci magnificentiam inſinuant. Circeas oſtreas laudabant. Antiqui, hinc Plin. lib.32. de oſtreis nigra, & carne, & teſta Circeis, & Juvenal. lib.1. ſatyr.4.

Digitized by Google

tyr. 4. propè finem inquit. Circeis nata forent, an Lucrivum ad ſaxum.

INSULA PONTIA.

INſula Pontia, [vulgo l'Iſola di Ponzo] inter Sinoniam, & Palinariam Inſulas ſita objacet Volſco littori, Urbique Terracinę cujus eſt Diœceſis; duæ adſunt ibidem Eccleſiæ, quarum prima dicata eſt nomini S. Trinitatis, altera verò S. Mariæ Virgini de Salvatione; plurima quoque Antiquitatis monumenta, ac veſtigia cernuntur, & modo piſcium captura Urbem Partenopem piſcatores ejuſdem mare multiplici genere retium abradentes ſuſtentant: Olim Celebris fuit propter exilium tot Sanctorum Martyrum, atque Virginum: Hinc apud Martyrologium Romanum die 20. Junii ità legitur. Natalis S. Silverii PP., & Martyris, qui cum Anthimum Epiſcopum hæreticum ab Agapito prędeceſſore ſuo depoſitum reſtituere noluiſſet, agente impia Theodora Auguſta à Bellliſario in exilium pulſus ad Inſulam Pontiam ibidem prò fide Catholica multis ęrumnis confectus defecit. Longum quoque duxerunt exilium apud Inſulam Pontiam Nereus, & Achilleus, necnon S. Domitilla Virgo una cum ſociis; qua de re S. Hieronymus in vita S. Paulæ Viduæ his verbis. Delata eſt Paula cum filia Euſtochio ad Inſulam Pontiam, quam clariſſimæ fœminarum quondam ſub Domitiano Principe prò confeſſione nominis Chriſtiani Flaviæ Domitillæ nobilitavit exilium, videnſque cellulas, in quibus illa longum Martyrium duxerat, ſumptis Fidei alis Hyeroſolimam, & Sancta loca videre cupiebat. Eſt autem Pontia Inſula in mari Tyrrheno ſita à littore, & Urbe Terracina diſſita triginta duobus milliaribus, ſive, ut Strabo loquitur, ducentis, & quinquaginta ſtadiis.

Hæc itaque ſunt loca hodiè ſpectantia ad Terracinen. Diœceſim, quæ antiquitùs amplior erat, continebat enim præter dicta Aſpranum, Treve, & Aquapuzzam. Aſpranum fuit vicus haud procul à Priverno, Treve locus ſuper Setiam, & Aquapuzza ob fœtidas aquas ibidem ſcatentes ità dictum Caſtrum infra Sermonetam, ex quo duo Prçſules prodiere nempè Jacobus Epiſcopus Frequentinus, & Fr. Matthęus Ord. Minor. Epiſcopus Teleſinus, ſed hęc ſatis quoad Diœceſim Terracin.

CAP.

CAP. V.

De controverſiis ſuper jure abſoluto Cathedralitatis Terrac.

HActenùs de locis Terracinen. Epiſcopatui obnoxiis nunc verò operæ eſt, diſceptationes ſuper jure abſoluto Cathedralitatis Terracinenſis annis præteritis à Setinis ſuſcitatas èxaminare, Etenim poſtquam per tot ſæculorum curriculos unicam tantum,& non plures Cathedrales Diœceſana oppida agnoverint, Setini non contenti de tertio loco, quem retinent in dicta Diœceſi anno æræ Chriſtianæ 1702., dum Maria, & montes ſibi pollicentur manibus, pedibuſque omnia ſuſdeque vertentes more ferocium Leonum ad prædam ruentium tanta pręſumptione tumidi eruperunt in bene feriatos Anxurates, ut ea quæ jam diù ſub tranquilla ditione, ac jure abſoluto Terracinenſium fuerant in dubium, litemque revocarint Setiam Concathedralem, Cathedralemque eſſe jactantes. Certè contriſtari nemo non potuit cum lites ortas viderit de jis, in quorum poſſeſſione [poſt homines natos ut ità dicam] Capitulum Eccleſiæ Terracinen.acquieverat, verum tamen, quia lis mota à Setinis malum erat neceſſarium, & permulta ſcitu digna, quæ priùs in ignorantiæ tenebris conſepulta jacuere, adinveniendi fuit occaſio, potiùs gaudendum erit; præſertim cum omnia ad ſummam laudem, & gloriam hujus antiquiſſimæ Urbis ceſſiſſe novimus: Ad tanti turbinis commotionem, antequam detonaret procella, ſemi ſomniculoſi oculos aperuere Privernates, qui poſt Terracinam merito primas in dicta Diœceſi habere contendunt, & conſiderantes imminens ſuæ abjectionis periculum, ſi ex voto cecidiſſet alea Setinorum, ſuarum quoque momenta rationum in medium proferri, atque expendi exigunt, & obtinent, verùm una cum Setinis ejuſdem exempli ſubiere fortunam; nihilominus Pipernenſes mirum in modum gaviſi ſunt de victoria Terracinenſium, quoniam ſuperiores Setinis non vincendo vicerunt, & triumpharunt: Setini autem neque animis,neque ſpe unquam excidentes omnem lapidem movent, & futilibus innixi rationibus certant, &, ut ajunt, adhùc ſub judice lis eſt. Verum enim verò quidquid ab ipſis adducitur, omne inſubſiſtens, & nullius detegitur momenti; ac primo, quod Setia, ſit Civitas, & illius indigenæ [id quod nervosè

voſè defendunt] Civium fruantur appellatione ſatis, ſuperque conſtat apud Terracinenſes præter præſidia auctoritatum petita à forenſibus, apud quos ſervatur in Archivio Communis non parvus ſcripturarum faſciculus continens omnis generis litteras, & inſtrumenta publica locupletiſſimam facientia fidem, Setiam eſſe oppidum, & Terram Latii, non verò Civitatem; hinc in omnibus ferè legitur Judex Terræ Setiæ, Poteſtas Terræ Setiæ, homines Terræ Setiæ, conſilium Terræ Setiæ aut aliud quid ſimile invenies; ſecundo, quod Eccleſia S. Mariæ Setiæ priſcis temporibus habuerit Epiſcopos, nonnullaque illorum nomina aggerentur, à veritate omninò alienum eſſe comperitur, aut enim illos Setini emendicarunt à regione Africæ, ubi extabat Civitas Epiſcopalis Secia, aut eorundem nomina ſubdole extorſerunt ab aliis Urbibus Italiæ. Demum quod Eccleſia Setina unita fuerit æque principalitèr Eccleſię Terracin. prętendunt ex Bulla Honorii III. relata ab Ughel.tom.1. Italię Sacrę in Epiſcopis Terracin., & eſt hujuſmodi.

HONORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Venerabili Fratri Simeoni Terracinen. Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonicè inſtituendis in perpetuum.

HOrtatur nos, & admonet cura ſuſcepti regiminis, ut Fratres, & Coepiſcopos noſtros ſpeciali ſollicitudine confovere, & eis jura, & dignitates ſuas propenſiori modo conſervare curemus, cum ſpeciali noſcatur noſtræ proviſionis commiſſi, ut de ſpecialitate noſtræ protectionis, & gratiæ ſe gaudeant, & pręſidium percipere, & B. Petro, & nobis devotiores valeant omni tempore permanere. Ea propter Venerabilis in Chriſto Frater Epiſcope tuis juſtis poſtulationibus clementèr annuimus, & Terracinenſem Eccleſiam, cui auctore Deo præeſſe dignoſceris ad exemplar felicis memorię Alexandri II., Urbani II., Paſchalis II., Celeſtini II., Alexandri III., Celeſtini III., & Innocentii III. Romanorum Pontif. prædeceſſorum noſtrorum ſub Beati

Iii Pe-

Digitized by Google

Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus; ſtatuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quęcumque bona eadem Eccleſia in præſentiarum juſtè, & canonicè poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione Fidelium, ſeù aliis juſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci firma ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant; in quibus hic propriis duximus exprimenda vocabulis. Caſale in integro quod vacatur Antiſanum cum aquimolo ſuo, & Feruniam cum aquimolis ſuis, & juxtà fundum Cardiculum; Coloniam, quę poſita eſt in . . . . Caſale, quod vocatur Doranſa, Coloniam, quæ vocatur Arſiam, Coloniam, quæ vocatur Corrclianum, Coloniam, quæ vocatur Rozetum, Coloniam, quæ vocatur Roſſiza, Caſale, quod vocatur Caſamartin. Caſale quod eſt poſitum in Silana, Caſale quod vocatur . . . . . à Silvam, quæ vocatur Sigubara, & Lenciſcum, duo Caſalia in Circejo, fundum, qui vocatur Belaza, Caſale quod vocatur Are, fundum, qui vocatur Penſum, fundum Propeſianum, Pratum vineatum juxtà balneum, & Cannetum cum Dracinia uſque in Porta S. Laurentii, fundum Caſaricum, vineam poſitam in Cepollato, vineam ſitam in porta Albina, Coloniam, quę vocatur Plantanianum, Caſale quod vocatur Fruſilianum, ſive Flixum cum aqua de ponte mananti uſque in lacum, Caſale quod vocatur Jubelle in territorio Fundano, Coloniam, quę vocatur Agre, Coloniam, quę vocatur Villamagna, Coloniam, quę vocatur Pabiniana, Coloniam, quę vocatur Opaſena, fundum Flaminianum, Coloniam, quę poſita eſt in Bruzanello, Coloniam, quę poſita eſt in Anculiano, Coloniam juxtà Sanctum Stephanum, Coloniam in Foſſanova territorio Priverni, Caſale quod poſitum eſt in Ciliaria, ſex uncias de Caſale ſito in Antico, Coloniam, quę poſita eſt in Anculea cum Eccleſia B. Creſcentii Chriſti Martyris in Setia, Piſcariam, quę vocatur Altura, piſcariam, quę poſita eſt in Maſſa Flaviana, piſcariam, quę vocatur ad duas fauces, piſcariam, quæ vocatur Arulier, piſcariam in integro, quæ vocatur Bitectula, piſcariam, quæ vocatur Lenciſcum, piſcariam, quæ vocatur Suace, piſcariam, quæ vocatur Struntula, ſeptem uncias piſcariæ in ponte militum, item piſcaria, quæ vocatur Sanguiniana uncias quatuor, ſex uncias de piſcaria, quæ vocatur Paſſinum cum omnibus

nibus ad eam pertinentibus, & piſcariam, quæ vocatur Carſum. Præterea Eccleſiam S. Andreæ,& omnes poſſeſſiones Rutelli cum aquis, & omnibus pertinentiis, & adjacentiis ſuis tibi, & Eccleſiæ tuæ authoritate Apoſtolica confirmamus, de quibus cum coram fęl.recor. Alexandro Papa prædeceſſore noſtro inter Pipernum, & bon.mem. Hugonem quondam Terracinen. Epiſcopum quæſtio mota fuiſſet, viſis, & cognitis publicis, & antiquis Eccleſiæ inſtrumentis, idem prædeceſſor noſter præfatus poſſeſſiones Epiſcopo memorato, & Eccleſiæ adjudicavit, fecitque tam eum, quam Eccleſiam in corporalem poſſeſſionem induci, ſicut in ejus privilegio exindè confecto manifeſtiùs continetur. Sanè ſi quæ poſſeſſiones aliæ cultæ, vel incultæ, molendina, tenimenta, atque piſcariæ, quæ quondam forte particularitèr Eccleſiæ fuerunt, ſi per temporum intervalla ad eandem Eccleſiam jure legitimo pervenerunt, aut juſtis modis in anteà Domino largiente pervenerint eas tibi, eidemque Eccleſiæ manere decernimus futuris temporibus ſemper illibatas. Præterea prædictorum prædeceſſorum noſtrorum veſtigia ſubſequentes Pipernenſem, & Setinam Eccleſias eidem Terracinenſi Eccleſiæ in perpetuum unitas manere decernimus cum omnibus juribus, earum rebus, ac pertinentiis in Eccleſiis, Monaſteriis, Præſidiis, Rocchis, atquè Caſtellis, quæ ſunt Somninum Rocca Sicca, Rocca Augurga, Magentia, Aſpranum, Treve, Sarminetum, Aquapuzza, Baſſianum cum finibus, & adjacentiis ſuis, cunctiſquè illarum Eccleſiarum facultatibus, mobilibus, & immobilibus, de ſeque moventibus ut quidquid de omnibus prædictarum Eccleſiarum, ſeù Monaſteriorum rebus,vel de omnibus ad eas generalitèr pertinentibus canonicè ordinare prævideris tàm tuo, quàm univerſi in prædicto Terracinenſi Epiſcopatu tibi canonicè ſucceſſori, liberam habeatis in perpetuum modis omnibus facultatem.

Decernimus ergo,ut nulli hominum liceat præfatam Terracinenſem Eccleſiam perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeù quibuslibet vexationibus fatigare, ſed omnia integra conſerventur eorum propinquorum gubernatione, & ſubſtentatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura ſalva nimirùm in omnibus Apoſtolicæ Sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica, ſæcularisve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſcientèr contra eam temere

 veni-

venire contempſerit, ſecundò, tertiovè commonita, niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis, generiſque ſuę dignitate reatus, ſed Divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à Sacramento corpore, & ſanguine Dei, & Domini Redemptoris Noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ vultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco jura ſervantibus ſit pax Domini Noſtri Jeſu Chriſti, quatenùs ei hic fructum bonæ actionis percipiat, & apud .... Judicem præmia æternæ pacis inveniat. Amen.

✠ Ego Honorius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.
✠ Ego Cinthius tit.S.Laurentii in Lucina Presb.Card.
✠ Ego Leo tit.S.Crucis in Hieruſalem Presb.Card.
✠ Ego Petrus S.Pudentianæ tit.Paſtoris Presb.Card.
✠ Ego Robertus tit. S.Stephani in Cęlo Monte Presb. Card.
✠ Ego Stephanus Baſilicæ XII.Apoſt.Presb.Card.
✠ Ego Gregorius tit.S.Anaſtaſiæ Presb.Card.
✠ Ego Petrus tit.S.Laurentii in Damaſo Presb.Card.
✠ Ego Thomas tit.S.Bibianę Presb.Card.
✠ Ego Robertus tit.SS.Joannis, & Pauli Presb.Card.
✠ Ego Nicolaus Tuſculanenſis Epiſcopus.
✠ Ego Guido Peneſtrinenſis Epiſcopus.
✠ Ego Hugo Oſtienſis, & Velletrenſis Epiſcopus.
✠ Ego Pelagius Albanenſis Epiſcopus.
✠ Ego Guido S.Nicolai in Carcere Tulliano Diac.Card.
✠ Ego Ottavianus SS.Sergii, & Bacchi Diac.Card.
✠ Ego Gregorius S.Theodori Diac.Card.
✠ Ego Stephanus S.Adriani Diac.Card.
✠ Ego Romanus...... Diac.Card.
✠ Ego Raynerius S.Mariæ in Coſmedin Diac.Card.
✠ Ego Alebrandinus S.Euſtachii Diac.Card.

Datum Laterani per manum Raynerii Prioris S.Fridiani Lucani Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarii 15. Kal. Februarii indict.5. Incarnationis Dominicæ anno 1217., Pontificatus verò Dñi Honorii anno primo.

Verumenimverò apud emunctæ naris homines tantùm abeſt, ut dicta Bulla qualitatem Cathedralitatis Terræ Setinæ præſeferat, ut illam potiùs, & urgentèr excludat, ſicut cuilibet æquo animo eam perpendenti notiſſimum fiet; ne autem longiùs progre-

grediar in detegendo Setinorum præſumptę opiniones, ecce tibi candide Lector favore Terracinen. Eccleſiæ infraſcripta Deciſio, quæ æmanavit à Sacra Romana Rota anno æræ Chriſtianæ 1702. Vide, lege, relege, conſidera, & memoriæ manda, ex ea enim facti medullam exprimere potes.

CAP. VI.

Reverendiſſimo P. D.

MOLINES DECANO.

Terracinen. Cathedralitatis.

Ven. 23. Junii 1702.

1. PRætenſionem, quàm ab antiquo tempore Capitulum, & Clerus Setini alta mente repoſtam tenebant, eorum ſcilicèt Eccleſiam Sanctæ Mariæ eſſe Cathedralem cumulativè Terracinenſi unitam, quamve anno 1608. occaſione litis exortæ ſuper præcedentia inter idem Capitulum, alterumque Civitatis Priverni ad hujus favorem à Sac. Rituum Congregatione reſolutæ incidenter expoſuerant, opportunior, latiorque anno mox elapſo 1701. ſe ſe aperuit Campus, principaliter in Judicium deducendi, de ſuiſque viribus formitèr diſputandi: Deſtinante quippè Terracinenſi Epiſcopo conſecrationem Olei Sancti feria quinta in Cœna Domini anni præmemorati in dicta Eccleſia Setina conficere, Capitulum Terracinenſe, & Collegiata Priverni monitorium ab A.C. Aldrovando reportarunt ſuper manutentione in quaſi poſſeſſione illam faciendi in Eccleſia Cathedrali Terracinę, atque ſuper obſervantia generalium decretorum Sac. Rituum Congregationis pręſcribentium actum hujuſmodi fore in Eccleſiis Cathedralibus obeundum, quo tamen non obſtante ſub antedicto pretextu, quod Eccleſia Setina jure Cathedralitatis frueretur, quodque proindè Epiſcopi anteceſſores non ſemel in illa Sac. Oleum conſecraſſent, Epiſcopus illùc, prout ſtatuerat, d. conſecrationem explevit, qua de cauſa acerrima habita fuit in Signatura Juſtitię diſputatio ſuper attentatorum purgatione diverſimodè in primis propoſitionibus reſoluta: In poſtrema tamen agnito, articulum attentatorum totalitèr pendere à negocio principa-

cipali, ideſt ab inſpectione, an Eccleſia Setina Cathedralis quoque exiſteret Terracinenſi cumulativè unita, reſcripſit Signatura = *Ad A.C. Aldrovandum*, *reſervatis attentatis in fine litis* = qui ſubindè ob ſuperventam ſpecialem Sanctiſſimi commiſſionem, vt circà punctum Cathedralitatis procederet de voto noſtri Auditorii; cauſam in poſſeſſorio Judicio tantùm cognoſcens, decrevit fauore Capituli Terracinenſis manutentionem in quaſi poſſeſſione peragendi Sanctum Chriſma in Cathedrali Terracinæ.

2. Proſequutaque Cauſa ſuper negocio principali in hoc SacroTribunali,diſputandum hodiè ad formam commiſſionis expoſui dubium, *An conſtaret de Cathedralitate Eccleſiæ Setinæ*, quod Domini poſt plenam maturamque doctarum, ac elegantium diſſertationum hinc indè exhibitarum diſcuſſionem, negativè reſolverunt ex duabus potiſſimè moti rationibus, alia deſumpta ex quo uſquè adhùc legitimè doctum non fuit, Eccleſiam Setinam vllo tempore Cathedralem extitiſſe: Altera in eo conſtituta, quod ubi ex ſuppoſitione Cathedralis unquam fuiſſet, tale jus in vim ſubjectivæ unionis Eccleſiæ Setinæ cum Terracinenſi in Conſtitutione Honorii III. relatæ, confirmatæ, atque à ſubſecuta obſervantia comprobatæ, ſuppreſſum, & extinctum remanſerit.

3. Primum aſſumptum, quod attinet abſolutiſſimi Juris eſſe præmittebant Domini, erectionem Eccleſiarum Cathedralium Beato Petro, ejuſque ſucceſſoribus Pontificibus eſſe reſervatam, ad *Text.in cap.1.de translat.Epiſcop.cap.1.ne Sede vacante*, *cap. quod translationem de offic.legat.*,*cap.felix*, *& cap.præcimus juncto* §.*Sicut 16.quæſt.1.extravag.1.Joannis XXIII.*, *quæ incipit Sedis Apoſtolicæ*, ubi *Gloſs.verb.duximus dividendas*, & late ex his,aliiſque tradit *Monet.de commut.ultim.volunt.cap.11.n.278.*, *Solorzan.de Jur.Indiar. lib.4. cap.4.in principio*, & uberiùs excuſsa probat *Franceſ.de Eccleſ.Cathedr. cap.30.num.1.& per tot.* Et quamvis plura Hiſtoriarum monumenta perhibeant, nonnullas Eccleſias Cathedrales inſtitutas fuiſſe ab Apoſtolis,eſt tamen communis, & recepta Canoniſtarum omnium traditio, illos proceſſiſſe ex mandato, juſſu, permiſſione, ac Beati Petri, & ſucceſſorum auctoritate, ut ait *Gloſs.in cap.ſi quis neſciat in verb.Apoſtolos 11.diſtin.*,& ſequuntur ibidem *Archidiacon.num.2.*, *Turrecremata num.1.*, *Geminian.num.7.*, & plenè *Gaſpar Sanctius de*

præ-

prædicat.S. Jacobi in Hiſpan.tract.3.cap.1.per tot., & benè *Rota in Cæſarauguſtana Cathredralitatis impreſs.in par.5.rec.dec.353. num.34.*

4. Qua de re Eccleſiæ contendentes prærogativam Cathedralitatis prò ſuæ intentionis juſtificatione, operæ pretium eſt, ut doceant de legitima fundatione procedente à Sedis Apoſtolicæ conceſſione, ſi non expreſsè per exhibitionem documentorum originariæ erectionis, quæ plerumque ob temporis injuriam, dominiorum mutationes, aliaſque calamitates, quibus publica, privataque ſubjacent Archivia conſumuntur, pereunt, ac diſperduntur, ſaltèm præſumptivè per conjecturationes, argumenta, veſtigia, & ſigna, non quidem generaliæ, & æquivoca, ſed ſpecialia, & univoca, quævè Eccleſiis ſinè Jure Cathedralitatis convenire nequeant, itaut ſimul ſumpta ſuadeant pervetuſtum, & præſcriptum ſtatum Cathedraticum, atque in conſequentiam præſumptionem inducant illius originariæ fundationis ex deductis per *Alexandrum conſ.74.& 75.lib.4.Fagnan.in cap.cum certum in fine de majorit.,& obed.,Franceſ.var.reſol.cap.39.num.178.,& ſeqq., & n.238.,Rot.deciſ.* 492. *n.* 3. *coràm ſa. me. Gregor. XV. num.3.,& coram Bich.dec.280.num.27.,& deciſ.400.n.24.*, & latiùs *dec.353.num.72.,& 82.cum ſeqq.par.5.rec.*

5. Neutro autem probationis genere ſuffultus in arenam deſcendit Clerus Setinus, non quidem expreſſa Cathedralitatis erectione, cum nullum exhibitum fuerit diploma Pontificium, Eccleſiam Setinam controverſo Jure, & titulo condecorans: Nec minùs præſumptiva dilucidis argumentis, & ſignis oſtenſa; lato namque calamo ad illam evincendam deducta ſummatìm, & primario perſtringuntur ad tria, quod ſcilicèt antiquitùs Eccleſia Setina habuerit Epiſcopos, quod Papa Honorius III in præmemorata Bulla confirmatoria d.unionis illam Cathedralem ſuppoſuerit: & demùm, quod omni tempore retinuerit ſigna aliis Cathedralibus communia: quæ omnia vel viſa fuerunt penitùs inſubſiſtentia, vel aſſumptum clarè, & perſpicuè, ut oportet, nullatenùs concludentia.

6. Et quidem inſubſiſtens detectum fuit primum, quod Eccleſiæ Setinæ aliquo tempore datus fuerit Epiſcopus, quoniam ſubſcriptiones in Conciliis relatæ in diſſertatione Setinorum ſub *cap.15.* vero excuſſo; non ſunt Epiſcoporum Eccleſiæ Setinæ in

La-

Latio, ſed aliarum longè diverſarum Civitatum; Et incipiendo ab illa Candidi Epiſcopi Siccenſis apertè deceptus fuit Aubertus Mirreus in notis manuſcriptis in dicta diſſertatione allegatus, opinando, illum fuiſſe Epiſcopum Setiæ, quoniam re vera Antiſtes hic præfuit Eccleſiæ Siccæ, quæ eſt Urbs, & Colonia Africæ, ut notat *Michael Antonius Baudran.in Geograph. verb. Sicca*, ubi quod hujus Populi Siccenſes nuncupantur: Neque hic Epiſcopus interfuit Concilio Romano celebrato ſub Sancto Martino anno *649.*, ut Mirreus credidit, ſed ſubſcripſit Epiſtolæ Synodicæ Patrum Provinciæ Carthaginenſis (cui Catthedra Siccenſis ſubiiciebatur, ut ſubdit Baudran) ad Paulum Conſtantinopolitanum tranſmiſſę,quę in dicto Concilio Romano lecta fuit: Minuſquè ſubſcripſit poſt Epiſcopum Terracinę Latii in eodem Concilio verè intereſſentem,ſed poſt Epiſcopum Tauracinę alterius Africę Civitatis, ut prçclarè deprehenditur *ex tom.6. Conciliorum collect. à Patre Labey, ubi in pag.* 137. regiſtratur epiſtola prçfata ad Paulum Conſtantinopolit., & in *pag.*148. tranſcribuntur nomina Epiſcoporum Aphricę, inter quos recenſentur Clariſſimus Tauracinę Epiſcopus, & Candidus Siccenſis, atque in *pag.79.*, *& 362.* deſcribuntur nomina Italorum, & prçter Felicem Terracinenſem nemo alius ſub Siccenſis, aut Secenſis nomine deſcriptus reperitur, ſignum demonſtrativum, quod nullus Epiſcopus Setię interfuerit; nàm alias Siccenſis inter Italos, & non inter Aphricanos deſcriptus fuiſſet; Et ubi ille Tauracinę fuiſſet Epiſcopus Terracinę Italię,inter Italos, & non inter Afros dinumeratus legeretur; Nec minùs Epiſcopus Terracinenſis citrà ullam corruptionem nominis inter Italos recenſitus cerneretur, ut patet ad ſenſum; Comprobaturque ad evidentiam uſque veritas hęc ex traditis per Eminentiſſimũ Cardinalem Noriſium *in animadverſ.ad Garnerium, P.Lupum de appellat. cap. 26.*, *& ſeqq.*,& ex Synodo apud *Leonem Allatium de octava Synodo Photiana cap. 12.fol.262.* qui Eccleſiam Siccenſem, ſeù Secenſem ponunt in Africa, eamque celebrem ajunt ob controverſiam inter Urbanum Epiſcopum, & Apiarium: & in ſpecie, quod Candidus non fuerit Italię, ſed Africanę Eccleſię Paſtor, & Patres Provincię prçfatę dictę Synodo Romanę non ſubſcripſerint, teſtantur *P. Ruinart.in Hiſtor. Perſecution.Vandalor.fol.167.verſicul. Siccenſem in fine, Carolus à S. Paulo in Geograph.Sacr.in*

notit.

notit. antiquar. Eccleſ. Aphricæ verbo Sicca, Balutius in Geſtis collat. Carthagin. impreſs. tomo primo nov. collat. Concil. fol. 222. *& fol.* 243.

8. Conſimile æquivocum animadverſum fuit quoad ſubſcriptionem Joannis Epiſcopi *Seminorum* emiſſam in Commonitorio edito in Cauſa Photii, quam Setini vertunt in Setinorum Epiſcopum: quoniam licet in *tom. 9. Conciliorum pag. 363.* Joannes vocetur Epiſcopus Seminorum, nihilominùs in exemplari Greco apparet, eumdem ſe Signinorum Epiſcopum vocaſſe; Undè palam eſt, illum verè fuiſſe Epiſcopum Signiæ alterius Civitatis Volſcorum in Latio, & non Setię: Cumque tale quid maxima ingenuitate faſſi fuerint in eorum reſponſionibus defenſores Setini, ſuperfluum eſt alia deſuper in comprobationem hujus agnitę veritatis retexere.

9. Nec majorem obtinent ſubſiſtentiam geminatæ inductiones ſuſſumptę ex hiſtoria Gulielmi Malesburienſis tranſcripta in *tom. 10. Conciliorum pag. 771.* juxtà Labei editionem, ubi habetur Sermo de Concilio Lateranenſi ſub Paſchali II., & ſignantèr ex illis verbis ibi = *Sivuinus, & Joannes Tuſculanus cum eſſent Romę illa die Concilio non interfuerunt, qui poſteà lecta damnatione Privilegii conſenſerunt, & laudaverunt*: Minùs rectè ſiquidem Setiæ Defenſores immutant Sivuinum in Sitinum, & poſteà faciunt aliud ſubſumptum, quod iſte Sivuinus numeraretur inter illos centum Epiſcopos, qui Concilio non ſubſcripſerunt; enim verò, omiſſis aliis, in margine ejuſdem hiſtoriæ legitur alia adnotatio Binii, & Labei, ibi -- *Al. Bruno Signinus, & Joannes Tuſculanus* -- quæ ſanè lectio probabilior, veriorque videtur: Tùm quia cum Gulielmus referat Sivuinum Epiſcopum poſteà conſenſiſſe, & laudaſſe, veriſimiliùs eſt, intellexiſſe de Signino, qui verè interfuit, conſenſit, & ſubſcripſit, quàm de Sitino, quem non liquet interfuiſſe, conſenſiſſe, & laudaſſe: Tum quia eo ipſo, quod illa marginalis nota approbata fuit à Binio, & à Labeo Viris in harum materiarum cognitione eximiis ſperni, & reiici nequit, niſi ipſius inſubſiſtentia argumentis undique prævalidis, & concludentibus evincatur, ut in ſpecie, loquendo de notis Binii ponderavit *Rota in Calaritana Primatus coram Ghislerio dec. 92. par. 8. rec. num. 13.*

10. Minuſque ullum ſtabile probationis genus conſurgit ex

 vita

vita Beati Lidani conſcripta, ut contendebatur, à Dionyſio Epiſcopo Setino, & in qua de Palladio, & Druſino Epiſcopis quoque Setinis fit mentio: Adversùs quippè hanc legendam plura obiiciebant Terracinenſes,& primò,quod exemplar tranſcriptum in Setinorum diſſertatione *fol.* 55., *& ſeqq.* ſit diverſum ab eo, qui antiquitùs ſervabatur in Archivio Eccleſiæ Setinæ, non ſolùm quia inter ſe diſcordant in principio, ſed etiam quia compertum eſt primum exaratum recenter fuiſſe à P. Cajetano Societatis Jeſu in ejus opere Vitæ Sanctorum Siculorum *pag.* 135. proùt ipſemet inquit *in animadverſ. poſt tom.2.fol.* 47., & præſcindendo ab hoc irrefragabili Teſtimonio ipſe ſtylus ſcribendi non impurus manifeſtè hanc pandit veritatem, cum neminem lateat, quod circà ſeculum undecimum ſtylo longè diverſo, & barbariem redolente ſcribebatur, ſecundò obiiciebant Cardinalem Baronium *Annal.tom.*12. *anno* 1118. referre, Auctorem d. Vitæ fuiſſe Dionyſium Monachum Caſſinenſem, ibi -- *Scripſit res ab eo geſtas Dionyſius Monachus Caſſinenſis, ſed eas mendis obſitas legiſſe nobis contigit* -- ex quibus verbis palam elicitur, Eminum Scriptorem habuiſſe præ manibus d.exemplar antiquum, ac proindè cum litteris ſcriptum reliquerit, ejus Auctorem fuiſſe Monachum, & non etiam Epiſcopum Setinum, unum de duobus fatendum eſt, vel quod in illo exemplari, quod viderat, talis titulus non extaret,aut quod illum ſuſpectum in hac parte exiſtimaſſet, cum veriſimile non ſit, caſu, vel incuria reticuiſſe nobiliorem d. Auctoris dignitatem, quæ cæteroquin majorem Hiſtoriæ fidem exhibebat: Atque ideò juremeritò P. Cajetanus in hac re dubius nihil certi ſtatuit: Tertiò obiiciebant, determinatum non eſſe, quo tempore ipſe Dionyſius; ſiuè Monachus, ſivè Epiſcopus vixerit, dictamque legendam exaraverit, in antiquo exemplari habebatur annus 1088., quo tempore B. Lidanus nondum defunctus erat, diſſertatio Setinorum *pag.* 14. refert ad annum 1140. circitèr, & in Setino Codice manu exarato dicitur, vitam ſcriptam anno 1375.,ut latiùs ratiocinatur P. Cajetanus *d.fol.*47. Et ultimò demùm loco animadvertendum propoſuerunt prælaudatum Cardinalem Baronium præfatam antiquam legendam erroribus,& mendis refertam comperiiſſe, neque ab eo in omnibus diſſentitur in hac parte Cajetanus, tametſi pleraque ad concordiam reducere ſtuduiſſet.

Hiſce

11. Hiſce attentis animadverſionibus, & ſignanter petitis ex Annalibus Eminentiſſimi Baronii primi, & quidem maximi Eccleſiaſticæ Hiſtoriȩ Parentis, Domini tutò figere non poſſe pedem crediderunt ſuper enunciativis in excuſſa Beati Lidani legenda contentis: & ſi namque fides Hiſtoricorum magni facienda eſt in antiquis, obſcuriſque rebus, & magni fecit *Rota in dicta celebri Cæſarauguſtana Cathedralitatis ad præciſum effectum*, de quo eſt ſermo, illis tamen deferendum eſt, qui, uti probatæ fidei, ab omnibus eruditis recipiuntur, quique formitèr, & non curſim per ſimplices enunciativas de aliquo controverſo facto teſtantur, habentque ſermonem, vt notat *Doctiſſimus Melchior Canus lib.* 11. *de locis Theologal. cap.* 3., & ex noſtris *Zaſius conſil.* 16. *num.* 40., *Pariſ. conſ.* 23. *num.* 253., *Soccin. Jun. conſil.* 132. *num.* 11. *vol.* 3., *Menoch. conſil.* 112. *num.* 71., *Gabr. Parexa de univerſ. Inſtr. edit. tit.* 1. *reſol.* 2. §. 5. *num.* 56. *Rota cor. Arguell. deciſ.* 17. *n.* 20., *& plur. ſeqq.*, & ſanè *Rot. in præmemorata Cæſarauguſtana* detulit Hiſtoricis probatiſſimæ fidei, qui non per enunciativas incidenter prolatas Epiſcopos nominarunt, ſed de re quæſita directè teſtabantur, ut videre eſt *in dec.* 353. *per totam*, & ſignantèr *n.* 21., *& ſeqq. par.* 5. *rec.*, ubi ſuprà triginta Hiſtoricos ex celebrioribus Hiſpaniarum enumerat.

12. Atque hinc etiam nullam promeruit reflexionem quædam Scriptura conſecrationis Criptarum Cathedralis Reatinæ ſequutæ, ut dicebatur, anno 1112., in qua traditur, inter quinque Epiſcopos illas conſecrantes, adfuiſſe Alexandrum Epiſcopum Setinum: quoniam ex pluribus hanc Hiſtoriolam ſuſpectam eſſe probavit ſcribens in facto prò Terracinenſibus. Penituſque in hanc rem omitti potuiſſe cenſuerunt Domini argumentum deſumptum ex Chronico Foſſæ novæ poſt *Ughell. Ital. Sac. tom* 1. *fol.* 470. *ad annum.* 1178., in quo narratur, quod quidam Landus Setinus fuerit Pſeudopontifex electus, ſivè quià hanc quoque Hiſtoriam apocripham eſſe dicit, & probat *Felix Contilorius in animadverſione ad Fortunat. Ulmilibell. de concordia inter Alex. III., & Federicum Imperatorem fol.* 22., ſivè quià non eſt bona conſequentia: Landus Setinus fuit Pſeudopapa electus, ergò Landus fuit Epiſcopus Setiæ, cum dicta denominatio Setini connotare potuerit originem, ſeù Patriam Pſeudopontificis, & non titulum Epiſcopatus; In cujus rei comprobationem punctualiſſi-

mum eſt exemplum excerptum ab Indice Romanorum Pontificum regiſtrato in principio Bullarii Romani, in quo legitur *Lando Sabinus*; qui origine, & non Epiſcopus fuit Sabinus, vt ſcripſit *Barouius ad annum 912.n.1.*, ſivè demùm quia ipſum Chronicon, de quo res eſt, manifeſtè nobis indigitat, Landum non fuiſſe, nec Setiæ, nec alterius Eccleſiæ Epiſcopum, dum inquit, quod fuerit electus Papa tertio Kalendas Octobris, & ab ipſis Schiſmaticis eligentibus quarto Idus Maii conſecratus; qui enim antè Pontificatum erant conſecrati Epiſcopi, iterata non egent conſecratione, ſolumve ji conſecrantur, qui ante electionem non erant Epiſcopi, de qua re duplex ſuppetit exemplum gemini Papæ Clementis, primum ſequutum circà finem ſæculi decimi quinti in ſan. mem. Clemente VIII., ut refert *Ciacconius in ejus vita Couſecratio*, & alterum in Sanctiſſimo Dño Noſtro Clemente XI. mirabilitèr in hiſce calamitoſis Reipublicæ temporibus Petri Cathedram regente.

13. Quibus rationibus peculiaritèr, & ex radice convellentibus primum fundamentum Cathedralitatis ſubnixum aſſertæ Epiſcoporum Setinorum exiſtentiæ alteram addebant Domini, generalem equidèm, ſed vivam, & efficacem, animadvertendo videlicèt, & tot adductis ſubſcriptionibus, & enunciativis Epiſcoporum, quæ adſcribuntur Setiæ nullam litteris quadratis exprimere nomen incorruptum Epiſcopi Setini, vel Setiæ (poſthabitis aliquibus apocriphis, vel admodùm ſuſpectis) omnes enim exprimunt Epiſcopum Siccenſem, Siminum, Sininum, Sivuinum &c., adeoùt ad eas trahendas, & applicandas Setinis neceſſe ſit duas, vel tres litteras immutare, res alioquin valdè periculoſa in hac materia, cum ita facili ratione de una in aliam Provinciam poſſent Epiſcopi transferri, præſertim ex Aphrica, in qua plures olim aderant Epiſcopales Urbes, aut ejuſdem nominis, aut valdè ſimilis cum pluribus Italiæ Oppidis, ut in ſpecie ponderavit *Ruinart. in Hiſtor. perſecut. Vandalor. in notis fol.* 216.; Eſtque de Jure, vt quælibet nedùm certa, & clara, ut hic, ſed etiam poſſibilis in nomine æquivocatio probationem elidat, ut probant *Dec.conſ.*13.*n.*8., *& conſ.*36.*n.*4., *Cyriac.contr.*281.*n.*26., *Rota cor. Mantica dec.*88.*n.*2., *& poſt Vivian.de Jurepatr.dec.*74.*n.*2., *& ſeqq.*, *& dec.*389.*n.*7., *&* 8.*par.*13.

14. Et quamvis in Hiſtoriis novæ non ſint corruptiones nomi-

minum præcipuè Locorum, & Civitatum, in tales tamen errores incidunt, ut plurimum exteri Scriptores, quotiès alienæ Provinciæ, vel Civitatis Ephimerides, & Annalia concinant, non ità tamen facilitèr in eoſdem labuntur Comprovinciales, ſeù Cives ſcribentes res geſtas in eadem Provincia; Undè quomodo affirmari poteſt, quod in tot Conciliis Romanis, quorum acta veriſimilitèr exararunt Itali, Epiſcoporum Italorum nomina corrupto ſermone tranſcripta fuerint? & quomodò credi poteſt, ut in hoſce errores lapſus ſemper evenerit prò ſola Sitina Civitate? Conciliorum Romanorum multiplex eſt numerus, ut ex opere Labbei dignoſcitur, & majoris partis meminit Ughellius, in quibus omnibus apparent ſemper ſubſcripti alii Epiſcopi Comprovinciales Setiæ, ut ſunt Anagninus, Alatrinns, Verulanus, Terracinenſis, Præneſtinus, Ferentinus citrà ullam nominis corruptionem; Prorsùs inveriſimile properea redditur, ut ſemper corruptè Epiſcopi Setiæ fuerint nominati, atque longè inveriſimilius eſt, ut in tanta Conciliorum copia, in uno, vel duobus tantum Epiſcopi Setiæ ſe ſubſcripſerint *l.errore Cod. de Teſtib. l. ſi poſt diviſionem Cod.de jur., & fact.ignor., Alciat.de præſumpt. reg.3. præſumpt.*21. *num.*1., & optimè *Rota deciſ.*23. *num.*5., & 6. *par.*10. *Recent.*

15. Everſo hoc primo fundamento probationis per Setinos ſuſceptæ faciliùs ſubvertitur ſecundum fundatum in Bulla Honorii III.; Nàm cum probatum non ſit Setiæ ullo unquam tempore datum fuiſſe Epiſcopum, improbabile itidem ſit, mox dictum Pontificem ſupponere potuiſſe Eccleſiam Sanctæ Marię Setiæ Cathedralem; Cathedralitas enim non poteſt præſupponi, niſi præſuppoſito quoque Epiſcopo, quemadmodum Sponſa nequit. Stare, & præſupponi ſine Sponſo, ob ſimile ſpirituale Conjugium intercedens inter Eccleſiam, & Epiſcopum, propter quod Epiſcopus Annulum defert, & tenetur reſidere cum Sponſa *cap.Clerici de vit.,& honeſtat. Clericor., Franceſ.de Eccleſ.Cathedr.cap.*2.*n.*140., & in ſpecie, quod nequeat præſupponi Eccleſia Cathedralis ſine Epiſcopo *ex cap. Inter corporalia de transl. Prælat.*, tradunt ibi *Imol.,& Anania n.*10. *Oſtien. in Summar. eodem tit.num.*5., *Caſſan.in Cathalog.Glor.Mundi par.*4. *conſid.*31. *verſic.Nono Capitulum, Azzor.Inſtit.Moral.*2.*part.lib.*2.*cap.*30. *par.*2., *Card.de Luca de Præbem.diſc.*3. *num.*7., *Rota dec.*1867.

*n.*25.

n.25.cor.Coccin., *& in dec.363.n.29.par.5. rec.*,*& dec.404. n.33. par.19.recent.*

16. Ideoque parum urget, quod Honorius univerit Terracinenſi Setinam Eccleſiam cujus appellatione ex ſtylo Curiæ venit Cathedralis,ex firmatis per *Rot.in Cæſaraugustana Cathedralitatis d.dec.353.n.61.*, *& 62.par.5.rec.*; Quippè quia ex eadem Curiæ praxi ſub nuncupatione Eccleſiæ in genere comprehenditur etiam Eccleſia Matrix, & ſi non ſit Cathedralis, ad *Text.in cap.Cum adeò de reſcript.cap.Cauſa Carpenſis de verbor.ſignific.*, *Zabarell.in cap.cum adeò in 2.Notabili,& Imolæ n.2.de reſcript.*, *Franceſ.in cap.Quamvis il* 4. *§.Quamquam n.7.*, & ibidem *Ioan. Andr.n.3.in fine*, *P.Paſſerin.n.26. de præben. in 6.*, *Selva de Benef.par.13.quæſt.11.n.129.*, *Mandoſ.in addit.ad Lap.allegat.16. verb.nomen verſ.Secundò fallit*, *Geminian.in cap.Præſentium n.3. de Teſtib.in 6.*, & optimum ſuppetit exemplum Decretalis editæ ſub eodem Honorio relatæ per extenſum à *Gonzal. Tellez.in cap. Te referente de celebrat. Miſſar.*, in qua abſque ulla Sancti expreſſione nominatur Eccleſia Garganica, & Eccleſia Sypontina, & tamen hanc ſolum fuiſſe, & eſſe Cathedralem, & non Garganicam,deciditur in dicto Textu,& poſteà reſpondit formiter *Rota deciſ.587.per tot.coram Cerro*,& tradit *Card. de Luca in Miſcell. diſc.26. nu.3.*, *& 4.*

17. Nec ſanè *Rota in d. deciſ. Cæſaraugustana* affert hoc argumentum ſimplicis denominationis Eccleſiæ, tanquàm concludens, ſed adminiculativè ad alias potentiores probationes; Famigerata enim eſt propoſitio, ut adminiculum deſumatur etiam ex actibus æquivocis, & plures patientibus intelligentias,ex traditis per *Rot.dec.313.n.2.*, *& 7.coram Card.Cerro*, *& in Firmana Iuriſdict.15.Aprilis* 1701.*§.19.cor.Me*; In præſenti autem, ubi deficit ſubſiſtentia alicujus principalis, & fundamentalis probationis Cathedralitatis, nec iſtud, neque alia inferiùs excutienda adminicula ad intentum proficere poſſunt,ut benè reſpondit *Rota dec.152.n.18.*, *& dec.633.cor.Bich.*,aliiſque citatis dictis *in d. Firmana Iuriſd.§.20.cor.Me.*

18. Ut proindè nihil prorsùs urgeat, quod in eadem Bulla Honorii Eccleſia Terracinenſis nuncupetur quoque ſimplicitèr ſine alio adjuncto adinſtar Setinæ,quia ubi Terracinenſes nullum alterum obtinerent præſidium ad evincendum, eorum Civitatem

eſſe

eſſe Epiſcopalem, & Eccleſiam S.Mariæ Cathedralem, quam hujuſcemodi ſimplicem enunciativam, fragili certè tabulæ ſuas ſpes committerent. Cæterùm licet Honorius denominando Eccleſiam Terracinenſem, eam non qualificaverit Cathedralem ad diſtinctionem Setinæ, apertam tamen fecit contradiſtinctionem in corpore Bullæ, pluriès enunciando illius Epiſcopum, & Epiſcopatum, ubi è contra nulla Epiſcopi, & Epiſcopatus Setini facta deprehenditur commemoratio, qua ſtante contradiſtinctione, argumentum à ſimili prorsùs evaneſcit, *DD.in cap.Translato extrà de conſtitut.Everard.loco à ſimili ſub n.*11.*in fine*, *Sperell.decif.* 8.*num.*12.*cum ſeqq.*

19. Proùt nec ulla ſolida conjectura Cathedralitatis erui poteſt, ex quo in eadem Bulla Honorii deſignantur nonnulla Caſtra ſubjecta Setiæ, & ejus Eccleſiæ; Enim verò ſtare ſimul poteſt, quod Eccleſia Matrix, ſeù Collegialis habeat ſubjectas, & filiales plures alias Eccleſias ſitas in Caſtris circumadjacentibus, abſque eo quod gaudeat Dignitate Cathedralitatis, & de hac re in quacumque Urbis parte familiaria, & omnibus nota ſunt exempla, & tradit in ſpecie *gloſs. in Clement. prima de Sentent. excomm.*, ubi *Alboy num.* 3. *Rebuff. de Decimis quæſt.*6. *num.* 23., cum aliis *in deciſ.*372. *num.*3. *&* 4. *par.*1. *Recent.*

20. Expediti à primo, & ſecundo medio, quibus Setini Cathedralitatem probare contendebant, examinandum ſupereſt tertium petitum ex aliis ſignis generalibus Cathedralitatis; Et quoniàm major illorum pars verſatur circa plures actus geſtos poſt dictam Bullam Honorii, opportunius duximus de ſingulis inferiùs habere rationem, quod exponetur ſecundum Rotæ fundamentum ſuppreſſæ Cathedralitatis, quatenùs ea vnquàm extitiſſet, ſolumque hoc loci placet reſpondere ad illas generales conjecturationes ex eo deſumptas, quod Setia ſit Civitas, & quidem nobilis, pleriſque Regum, Pontificum, ipſorumque Conciliorum generalium ditata privilegiis, ac perhonorificis titulis, quodque ab ea prodierint Perilluſtres Familiæ, & ejuſdem generis plura alia, in quibus tota propemodum eſt Setinorum diſſertatio; Hiſce enim omnibus unica, eadem brevis occurrit renſponſio, quod tales prærogativæ ſuadent, & concludunt, Setiam eſſe locum nobilem, & antiquis temporibus nobiliorem, & ab exteris, pro-

priiſque

priiſque Principibus in peculiari habitam exiſtimatione, ſed non evincunt, Civitatem eſſe Epiſcopalem, illiuſque Eccleſiam ullo tempore fuiſſe Cathedralem; Plures enim ſunt Civitates, quæ Epiſcopos nunquam habuerunt, nec habent etiam in Italia, ut de Civitate Nova in Piceno teſtatur *Centoflor.apud Barboſ.in Can.in illis diſtinct.*8.,& de Civitate S. Germani *Rota dec.196. num.12. & ſeqq.par.19.*,& de aliis nobilibus Civitatibus Alemanniæ,Cathaloniæ, & Aragoniæ Epiſcopatu carentibus teſtantur allati per *Franceſ.de Eccleſ.Cathedral. cap.4. n.*38., & generalitèr tradunt *Raynald. Corſi indagat. Jur. lib. 3. cap. 3. per tot. inter tractat. Magn.tom.1. Zaz.conſ.28.n.103., & pluribus ſeqq., Card.Tuſc. litt.C.concl.280.n.15.& ſeqq.,Pax Iordan.lucubr.vol.1.præ lud.9. n.6.,& ſeqq.par.4.,Barboſ.de offic.,& poteſt.Epiſc. par.1.tit.1.capit.7.n.16.,Fagnan.in cap.1.n.1., & ſeqq.de privil., Lotter. de re beneſ.lib.1.quæſt.9.n.*58.; Addito prætereà, quod tametſi Setia pluriès ſuſpiciatur nuncupata Civitas, multiplici etiam vice legitur denominata Terra, ut conſtat ex dicta diſſertatione Setinorum *fol.49.& 67.ſeqq.*;Nec ſanè talis denominatio,& vera eſſentia Terræ eam expoliat prærogativa, & qualitate loci nobilis, cum etiam plura Oppida deſtituta Civitatis prærogativa ſint nobilia generoſamque faciant nobilitatem, quam exigunt ſtatuta Ordinum Equeſtrium,nonniſi veros nobiles admittentium per ea, quæ tradunt *Vaſqu.contr.Illuſtres lib.1.cap.11.n.25.verſ.Quod, de Marin.lib.2.reſol.cap.146.num.5., Tiraquell.de nobilit. cap.2. n.54.,Card.de Luca de præben. diſc.32.n.10.,& 14., Rot.cor.Celſ. dec.266.n.4.,& par.16.dec.229.n.5., & 6.*; Stante autem prædicta variatione denominationum ſtatui nequit in dicta conjectura ullum ſolidum fundamentum,*Grat.diſcept.893.nu.26., Rota dec. 404.n.58.par.19.rec.*

21. probato, quod Eccleſia Setina nullo tempore fuerit Epiſcopalis ſuperfluum eſt indagare, an ex Bulla Honorii III. reſultet., eam fuiſſe cumulativè, vel ſubjectivè unitam Eccleſiæ Terracinenſi; Cum enim non doceatur de principio Cathedralitatis allegare unionem cumulativam ad ſuadendam illius perpetuam durationem, eſt prætendere continuationem, non docto de præcedenti principio, quod implicat contradictionem.,*Franceſ.var. reſol.d.cap.39.n.174.cum ſeqq.*, *Rota cor.Bich.dec.665.n.2., cor. Cerro dec.587.n.15.,& dec.642.in fine*;Nihilominùs ex abundanti,

ti, ultrà procedentes DD.re excuſſa convenerunt in ſenſu dictam unionem fuiſſe ſubjectivam, adeoùt quando etiam ex ſuppoſitione Eccleſia Setiæ de illo tempore eſſet Cathedralis, vigore talis unionis dictum Jus Cathedralitatis extinctum, ac ſuppreſſum remanſerit, juxtà proprietatem, & naturam unionis ſubjectivæ, de qua *in cap.Cum ad Monaſterium* §. *Talis de Stat. Monachor.*, *& in Clement. unic.* §.*Præmiſs.de ſupplen. neglig.Prælat. Murga de benef.quæſt.*2.*n.*337.,*Card.de Luc. de Parochis diſc.*12. *n.*14.,*Rot.cor.Gregor.dec.*109.*n.*3.ibique *Adden.n.*12.,*& in Pampilon.Beneficii* 9.*Ian.*1688.§.*fin.cor. Rmo Hervault Archiepiſcopo Turonenſi*,*& in Firmana Iuriſdictionis* 20.*Martii præteriti* §.12. *coram Me.*

22. Et antequàm exponantur rationes, quibus moti fuerunt Domini ad declarandam hanc unionem ſubjectivam opportune ad hanc Theſim prænotarunt,quod licèt dicti Honorii conſtitutio non præſeferat primævam unionem, ſed ſolùm confirmationem unionis à Prædeceſſoribus factę, non ideò minùs attendi meretur in illis, quæ inibi expreſsè ſanciuntur, & dicuntur, quam ſi ageretur de ipſo diplomate unionis confirmatæ, quia in illa referuntur ſubſtantialia primę unionis per orationem undique perfectam, individuando loca,& res præciſas ſub eadem unione comprehenſas, quando enim referens continet perfectam, & determinatam diſpoſitionem procedentem ab habente poteſtatem diſponendi, illi ſtandum eſt, quantumvis terminus relatus non reperiatur per ea, quæ tradunt *Surd.conſ.*429.*n.*23., *&* 24., *Card. de Luc.de fideic.diſc.*118.*n.*5., *Rot.cor.Merl.dec.*432.*n.*667.*utrobique n.*6.,*& in Peruſina Immiſſionis* 27.*Febr.*1692.§.*Etenim coram Urſino*, *&* 10.*Aprilis* 1693. §.*Ità quoque cum ſeqq.coràm R.P.D. meo Muto*; Ut hinc propterea hic locum ſibi non vindicet illa generalis juris præſumptio, juxtà quam, ubi non reperiuntur unionis litteræ una Cathedralis cenſeatur alteri æquè principalitèr unita, de qua *Grat.diſcept.*893.*n.*4.,*Lezzan.tom.*4.*conſult. in Turri Davidica n.*28.,*de Luca de præhemin.diſc.*7.*n.*10.,*& ſeqq.*,*alter de Luca ad Grat.diſcept.*291.*n.*6.,*Turricell.de union.cap.*1.*n.*2.,*Rota cor.Bich.dec.*665.*n.*7.,*& ſeqq.n.*35.,*& in Valven.Præhemin.* 18. *Junii* 1694.§.*Tranſeundo cor.b.m.Emerix.*

23. Hoc præmiſſo ad dignoſcendum, qualis unio ſit, dicaturque cumulativa, quæve acceſſoria, & ſubjectiva Doctores

eam ſtatuere diſtinctionem, quod aut verba Pontificis unientis æqualitèr diriguntur in Eccleſias, quæ uniuntur, ut puta, ſi dictum eſſet, Eccleſias A., & B. unitas eſſe volumus, & tunc unio eſt æquè principalis,& Cathedralitas omnium Eccleſiarum conſeruatur, iſtique ſunt termini unionis, de qua loquitur *Text.in Can.Et temporis qualitas* 16. *quæſt*.1. ibi = *Ut Cumanam, atque Muſitanam unire debeamus*, & aliarum relatarum apud *Murg. ad Conſtit.Bened.poſt dec*.19.*n*.14.,& erat caſus *in illa Viterbien. cor.Cavaler.dec*.330.*num*.3., *& in alia Ampurien., ſeù Civitaten. Unionis* 19.*Junii* 1682. *cor. b.m.*Urſino; Aut verò una Eccleſia unitur alteri, & tunc unio eſt acceſſoria, ſubjectiva, & tituli extinctiva, ut magiſtralitèr, & elegantèr docuit *Gloſs. in Can. Et temporis* 48.*cauſ*.16.*quæſt*.1.*in verb.unire*,idemque ait alia *Gloſ. in cap*.1. *verb. uniendo*, *nè Sed. vacant.*, & communiter tradunt *Fagnan.in cap.Novit.n.3.nè Sede vac., Franceſ.de Eccl.Cathedr. cap.8.n.61.,& 173., Garz.de Benefic.par.12.cap.2.n.55.,Rota deciſ.114.n.8.,& 12.par.2.diverſ., & in Firmana Iuriſd.* 14. *Iunii* 1688.§.*Reſpectu verò,& ſeqq.cor.Rondanino,& in Provinciarum Ordinis B. M. de Mercede ſuper Iure præcedendi* 23. *Ian.* 1692. §.2. *coràm Emerix*.

24. Quare cum verba unionis,de qua eſt ſermo,non cantent, quod Eccleſiæ Terracinenſis, Pipernenſis, & Setina fuerint ſimul unitæ juxtà primum diſtinctionis membrum, ſed quod ſecunda, & tertia fuerint primæ annexæ, & unitæ, ibi = *Pipernenſem*, *& Setinam Eccleſias eidem Terracinen. Eccleſiæ in perpetuum unitas manere decernimus*, applicantur termini ſecundi membri diſtinctionis pro unione ſubjectiva; Fortiùs, quia enunciatur facta unio cum omnibus juribus earumdem Eccleſiarum Setiæ, & Piperni, quæ verba oſtendunt, unionem fuiſſe ſubjectivam; Quando enim eſt æquè principaliter facta, jura non accedunt alteri, ſed remanent pænès Eccleſias, ad quas anteà ſpectabant, *Turricell. de union.cap.3.n.8., & ſeqq., Rota dec.49.n 4.part.15., & in Ampurien.,ſivè Civitatem unionis 3.Iulii* 1684. *in principio cor.*Urſino *& in d.Rom.Iuriſd.14.Iunii* 1686.§.*reſpectu*, *&* §.*Hinc non relevat coram Rondanino*.

25. Nec obſtat, quod deficiant verba = *Annectimus*, *& Incorporamus*: Siquidèm hæc verba deſerviunt quidem ad certiùs ſuadendam unionem ſubjectivam,proùt ad eam magis fortificandam

dam adducebantur in *dec.49.par.15.rec.*, & in aliis concordantibus per eam adductis, ſed non ſunt ſimplicitèr neceſſaria ad illā evincendum, adeoùt abſque eorum concurſu non ſit verificabilis unio ſubjectiva, quia etiam exulantibus talibus verbis magiſtrales Gloſſæ ſuperiùs expenſæ docent, induci eamdem unionem, ex eo nempè ſolum, quod Eccleſiæ non inſimul uniuntur, ſed una alteri annectitur.

26. Minuſque refragatur, quod in eadem Conſtitutione deſignantur integra Caſtra componentia aſſertam Diœceſim dictarum Eccleſiarum unitarum; Quoniam hujuſmodi dinumeratio Caſtrorum inhibi facta non fuit ad declarandum, quod eædem Diœceſes extinctæ, & ſuppreſſæ non eſſent; Sed è contrà ad deſignandum, quod illa efficiebantur Prædia Epiſcopatus Terracinenſis, dùm litteralem, & apertam Simeoni Epiſcopo, & Succeſſoribus tribuit poteſtatem de illis liberè diſponendi; Et de facto paulò poſt Conſtitutionem Honorii Gregorius Epiſcopus diſponendo de Eccleſia ſita in Caſtro Sermineti loco prætenſæ Diœceſis Setinæ, exprimit, quod illa Eccleſia ſpectabat ad Eccleſiam Terracinenſem, ſe, & Succeſſores nomine Eccleſiæ obligando pro contractus obſervantia, ut ex Bulla relata apud *Ughel. in Epiſcop.Terrac.fol.206.*, id quod clarè nimis evincit, d.Caſtra poſt unionem habita fuiſſe de dominio Eccleſiæ Terracinen. alias de ea non potuiſſet illius Antiſtes citrà conſenſum Eccleſiæ Setinæ liberè diſponere, ex traditis per *Rot. dec.537.per tot.part.5. rec.*, ubi concordantes.

27. Quemadmodum movit parum toties inculcata à Defenſoribus Setinis inveriſimilitudo, quod Pontifices voluerint privare Cathedra Civitatem, ſeù nobile Oppidum Setiæ Sanctæ Sedi immediatè ſubjectum, & unire Terracinenſi Subditæ tempore unionis Domui Fregipanæ; Quoniam etiam Civitas Terracinen. in temporalibus ſuis non caret faſtis, inter quæ illud ſummæ illius Gloriæ abſcribitur, ut Urbanus II. illuc creatus fuerit Pontifex, & Magnus ille Pontifex Alexander III. apud Terracinenſes tutamen aduerſus Pſeudopontifices invenerit, ut refert Ciacconius in Vita dd.Pontificum. Cȩterum in eo Terracinenſis Eccleſia Setinam longè præcellere viſa eſt, quia ejus Cathedram mediante creatione Epaphroditi Epiſcopi ipſe Apoſtolorum Princeps inſtituerat, & erexerat Teſtibus *Card.Baronio tom.1.Annal.*

*ad ann.*46., *Summont.Hiſt.Regn.Neap.cap.*12.*Ughell.in Epiſcop. Terrac.f.*199.*n.*1.; Sicque attenta qualitate tàm perantiquæ Eccleſiæ, nil mirum, Pontifices curaſſe, & diſpoſuiſſe, ut augeretur illius Diœceſis. Quin retrahi potuerint, ex quo in feudum à Fregipanis detineretur, cum Domus Fregipana ſit clariſſima,& inter familias Romanas tunc ita præpotens, ut cum ipſius Gentilibus Matrimonio copulari non ſint dedignatæ filiæ Principum Supremorum, ipſorumque Conſtantinopolis Imperatorum, ut refert *Chronicon Foſſæ novæ apud Ughell. tom.*1.*par.*2.*nu.*468., & plenè *Zazzera,& Creſcentius de familiis nobilibus Italiæ in Genealogia hujus familiæ*, & recentèr *Altimar. in Hiſtoria familiæ Caraſæ tom.*3.*fol.*262.

28. Gravia ſunt momenta hactenùs expoſita prò evincenda unione ſubjectiva, proque cumulativa excludenda, tanquam eruta ex viſceribus ipſius Conſtitutionis Honorii, ſed graviora manent eam lucidius comprobantia, quæque ſubminiſtrat obſervantia proba, & fidelis Conſtitutionum omnium interpres, *l.de interpretat.ff.de legibus*: Revolutis quippè Actis omnibus Conſiſtorialibus, quæ uſquè modo ſervando ſervari potuere, compertum fuit in vacationibus omnibus ſemper propoſitam fuiſſe Eccleſiam Terracinenſem, nulla prorsùs habita mentione Setinæ, proùt factum fuiſſet, ubi hujuſmodi Eccleſiæ eſſent cumulativè unitæ: In contingentia namque vacationis ambarum ſit expreſſio, utraque declaratur Paſtorali Regimine deſtituta, ambæ præconizantur, proponuntur, & providentur, & utrique Capitulo litteræ Apoſtolicæ diriguntur, ut aliis adductis, notavit *Rot. dec.*270.*n.*25.*coram Bich.*; quarè cum in ſenſum cadere nequeat, Pontifices poſt unionem Eccleſiam Setinam vacantem reliquiſſe, *Rot.dec.*404.*n.*21.*par.*19.*rec.*, pernecesſè dicendum eſt,eam concomitanter cum Terracinenſi non providiſſe intuitu d. unionis ſubjectivæ, de cujus eſſentia eſt, ut Eccleſia ſic alteri unita amittat Titulum, efficiaturque membrum ejus, cui unitur, & propterèa nunquam principaliter impetratur, & providetur, per ea,quæ tradunt *Hojeda de incompatibilit.Benef.par.*2.*cap.*3.*n.*2.*verſ.nec opus eſt*, *Pariſ.de reſign.lib.*10. *quæſt.*2.*nu.*36., *Grat. diſcept.*292. *num.*4.,*Turricell.de Union.cap.*3.*n.*17.,*Card.de Luca de præbem. diſc.*2.*num.*24., *Rota coram Cavaler.dec.*330.*n.*2.,*& ſeqq.coram Bich.dec.*280.*n.*27.

Non

29. Non ſubſiſtente, quod Rota aliquoties canonizaverit Vnionem æquè principalem,tametſi non conſtitiſſet de ambarum Eccleſiarum propoſitione in Conſiſtorio: quippè quod nullum ex exemplis ad hanc rem deductis hujuſmodi probat aſſumptum, de Civitatenſi,namque unita Ampurienſi habitam fuiſſe mentionem in Conſiſtorio teſtatur *Card. de Luca de præhemin. diſc. 7. nu. 18., & Rota in ſæpè citata Ampurien., ſeù Civitaten. Unionis 19. Iunii 1682. §. Conſtat cor. Urſino*; Eamdemque mentionem factam fuiſſe de Cathedrali Eccleſien. unita Calaritanæ litteralitter exprimitur in *dec. 806. cor. Dunoz. Iun. ſub n. 2., & 4.* exemplum demum Cauſæ Cæſarauguſtanæ in allegabilis redditur ex defectu applicationis. In illa quippè agebatur de unica Cathedrali conſtituta ex duabus Eccleſiis materialibus, & non de geminis Epiſcopatibus, biniſque diſtinctis Cathedralibus, ut videre eſt penes *De Luc. de præhemin. diſc. 4. n. 10., Lezzana de Cathedra Sanctæ Mariæ de Pilar. cap. 3. n. 194., & n. 345. cum ſeqq., Rota coram Bich. dec. 640. num. 14.*, ideoquè mirum non eſt d. Eccleſiam fuiſſe ſemper in Conſiſtorio propoſitam in genere, & ſub denominatione Cęſarauguſtanæ tantum cum tale nomen conveniat, utrique materiali Eccleſiæ,ex qua conſtituitur.

30. Actis Conſiſtorialibus accedunt Libri Cancellariæ, Datariæ Apoſtolicæ, & Secretariæ Brevium, ex quibus etiam evidentèr comprobatur obſervantia pro unione ſubjectiva; In quamplurimis namque Proviſionibus Canonicatuum, & Beneficiorum Setiæ,ſuique Diſtrictus Pontifices Eccleſiam Setinam ſemper denominarunt Collegiatam Diœceſis Terracinenſis,nec aliter ferè ſemper illam intitularunt ipſimet Setini occaſione impetrandi haſce Proviſiones,atque inter alia documenta ad id exhibita notabile eſt tranſcriptum in *Summ. Terrac. ſub Num. 26.* Idemque patet ex pluribus Conſtitutionibus Apoſtolicis, & ſignanter ex trigeſima in ordine s. m. Alex. VII., in qua inter alios Conclaviſtas recenſetur Petrus Paulus Pontinus Clericus Terræ Setiæ Terracin. Diœceſis, & ex altera Conſtitutione Clem. IX. in ordine *la* 3., & Clem. X. *la* 2. ex quibus omnibus clarum conſurgit argumentum excluſivum Cathedralitatis; Nam alias Eccleſia Setina propriam,& diſtinctam cum ſeparatis pręheminentiis retinuiſſet Diœceſim, atque in Libris Datariæ, & Cancellarię à Terracinenſi contradiſtinctim deſcripta noſceretur ex notatis per *Fa-*

gnan.

gnan.in cap.cum certum ſub n.25.de majorit.,& obed.Franceſ.variar.reſol.cap.19.n.97.,& 208.,Corrad.in prax. diſpenſ.lib.7.cap. 4.n.2.,Rota cor.Merl.dec.264.n.5.,& dec.5.n.15.,& dec.407.nu. 15.par.19.,& in Nullius,ſeù Fulden.Iuriſd.28. Iunii 1700.§.Pariterque cor.R.P.D.meo de la Tremoille.

31. Quin præfatę expreſſiones tribui valeant errori,ignorantiæ, ſeù negligentię expeditorum; Nil enim facilius erat Setinis, habitis litteris, & Brevibus Apoſtolicis qualificantibus eorum Eccleſiam Collegialem Subditam Terracinenſi Diœceſi reclamando, oſtendere hunc errorem, adeò grave pervetuſtæ eorum prętenſioni ingerentem præjudicium, hancque inſtantiam meliùs cæterorum promovere poterat obtinens proviſionem Beneficiorum,de qua in *d.Summ.Num.26.* utpotè prееminentiarum Patriæ Eccleſiæ apprimè inſtructus reſidens in Urbe, & tunc in hac Curia noſtra prima advocationis occupans ſubſellia. Ideoque cum Setini ſemper ſiluerint, dictiſque litteris uſi, Canonicatus, & Beneficia poſſederint, actuque poſſideant,inferre licet,duram agnoviſſe Provinciam obtinendi diverſam expreſſionem, ſtante inveterato ſtylo Datariæ, & Cancellariæ ſubnixo rei veritati, ut ad propoſitum ratiocinatur, *Rota in Tarraconen.Iuriſd. 2.Decemb. 1701.§.Secundò quia, & §. Tertiò demum cor.Me*, & conſequenter quod ſemel facto comprobarunt, retractare nequeunt illa generica, & vaga exceptione erroris, adverſus quam militant Jurium omnium præſumptiones, *Bald.in l.Imperat. la prima n.... ff.de ſent.hom.,Alciat.de præſumpt.reg.3.præſumpt.21., Rot.deciſ. 273.n.2.par.4.rec.*,& in ſpecie Officialium Datarię *in d.Tarraconen.Iuriſd.cor.Me §.Progrediendo.*

32. Nihil ſuffragantibus documentis in oppoſitum adductis. Non quidem ullum obiicem præſtat Epiſtola Joannis XXII. anno 1332. conſcripta Raymundo Epiſcopo Seſſinen.; Unde eliciebatur, quod poſt Vnionem Epiſcopi promiſcuè denominati fuerint Terracinenſes,& Setini. Hujuſmodi quippè documentum plurimis ſcatere viſum fuit improprietatibus, & æquivocis: Quorum alterum colligitur ex ipſa inſcriptione, quæ Epiſtolam non dirigit ad Epiſcopum Setinum, ſed ad Epiſcopum Seſſinen. Alterum, & notabilius ex eo animadverſum fuit, quod anno 1332. Eccleſię Terracinenſi,& per conſequens Setinę non pręherat Epiſcopus Raymundus,ſed Sergius,qui electus anno 1326. obiit an-

no

no 1348., vut teſtatur *Ughell.in Epiſcopat.Terrac.n.25.* Tertia improprietas colligitur ex quo eadem Epiſtola Seſſinam denominat Terrã, ubi juxtàm generalem conſuetudinem Terrę non gaudent honorificentia Epiſcopatus, ex latè traditis per *Frances de Eccleſia Cathedrali cap.4.per tot.*;Quod ſi in hac parte Miniſtri d. Pontificis tunc Avenione moram trahentes errare potuerint ob præſumptam imperitiam locorum Provinciæ Romanę,vt motivabant Setini,ex eadem ratione adamuſſim meliùs replicabant Terracinenſes illos in hunc alium labi potuiſſe errorem, dandi Seſſinę Epiſcopum, quem nunquam habuerunt,ideoquè in pręfato documento tot æquivocis, & manifeſtis erroribus referto nullum conſtitui poteſt ſolidum fundamentum, prout ad hunc effectum requiritur ex ſupra firmatis.

33. Et licèt hujuſmodi cenſuræ non ſupponatur Breve Clementis IX., directum Epiſcopo Setinenſi concedens cuidam Sacerdoti Setino licentiam deferendi Pileolum in Miſſæ Sacrificio, immune tamèn non eſt altera ſatis notabili animadverſione,antedictam ſcilicèt enunciativam eſſe recentiſſimam, & de directo contrariam pluribus aliis antecedentibus, adeout vel tanquam erronea, vel uti ſuggeſta à Parte intereſſata,nullatenùs ſuffragatur,*Grat.diſcept.893.n.24.*,*Rot.cor.Cerro dec.587. n.4.*, *&* 5., *& dec.56.n.38.par.19.rec.*,Eademque reſponſio occurrit Inſcriptionibus, quę leguntur in lapide Sepulchali unici Epiſcopi tumulati in Eccleſia Setina cum denominatione Antiſtitis Terracinenſis,& Setini, quod nempè, utpotè recentiſſima monumenta ab ipſiſmet Setinis confecta eorum favore nullum probationis genus conſtituunt,ut pręter mox allegatos firmavit in ſpecie,*Rot. dec.5.n.26. par.13.rec.*

34. Nec obumbratur obſervantia Terracinenſibus aſſiſtens,ex eo quod Setiæ adſit Cathedra,ſive Thronus Epiſcopalis,quod ibi Epiſcopi continuò reſideant, functiones Pontificales expleant, Tribunal, Vicarium, Familiam armatam, & Carceres detineant: Siquidem hæc omnia ab ea proceſſerunt cauſa, quod Epiſcopi Terracinenſes, vel ſub prætextu aſſertæ inſalubritatis aeris Terracinæ, aut ob alicujus ejus partis devaſtationem, aliaſque calamitates paſſas ex bello ſub Pontificatu ſa.mem. Pauli IV. in Latium ingruente Setiæ moram in aliquibus anni menſibus trahere cæperunt, ut notorium eſt, & teſtatur *Ughell.in Epiſcopo Terrac.*

verſ.

Digitized by Google

verſ.Setinum. Cæterum præſcindendo ab hac reſponſione, nullum ex dd. argumentis concludit Cathedralitatem; Nam Epiſcopus poteſt in quacumque parte ſuę Diœceſis, etiam ubi non adeſt Cathedralis Tronum, ſivè Cathedram Epiſcopalem erigere, Palatium, Carceres, Familiam armatam, & Tribunal retinere, ex reſolutis in *dec.*270.*n.*27.*coram Bichio*, *& in Hiſpalen.Viſitationis* 30. *Aprilis* 1699.*coram Me.*

35. Nec aliquid confert pro Cathedralitate retentio Mitræ, ut probat *Fagnan.cap.cum certum n.*29.*verſ.quinto de majorit.*, *& obed.* Ingreſſus ſolemnis Epiſcopi, & Dedicationis Eccleſię celebratio ſunt ſigna æquivoca, *Rota dec.*56.*n.*43., *& dec.*404.*n.*64. *par.*19.*rec.Frances dicto cap.*39.*n.*106. Fortiùs pro eo quod reſpicit ingreſſum, quià in facto probatum eſt, Epiſcopos primùm capere poſſeſſionem Eccleſiæ Terracinenſis, & deindè Setiam accedere, ubi de Jure inter Cathedrales æque principaliter unitas ſervari ſolet reſpectu hujuſce functionis alternativa, ut conſuluit *Vermigl.reſp.*151.*per tot.* : Seminarium licèt materialitèr exiſtat Setiæ, re vera tamen non eſt, nec nuncupatur Setinum, ſed Terracinenſe : Oleorum Sanctorum Conſecratio unica tantum vice expleta fuit Setiæ, & milliès Terracinæ; Undè unicus actus confunditur à totidem contrariis ex firmatis in *Firmana Iuriſdictionis* 18. *Aprilis* 1701. §.19. *cor.Me*, & poſtrema Conſecratio dedit Cauſam huic liti, adeoque nullatenùs venit conſideranda ex vulgatis, de quibus in *dicta Firmana n.*20.

36. Circulus, quem Canonici Setini in eorum Eccleſia faciunt Epiſcopo, nec minus concludit Cathedralitatem, cùm hujuſmodi Ceremonialis functio in congruum non eſt, ut fiat etiam à Canonicis Collegiatarum Inſignium, *Ceccoper.lucubrat.Canon. lib.* 3. *n.* 88. Vicarius Generalis eſt unicus, nec ſuum diſtinctum obtinet Setia, prout habere ſolent duę Eccleſiæ Cathedrales cumulativè unitæ, & de tempore Sedis vacantis unicus à Terracinenſibus deputatur Vicarius Capitularis pro tota Diœceſi, & nunquam Canonici Setini ſuum proprium elegerunt ex quo univocum, & concludens promanat argumentum Cathedralitatem excludens, *Fagnan.in d.cap.cum certum n.*32.*de majorit.*, *& obed. Gratian.diſcept.*893.*ſub n.*15., *&* 51., *Card.de Luc.de præbem. in ſupplem.diſc.*52.*n.*17.*verſ.accedente*, *Franceſ.var.reſol. d.cap.*39. *nu.*69., *& n.*238., *Rot.cor.Manzaned.dec.*865.*n.* 9., *cor.Pœn. deciſ.*699.

ciſ.699.num.1.dec.iſ35.coram Dunoz.Jun., & deciſ.587.in princ. cor.Cerro.

37 Poſtremo neque ullum argumentum Cathedralitatis deſumi poſſe viſum fuit ex quadam Viſitatione Eccleſię Sanctę Mariæ Setinæ facta de ordine Summi Pontificis Urbani VI.non quidèm illam arguit annexio Sacrorum Ordinum Canonicatibus dictæ Eccleſiæ, cum juxtà Juris Cenſuram, quæ tunc temporis ſervabatur non adhùc ſuperventa Sac. Tridentina Synodo, Canonici Cathedralis nullum habebant certum Ordinem annexum ex relatis per *Mandoſ. ad Reg.18. Cancell. quæſt.1. n.4.,Gratian.diſcept.592.n.3.,Rot:dec.421.n.24.par.1.rec.*;Quapropter ea proviſio demandata fuit pro ſpeciali Eccleſiæ tunc temporis indigentia, quæ cum ſucceſſivis temporibus ceſſaverit, etiam hodiè Canonicatus Eccleſiæ Setinę conferuntur conſtitutis in ætate 14.annorum,quæ circumſtantia, attenta dicta Conciliari diſpoſitione, ut Canonici Cathedralis ſint in Ordinibus Sacris conſtituti apertè declarat, Eccleſiam Setiæ carere Cathedralis Dignitate, ut in ſpecie arguit *Rot.dec.56.n.31.,& ſeqq.par.19.rec.*ubi concordantes. Minuſque ad intentum facit applicatio Mulctarum Cameræ Epiſcopi,& Capituli, nam quod ſpectat ad illam Epiſcopi, cum ibidem non exprimatur,de quo Epiſcopo viſitatio ſermonem habebat, non eſt, cur potiùs de Setino, qui non aderat, quàm de Terracinenſi loquutum Viſitatorem,veniat interpretandum: Cameram Capituli quo attinet, perſpicuum eſt Viſitatorem intellexiſſe de Maſſa Communi Burſa, in qua redditus Communes Eccleſię aſſervantur: Quam etiam habent omnes Univerſitates, & Collegia ex traditis per *Klock. de Ærar.lib.1.cap.2.n.16.*

38. Ordinatiò ejuſdem Viſitationis, ut eveniente Vacatione Canonicatuum ad Canonicos ſpectet alterius ſufficientis electio, tantum abeſt, ut Cathedralitatem evincat, quin potiùs eam excludat, cum de Jure Canonicatus Eccleſiarum Collegialium ſpectent ad Collationem Collegii, ſivè Capituli *cap.1.de elect., cap. ſignificatum de Præbend.Garz.de Beneſ.par5.cap.4.n.58.uſque ad 66.,Rot.dec.72.n.1.dec.157.n.22.par.7.,& dec.311.n.2.cor.Celſ., & in Melevitana Iuris adminiſtrandi, & conferendi 22. Iunii 1692. §.1.cor.Emerix, & in Bononien. Iuris conferendi 22.Iunii 1697.§.Et quidem cor.Urſino:*E contrà verò de Jure collatio Canonicatuum in Eccleſiis Cathedralibus ſpectat ſimultaneè ad

Epiſcopum, & Capitulum ex iis quos refert *Rot.cor.Cavaler.dec.* *97.359.,& 390.n.2.,& dec.1456.n.11., & cor.Buratt.dec.805.n.* *1.*,& ſequitur *Rot.in Palentina Canonicatus 6.Febr.1696.§.Quià Collatio cor. D. meo del Olmo Magno Mediolani Cancellario* , Signumque demùm prorsùs ęquivocum deponitur ex demandato Clauſtro Canonicali,cum iſtud ita peculiare , & proprium non ſit Canonicorum Cathedralium , ut convenire nequeat aliis Collegiis inferioribus , & profectò cum talia Clauſtra demandari ſoleant, ut Clerici conſtitutis temporibus pręſto ſint ad Horas Canonicas perſolvendas , ut notat *Gonzal.cap.quoniam n.4.de Vit., & honeſt.Cleric.*, ratio hæc utpotè adaptabilis , tam Cathedralibus,quam Collegiatis exigit , ut in utriſque adſit , conſtituaturquè Canonica, & omiſſis generalibus , quod Canonici Callegiales debeant inſimul convivere , hęcque vita communis ſit alterum ex ſignis Eccleſię Collegiatę ex *Text. in cap. cum ad Monaſterium de ſtat. Monacor. cap. quoniam §.final.de vit.& honeſtat. Clericorum* , inquit *Fagnan.incap.poſtulaſt.30.de Iurepat.n.5.*

Et ità utraque Parte acerrimè informante reſolutum fuit.

DE

Digitized by Google

DE HISTORIA TERRACINEN.

LIBER QUINTUS.

De Sanctis Terracinen.

PROŒMIUM.

NULLA res unquam mihi uberrimas ex oculis elicuit lacrymas, crebraque ex imo cordis ſuſpiria extraxit, niſi intenſa conſideratio miſerrimi ſtatus Civitatis Terracinæ, quę licet tot Sanctorum Martyrum cruore inundata fuerit, totque Sanctarum Virginum, Confeſſorumque gloria illuſtrata, adhùc tamen nemo apparuit, qui in ejus laudes linguam ſolveret, ejuſque præclarè geſta ſcriptis mandaret, quin immò omnia neglecta, cunctaque in pejus ruentia vidimus, & multa, quæ ab omnibus obſcuritatis nodis evoluta, inſcitiæque tenebris eruta priùs extabant, modò caligare, & indagantium animos fallerent, niſi lucem mutuaremur ab Exteris: Quare nihil eſt, cur omnes nervos laboris, induſtriæque meæ contenderem, ut circa acta Sanctorum multa ex Terracinen. monumentis eruerem, quoniam ex tribus pervetuſtis Antiphonariis, iu quibus illa continebantur, vix ſemidimidium ſupereſt. Neceſſe fuit igitur varios ſacrarum rerum Scriptores pervoluere, atque ea, quæ ab iis ſparſim ad noſtram rem facientia dicta ſunt, colligere, collectaque in unum concinnare; & hoc pacto exegi ultimum opus, quod ità præcellit aliis, ſicut cęleſtia præcellunt terrenis, & Divina mundanis, dum veſtigia tot Sanctorum Heroum Eccle-

ſiæ imitanda proponens animum optimis vitæ tranſigendæ inſtitutis informat, eundemque ad feliciſſima Beatorum Regna contemplanda erigens certam quaſi normam ipſamet comparādi inſinuat. Illùc itaque noſter animus aſpiret tot egregia facta conſiderans, ut illùc aſpirando perveniat. Meæ interim erunt partes, ità Sanctorum Terracinen. acta ordiri, ut expedita narratione S.Epaphroditi Epiſcopi, qui primus Terracinæ Fidem Chriſtianam implantavit, ad tres celeberrimos ejuſdem Civitatis Patronos ſermonem convertam, eorumdem ut geſta explanem: Sunt autem hi tres Sancti Tutelares omnes Africani, quorum primus, ac maximus apud Terracinenſes habetur Divus Cęſarius Diaconus, & Martyr., inter Secundarios verò Patronos repoſiti ſunt Sancti Dei Confeſſores Silvianus Epiſcopus, & Eleutherius ejus genitor paritèr Epiſcopus, qui in perſecutione Vvandalica ob Chriſtianam Fidem variè afflicti,ac laceræ navi impoſiti ad Campaniæ littora ex Africa appellentes, Angelo Duce, Terracinam venerunt, ubi hodiè coluntur admodum honorificè. Horum actis enucleatis de reliqua glorioſiſſimorum Cęlitum turba, quæ Terracinæ à Sacris Hiſtoricis adſcribitur,nobis agendum erit.

CAPUT I.

De Sancto Epaphrodito Primo Terracinen. Epiſcopo.

SAnctus Epaphroditus unus è 72.Chriſti Diſcipulis, aut ut alii volunt Apoſtolorum Diſcipulus Terracinæ à B.Petro Apoſtolo primus Epiſcopus ordinatus fuit, ubi in pace deceſſit poſt plantatam in ea Civitate Chriſtianam Fidem aſſidua, plenaque fervoris prædicatione die 22. Martii, qua de re Martyrologium Romanum ità. Die 22. Martii Terracinæ S. Epaphroditi Apoſtolorum Diſcipuli, qui à B.Petro Apoſtolo Epiſcopus illius Civitatis ordinatus fuit; & Metaphraſtes auctor Græcus, quem ſequitur Lippomanus,ac Surius in actis Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli die 29. Junii iſta referunt. Cum autem S. Petrus non diù manſiſſet apud Romanos, & Sancto Baptiſmo multos regeneraſſet, & Eccleſiam conſtituiſſet, & Linum Epiſcopum ordinaſſet, venit Terracinam, in qua cum Epaphroditum ordinaſſet Epiſcopum, venit Sirmium Civitatem Hiſpaniæ.

Ac

Digitized by Google

Ac demum Baronius Annal.Eccleſ.ad ann. 46. docet : Hoc anno habuit à Petro inſtitutos Epiſcopos Sicilia Pancratium,Capua Priſcum, Terracina Epaphroditum. Credibile eſt, hunc Sanctiſſimum Pontificem etiam finitimos Terracinenſium Urbi populos ab Fidem Orthodoxam convertiſſe, eoſdemque optimis Chriſtianæ Pietatis inſtitutis confirmaſſe, verumtamen, quia in tanta diuturnitate, ac confuſione temporum periit omnis memoria actorum ejus; nihil dignum tanti, tamque præclari Antiſtitis operationibus ad nos devenit.Ejus geſta hoc diſtico comprehendit Epiſcopus Brutius.

A Petro Præfectus Epaphroditus Ovili
Colligit errantes, paſcit, & auget oves.

N O T Æ.

PRæter acta Sanctorum, ubi opus videbitur, rebus ambiguis aliquas notulas apponere, provide factum duximus, ut clarior, lucidorque lectori appareat hiſtoria, nedum alios, atque alios ſcriptores ſibi diſcrepantes legeret, nos incuriæ nota inureret, adeoque ſcriptis parum, aut nihil crederet. Itaque de S.Epaphrodito primo hoc dubium eſſe poteſt, an hic ille idem ſit, quem nominat Divus Paulus, dum ſcribit ad Philippenſes, ſecundò an fuerit Epiſcopus Adrienſis, uti docet Dorothæus in Synopſi, an verò fuerit Epiſcopus Tarraconenſis, uti poſt Galeſinium volunt Hiſpani.

Hac ſuper re dubius hæret Baronius in Annal. ad ann. 60. num. 2., nùm tres Epaphroditos fuiſſe dicendum ſit, nimirùm, qui die 22. Martii dicitur à S. Petro Eccleſiæ Terracinen. datus Epiſcopus, tùm qui ab Apoſtolo Paulo vocatur Apoſtolus Philippenſium, ac deniquè qui Adriæ ſtatuitur Epiſcopus, niſi, inquit, dicere velimus unum, eundemque in diverſa loca translatum fuiſſe, quod non putamus. Omnibus diſcuſſis ſi conjecturæ locus daretur, ait Bollandus, prò Adriana Sede S.Epaphroditi, quam in Syria collocat Baronius, mallem Andranam Urbem Thracię à Stephano de Urbibus deſcriptam admittere,quod vox Andrana ab Adriana minùs diſtet, nec procul in confiniis Macedoniæ ſit Urbs Philippenſis, ut faciliùs zelus ejus extendi poſſet ad vicinas Urbes. Imò ſi Terracinæ ſederit,& ob perſecutionem,

aut

aut alia de cauſa coactus ſit inde diſcedere, poſt diù Philippos inde migraſſe, ibidemque eorum, ac vicinorum populorum Apoſtolum factum. Certè Philippenſes cum audiſſent S.Paulum Romæ vinctum detineri Epaphroditum eo miſerunt, ut Apoſtolum inviſeret, ac munera perferret, quem cum ſuis epiſtolis remiſit Paulus, & iſta de eo ſcribit cap. 2. Neceſſarium exiſtimavi Epaphroditum, & cooperatorem, & commilitonem meum, veſtrum autem Apoſtolum, & miniſtrum neceſſitatis meæ mittere ad vos, quoniam quidem omnes vos deſiderabat, & mæſtus erat, propterea quod audieratis illum infirmatum, nam & infirmatus eſt uſque ad mortem, ſed Deus miſertus eſt ejus, non ſolùm autem ejus, verum etiam & mei, nè triſtitiam ſuper triſtitiam haberem: Feſtinantiùs ergo miſi illum ut viſo eo iterum gaudeatis, & ego ſine triſtitia ſim: Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, & ejuſmodi cum honore habetote, quoniam propter opus Chriſti uſque ad mortem acceſſit tradens animam ſuam, ut impleret id quod ex vobis deerat erga meum obſequium, & cap 2. iterum meminit. Scitis autem, & vos Philippenſes, quod in principio Evangelii, quando profectus ſum à Macedonia, nulla mihi Eccleſia communicavit in ratione dati, & accepti niſi vos ſoli; quia & Theſſalonicam ſemel, & bis in uſum mihi miſiſtis. Non quia quæro datum, ſed requiro fructum abundantem in ratione veſtra: Habeo autem omnia, & abundo; repletus ſum acceptis ab Epaphrodito, quæ miſiſtis odorem ſuavitatis hoſtiam acceptam placentem Deo. Corruit autem omnis Hiſpanorum præſumptio, qui apud Metaphraſtem Tarraconam prò Tarracina legendum eſſe contendunt, nam textus Græcus ipſiſſimis verbis ab Henſchenio allatus, tùm prima vice à Guilelmo Sirleto latina lingua editus Tarracinam non Tarraconam nominat, ac demum fruſtra adderet idem textus ante à S. Petro ordinatum fuiſſe Epiſcopum Tarracinæ quam diſcederet inde in Hiſpaniam, cũ Tarraco, ſeù Tarracona fuerit, ac ſit præcipua Urbs Hiſpaniæ, cujus maxima pars ab ea fuerit Tarraconenſis appellata: Quapropter incaſſum laborant Franciſcus Biccarius, & Tamajus Salazar, qui in Martyrologio Hiſpano ad diem 22. Martii elogium, & aliquot ejus acta formavit; nam ferè omnes ſcriptores uno ore aſſerunt Sanctum Epaphroditum Terracinen., non Tarraconen. fuiſſe Epiſcopum; inter quos ſunt Baronius, Ughellius, Ferrarius,

rius, Ciacconius, Bollandus, Lippomanus, Surius, Auguſtinus Lubin, aliique non pauci. Sacrarum rerum Auctores; vide Bollandum tomo 3. die 22. Martii pag. 370.

CAP. II.

Acta Sanctorum Martyrum Iuliani Presbyteri, & Cæſarii Diaconi Africani Primi, ac Maximi Terracinen. Patroni.

TEmpore illo, quo Claudius necavit gladio matrem ſuam furore correptus toto Orbe Romano edicta propoſuit, ut quicumque Deos colere nollent, aut acerrimis ſubderentur pęnis, ac ſupplieiis, aut ſolita offerrent ſacrificia.

Erat tùm Taracinis, quæ eſt Campaniæ Civitas Firminus Idolorum Pontifex. Is ſatanico impulſus ſpiritu hortabatur ignaros, & Veri Dei notitia deſtitutos, ut prò ſalute Reip. nomen ſibi immortale compararent crudelitate, & audacia. Proponebat autem eis delicias, & ornamenta, ut jis ineſcati cum equis phaleratis, & armis militaribus è monte ſe in mare præcipitarent, tanquam hoc crudelitatis genere patriam expiaturi. Et id quidem faciebat ille quot annis Kal. Januariis prò ſalute Reip., & Principum, & in laudem eorum, qui Taracinis morabantur. Erat autem in Urbe illa juvenis formoſus Lucianus nomine, qui deliciis, & laſciviis diffluens ad Kal. Januarias huic præcipitio deſtinabatur.

Eum Juvenem conſpicatus Cæſarius Diaconus, qui tum ex Africa revertebatur, ſuſcitatus ex Civibus quid ſibi vellet ille ornatus, reſponderunt illi; ſic ille ornatus eſt in ſuum exitium, & Cæſarius per Deum inquit, Omnipotentem vos adjuro, ut hujus rei mihi rationem explicetis; reſponderunt Cives; Ad ſex. vel octo menſes hic quiſpiam nutritur prò illius voluntate.

His exactis menſibus armatus, & ornatus aſcendit in montem, & prò ſalute Reip., & Principum; Civiumque ſalute, atque ut immortale ſibi paret nomen cum equo ſe agit è monte præcipitem: Ejus verò cadaver honorifice admodum colligitur, & ad Appollinis Templum perductum concrematur, ciniſque ejus in Templo prò Civium, & Reip. ſalute reconditur. Hæc ut audivit Cæſarius; O vos, inquit, infelices, & miſeros, qui hominum inno-

innoxiorum animas offertis Dæmonibus, neque hic, neque in futuro ſæculo vera vita potituri: deindè latuit ea in Urbe uſque ad Kal. Januarias apud quendam Chriſtianum Dei ſervum in precibus, & vigiliis cum illo ſerviens Deo, & Domino noſtro Jeſu Chriſto.

Ubi ventum eſt ad Kal. illas Cives ad Templum Apollinis convenere, Lucianumque juvenem ſpecioſiſſimum adduxerunt, ut offerret ſacrificium. Obtulit ergo porcam prò ſalute Civitatis, & Civium.

Id cernens Cæſarius exclamavit. Viri ſapientes cur tanto vos ſcelere obſtringitis? Itane æquum vobis videtur hominem innoxium prò vita veſtra in mortem præcipitare? Oblato ſacrificio juvenis Lucianus conſcendit equum, & furoris quodam æſtro percitus, ubi in montem pervenit, inde ſe præcipitem dedit, & mortuus eſt. Rursùs ergo exclamans Cæſarius. Væ Reip. inquit, & Principibus ejus, qui lætantur alienis cruciatibus, & ſanguine fundendo paſcuntur. Quid ita perditis animas impoſturis, & perſuaſionibus dæmonum. Hæc dicentem illum Firminus Pontifex juſſit ſummo ſtudio comprehendi, & in cuſtodiam publicam abduci. Porro corpus Luciani collegit, & prò more in Templum Apollinis importatum combuſſit, Templumque ſacrificiis ornavit. Inde poſt dies octo Luxurius vir primarius ejus Civitatis, & Firminus Pontifex Cæſarium è cuſtodia in forum adduxerunt, rogaveruntque Leontium Conſularem, qui per id tempus in Fundana Civitate erat, ut Taracinas veniret. Ea venienti triduana inedia maceratum Cæſarium in ipſo foro tradiderunt. Is verò per præconem ſuſcitatus eſt ex Cæſario, quis vocaretur. Reſpondit ille Cęſarius peccator vocor, Diaconus immeritus. Leontius Conſularis dixit; ſervus es, an ingenus? Cæſarius reſpondit ſervus ſum Domini mei Jeſu Chriſti. Leontius Conſularis dixit; audiſti quid juſſerint Imperatores? Cæſarius reſpondit juſſa illorum ego neſcio; Leontius Conſularis ait, ut ſacrificium offeras Diis immortalibus. Planè juſſerunt illi ut infelices; Leontius Conſularis ait, quid ita? an quia prò ſalute Reip.? Cæſarius reſpondit illa ſalus non niſi exitium eſt. Leontius Conſularis dixit, & tamen omnibus ſalutifera eſt. Cæſarius ait; & quænam illa ſalus eſt, quà ſic intereunt homines, ut vitę compotes eſſe non queant? Leontius Conſularis dixit: Fac quod dico, & ſacrifica Diis alioquin

quin mox daturus pœnas. Cæſarius reſpondit pœnæ tuæ nihil me movent, ſed vos illa æterna ſupplicia movebunt, quæ ſine fine perſentietis. Leontius dixit; eamus uſque ad Apollinis Templum. Ductus eſt autem Cæſarius vinctus, & quidem nudus ante carpentum Leontii; cumque Templo appropinquaret, in medio militum, dixit, Deus Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui es in æternum, tibi omnia cognita ſunt; noli me derelinquere, ſed reſpice in ſervum tuum ſperantem in te. Hoc cum dixiſſet, ſubito corruit Templum, & Pontificem Firminum oppreſſit. Tum verò accurrens Luxurius primus Civitatis, audione inquit, Conſularis perfidum, hunc Cæſarium magica carmina promentem? Leontius reſpondit, & nos id ſcimus, verſuſque ad Cæſarium hodiè, inquit, in te exardeſcet ira mea; Cæſarius ait; Ego verò neque te, neque Principem tuum timeo: Ut enim dixiſti, ira tua hodiè exordeſcet, & cras evaneſcet, cumque mortui fueritis, nihil ulterius eritis. Exclamans autem Luxurius dixit, Audis hunc in Principum injuriam verba jactantem, & adhuc ceſſas eum tollere è medio? Leontius reſpondit, & quanam pœna mulctandus eſt? Luxurius ait, convocetur univerſa Civitas ad Templum, ubi ſuam magiam exercuit. Id cum factum eſſet ejecto Firmini Pontificis cadavere ità ad Populum locutus eſt Luxurius. Videtis perfidum hominem, qui nec Deos timet, nec Principem, qui Pontificem extinxit, & incantationibus ſuis Antiquitatis evertit Templum. Exclamans autem Cæſarius ait Æquum ne eſt, Fratres, hominem potiùs timere, quam rerum omnium præpotentem Deum, humanoque ſanguine veſtram expiari Urbem? Admoneo igitur vos, ut agatis pœnitentiam ob effuſum Innocentium ſanguinem, credatiſque in Chriſtum Filium Dei, eumque timeatis. Exclamavit omnis Populus: Bonus homo juſta loquitur: Tùm verò Luxurius eum è Populo eductum, rurſus in carcerem conjecit, ubi fuit annum integrum, & menſem unum. Deindè juſſit Luxurius eum è carcere produci, miſſaque ad Leontiũ legatione perquiſivit ex eo, quo pacto eum necandum cenſeret. Prodiit autem è cuſtodia B.Cęſarius macie confectus, & nudus, ſed capillis ſuis tectus. Angelus enim Domini nocte, & die cuſtodiebat eum.

Adductuſque in medium forum, ait, ad milites, qui cum catenis eum vinctum tenebant. Quæſo parumper me relaxate,

ut gratias agam Domino meo Jeſu Chriſto, qui me dignatus eſt adjungere ſervis ſuis; moxque humi ſe abiiciens adoravit Dominum ità dicens: Domine Deus Pater Dñi Noſtri Jeſu Chriſti, oſtende nobis miſericordiam tuam. Eadem hora corruſca lux emicuit, protexitque illlum. Id cernens Leontius magna voce dixit. Verè Dominus Deus eſt, quem prædicat Cęſarius, mittenſque ſe ad pedes B. Cęſarii expoliavit ſe clamyde ſua, & induit ea B.Cæſarium, rogavitque eum coram omni populo, ut ſe baptizaret. Dixit autem ei B.Cęſarius. Tu crede, & mox lumen ſplendidum videbis, acceptaque aqua baptizavit eum in nomine Patris,& Filii,& Spiritus Sancti: Advenienſque Julianus Presbyter porrexit ei corpus, & ſanguinem Domini Noſtri Jeſu Chriſti, cumque Sacramenta percepiſſet B.Julianus oravit ſuper caput ejus finitaque oratione Leontius reddidit Spiritum.

Eodem die Luxurius tenuit Julianum Presbyterum, tulitque ſententiam in eum, & Cęſarium Diaconum, ut ambo in ſaccum incluſi in mare præcipitarentur. Porrò Leontii corpus collegerunt Uxor, & filii ejus, ſepelieruntque propè Civitatem in agro Verano tertio Kalendas Novembris. Poſt triduum cum nocte duceretur Julianus Presbyter, & Cęſarius, ut præcipites acti in mare, ſubmergerentur, B.Cęſarius dixit ad Luxurium. Me quidem aqua, quæ me regeneravit, tanquam filium ſuum ex ſe renatum ſuſcipiet, ut me nunc Martyrem efficiat cum Patre meo Juliano, qui me anteà fecit Chriſtianum. Te verò, Luxuri, hodiè comedet coluber, ut cognoſcat omnis hæc regio, quod vindicat Dominus ſanguinem ſervorum ſuorum, & Virginum, quas tu ignibus concremaſti.

Deindè miſſi in ſaccum Julianus, & Cęſarius in mare præcipitati ſunt, ſed eodem die in littus eorum corpora ejecta ſunt, ubi jacebat Luxurius totus inflatus, & tumidus, quippe à ſerpente percuſſus. Ierat enim ille eques ad Villam ſuam, ibi pranſurus, & quia feſtinabat, ſolus præceſſit; cumque quandam arborem prętериret ob maleficia ejus ſerpens quidam lapſus eſt per caput ejus, lateraque morſibus lacerans, uſque ad cor illius penetravit. Totus igitur intumeſcens jacebat humi. Sed tamen priuſquam animam efflaret, vidit oculis ſuis pſallentes Angelos, & admodum honorificè corpora Sanctorum Martyrum Juliani,& Cęſarii ex undis exportantes, quæ quidam Servus Dei nomine

Euſe-

Euſebius, qui cum illis habitaverat collegit, noctuque ſepeliit apud Taracinas Kalendis Novembris, ubi orationibus eorum beneficia præſtantur uſque in præſentem diem ad laudem, & gloriam Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum Amen. Hæc narrat Laurentius Surius die prima Novembris hiſtor. Sanctorum tom. 6., quem videris. Eadem per lectiones in officio Divino ità recitat Eccleſia Lateranenſis.

In Feſto Sancti Cęſarii Diaconi, & Martyris Prima Dominica Novembris.

Lectio Quarta.

CÆſarius Afer Diaconus cum Terracinam veniſſet, immane illud facinus advertit, quod ejuſdem Urbis Cives à Firmino Idolorum Antiſtite dementati perpetrabant; dum publicæ ſaluti ſe litare credentes formoſiſſimum juvenem aliquandiù in deliciis enutritum, lauteque ſaginatum adigebant, ut phalerato conſcenſo equo è monte ſeſe præcipitem daret. Quorum impiam ſuperſtitionem Chriſtiana libertate deteſtans, & charitatis zelo ſuccenſus, cępit eos vehementèr arguere, omnique conatu ad viam ſalutis revocare. Quo cognito, Firminus, Cęſarium in carcerem detrudi jubet, & ad ejus cauſam peragendã, Leontium Campaniæ Cõſularem tunc Fundis degentem accivit; ſed fortiſſimus Chriſti miles variis, & graviſſimis minis ab eo fruſtrà tentatus, acriùs in Gentilitatis errores invehitur.

℞. Honeſtum fecit.

Lectio Quinta.

Hinc nudus, vinctuſque ante Leontii carpentum ad Apollinis Templum tractus, nefarium illud impietatis fanum ſuis precibus evertit, cujus in ruinis Firminus ipſe tàm ſceleſtæ Religionis auctor oppreſſus jacuit. Tunc Luxurius inter Cives primarius à Leontio impetrat, ut Cæſarius iterum in carcerem deducatus in quo per annum, & menſem inedia, frigore, nuditate, aliiſque ærumnis afflictus denuo inforum pertrahitur. Dum verò à Leontio, & Luxurio, ut Chriſtum abneget, hortatur, tanta eum repente de Cęlo lux circumfulſit, ut Leontius interno Sancti Spi-

Digitized by Google

ritus lumine illuſtratus abdicato inanium Deorum cultu Chriſti fidem amplexus ſit.

℟. Deſiderium.

Lectio Sexta.

Leontius itaque à Cæſario mox baptizatus, & à Juliano Presbytero Sacra Euchariſtia refectus, dum una cum illis in preces effunditur feliciſſima morte decedit. At Luxurius in Cęſarium, & Julianum acriùs commotus ambos ſacco incluſos jubet in mare præcipites dari. Cum verò eadem die Villam pranſurus contenderet juxtà Cæſarii vaticinium mortifero colubro percutitur, emittenſque nefarium ſpiritum vidit pſallentium Angelorum choros ex undis Martyrum corpora exportantes, quæ Dei famulus Euſebius propè Terracinam honorificentiſſime ſepelivit; Unde, & pars Sacror. Cæſarii pignorum Romam tranſlata in Sacroſancta Lateranenſi Eccleſia recondita, & oratorium in ejus honorem propè eamdem antiquitùs ædificatum eſt.

℟. Stola jucunditatis.

In tertio nocturno Homilia ſuper Evang. Nihil eſt opertum, ut in Breviario die 14. Octobris in Feſto S. Caliſti. Miſſa lætabitur Juſtus &c.

CAP. III.

Tranſlatio, & Miracula Sancti Martyris, & Levitæ Cæſarii.

QUodam autem tempore cum dirutarum Eccleſiarum reſtaurationi B. Damaſus operam daret; hortum quemdam intrà Urbis mænia poſitum ab Imperatore Valentiniano Juniore ſibi dari popoſcit, in quo Compatriotæ ſuo B. Laurentii Martyris Eccleſiam fabricaret, & quia juſtæ poſtulationi, immò divinæ parendum eſt. Valentinianus Auguſtus petitioni Chriſti Confeſſoris annuit, & eundem ei hortum ſine mora conceſſit. Adeo enim ei devotus erat, ut non ſolùm ejus monitis gratantèr obediret, verum etiam ejus juſſa æquanimitèr ferret: Unde etiam actum fuerat, ut voluntate B. Damaſi Eudoxiam Eudoxię Auguſtę memorię filiam duceret in uxorem. Quę videlicet tantum poſtea in Chriſti Fide, & amore proficere meruit, ut Baſilicam B. Petri ad Vincula conſtrueret, quæ, & Eudoxię uſque ho-

hodie nuncupatur. Qua ſuſcepta duas ex ea filias genuit, quarum major matris nomen ſortita eſt, minor verò Galla Placida vocabatur; ſed major in Adoleſcentia defuncta eſt, unde Auguſtus in juniorem affectu nimis ducebatur, eo quod ſibi unica remanſiſſet. Hęc itaque audiens prædictum hortum B. Damaſo à ſuo Genitore conceſſum contriſtata eſt, eo quod illuc cũ aliis puellis frequentèr pergeret, & ſuæ ętati delectabilia reperiret. Et cum Chriſti famulus ſuis manibus, Eccleſia deſignata, fundamenta poneret per ſeipſam cũ famulis eandem evertere nitebatur, quam B. Damaſus paterno monuit affectu, ne ſibi, & B. Laurentio tantam irrogaret injuriam: Cumque illa nollet deſiſtere, & Chriſti Sacerdotem contemneret, Divina. Ultio quæ olim Mariam Moyſi ſervo Dei detrahentem lepra percuſſit, hanc quoque Dei famulo Damaſo contradicentem immundo ſpiritu mancipavit. Qua in re Valentinianus Auguſtus licet Dei judicium recognoſceret, tamen tàm ipſe, quàm etiam amici ejus pro caſu miſerandæ puellæ mærorem magnum per dies plurimos habuerunt; quam etiam per multa Sanctorum corpora detulerunt, ſed nullo ſalutis effectum meruit.

Dei ſcilicet Providentia diſponente, ut hoc eventu corpora Sanctorum Martyrum Cęſarii, & Juliani Romanam transferrentur in Urbem: Audientes itaque, quod in Inſula, quę Chius dicitur B. Iſidori corpus eſſet reconditum; ubi quicumque vexatus à Diabolo adveniſſet, reciperet ſanitatem decreverunt eam per Campaniæ littora ad eundem martyrem deſtinare. Quæ cum in baſterna poſita portaretur, devenit ad Urbem prædictæ Provinciæ Tarracinam, cujus Urbis Epiſcopus nomine, & actione Felix eam honorificè ſuſcipiens, & ad B. Cęſarii deducens Eccleſiam, talem pro ea orationem fudit ad Dominum. Domine Deus Omnipòtens, qui hanc puellam naſci juſſiſti, ſpiritum ei priſtinæ redde ſalutis, ut per hujus Martyris interceſſionem ſalvata mente jam pura Eccleſiæ B. Laurentii pro qua offendit debita vota perſolvat: Cumque effuſa hac oratione tribus diebus in fletu, & lacrymis perſtitiſſet, apparuit puellæ B. Cęſarius, & eiiciens de ore illius quaſi colubrum, atque illum in mare proiiciens abſceſſit, & eam ſalvam reliquit. Hoc audiens Auguſtus gaviſus eſt, & una cum Auguſta adiit Terracinam, & baſternam, in qua miſerat filiam ex auro, & ebore decorantes Martyrum Cæſarii, &

Ju-

Juliani reliquias debita in ea reverentia poſuerunt: Et tâm ipſi cum filia, quam etiam Romana plebs, quæ advenerat, propriis pedibus gradientes, Sacerdotibus autem baſternam ſuis humeris deferentibus cum hymnis, & canticis repedabant in Urbem. Quibus propinquantibus B. Damaſus congaudens occurrit Clericorum, atque Laicorum magna multitudine comitatus, & eaſdem venerandas reliquias ad palatium uſque deducens infrà Imperiale cubiculum venerabilitèr recondidit in altari, quod ipſe ſuis manibus dedicavit. Hactenus manuſcriptus Codex Vaticanæ Baſilicæ, quem affert Ughellius tom. 1. Italiæ Sacræ in Epiſcopis Terracinen., ubi de Felice Terracinen. Epiſcopo num. 3. Sic eadem cantat vetus Antiphonarium in Eccleſia Terracinæ ſervatum.

Auguſti proles eſt reddita Galla ſaluti
Propter eam Felix dum Martyris orat ad Aram
Dant Domino laudes una cum plebe Parentes,
Nocte ſoporatam purgavit Dæmone Martyr
Ingentem colubrum ejus ab ore trahens.

In vita S. Annonis Archiep. Colonienſis cap. 34. tom. 6. die 4. Decembris apud Laurentium Surium hæc leges. Elegantis artificii ſacellum Templo S. Georgii contiguum inſtruxit reponens in eo, quod ab Urbe Roma detulerat dignum veneratione Martyris Cęſarii brachium ab Alexandro Secundo Summo Pontifice ſibi donatum, quod cum ſacraturus una cum populo proceſſiſſet, ecce vorax incendium eo jam, ut mos exigit, infulato repente Civitatem verſus Orientem invaſit minacitèr. Tunc turbis ad ejus extinctionem ſeſe certatim ſubtrahentibus, & Epiſcopum vix paucis ex tàm nimia, quæ confluxerat, multitudine ſeptum relinquens, ille tanto męrens impedimento, cum caput intra manus deponens paululum reſediſſet quaſi reſponſo Divinitùs accepto, non inquit, ſuæ virtutis vìm ignis, qui fraude malitioſi ſerpentis emerſit in aliquod periculum hujus Urbis hodie exeret, tantum plebs de hoc ſecura redeat, ut in conſecratione filiæ matris noſtræ Eccleſiæ bençplacitum Domino miniſterii noſtri perſolvamus obſequium: protinùs reverſo populo flamma emoriens defecit.

Itaque juxtà Eccleſiæ ritum conſecratio celebratur, in qua iterùm ignis reemerſit, ſed D. Annon exhortationibus populum

re ti-

retinuit, dicens laudibus Chriſti nullum proponendum eſſe periculum; Ipſis tandem extinctus eſt, & iis, qui Epiſcopi verbis obtemperantes remanſerunt, non nocuit, nec quidquam eorum combuſſit, qui verò propter avaritiam domum aufugerunt, omnes res, ac ſuppellectiles amiſerunt, quippè ignis omnia conſumpſerat. Hinc S. Annon materiam ad extollendos Sanctos arripiens, ſequens Divi Cæſarii miraculum retulit. cap. 35. In Urbe Roma Vir quidam Andreas nomine, non opere, divitiis, & vitæ deliciis affluens laxæ converſationis amplam terebat viam, animam oneri, corpus habens voluptati, cui præter nomen Chriſtianitatis, & emortuam Fidem Chriſtianæ Religionis nihil videbatur ineſſe excepto, quod B. Cęſario Martyri devotus Eccleſiam ejus cum cereis frequentare ſolebat. Hic generali mortis conditione præventus ſero ſui pęnitens ultimum efflavit Spiritū. Nec mora corpus in feretro compoſitum flentium, & plangentium amicorum triſti ambiebatur obſequio, ſepulturam ejus ob quædam impedimenta in diem alterum differentium. Itaque protractis ad medium noctis excubiis alto ſilentio cunctis, altoque ſtupore perfuſis repentè feretrum moveri cępit; elevanſque caput, qui jacebat exanimis cum undique circumſpiciens ampliorem videntibus terrorem incuſſiſſet fugæ pręſidium nonnullis arripientibus, omnibus verò pariter mente conſternatis in feretro reſedit. Interim prudentiores fiducia nonnihil deſumpta procul quibuſdam ſubſiſtentibus propiùs acceſſerunt, & inſpecto diligentèr homine quid rei contigiſſet, ſciſcitati ſunt, utrū phantaſiis diaboli luderetur, an inſueta mortalibus lege ab inferis redivivus emerſiſſet, vel quod magis erat in ſuſpicione languoris immunitate pro mortuo habitus oculos tantum intuentiū fefelliſſet, cęterum vitam non planè amiſiſſet. Ad hęc ille gravitèr ſuſpirans non inquit, ſimulatè, ſed verè mortis incidi ſortem, at verò perpetuæ mortis ſententiā, & in anima, & in corpore proh dolor! Luerem, ſi Cæſarii Mart. Deo digna non interceſſiſſet ſupplicatio: ſubjungenſque ſecundum tenorem interrogantium, ubi fuiſſet, quod vidiſſet, & ut rediiſſet, ità ait. E corpore violentèr ejectus ad terribile, nimiſque pavendum Chriſti ſolium ducebar. Ibi circumſtantibus cum tremore millibus Angelorum ego miſerrimus conſcientiæ reus nec oculos in quenquam illorum ſupplex attollere præſumebam, ſolummodo diſtricti judicis triſtem ſententiam aeci-

cipiens à teterrimis,& horrore plenis dęmonibus ad ęternę damnationis loca trahebar abſque miſericordia. Pectuſque feriens, ac nimis flebilitèr ingemiſcens; Illius inquit horę miſeria nullis dignè exponenda verbis mei cordis memoria nunquam elabitur. Cumque me flentem procaciſſimi Dæmones cachinnantes, meiſque caſibus inſultantes ad perditionem atrocitèr impellerent,pretioſus Martyr Cæſarius mei clamationibus piè commotus cum favore Sanctæ Dei genitricis, Sanctorumque Apoſtolorum, & Martyrum procidit ante Dominum vulnerum ſuorum Stigmata demoſtrans, & dicens. O Clementiſſime Domine tremendi nominis tui cauſa hęc quondam libenter excepi, nec erat in eis perferendis, licet caro gemeret, ulla reluctatio mentis; dummodo temporalium tormentorum aſperitate corpus ſemel enecatum nullis deinceps triſtitiæ ſtimulis vel animam, vel carnem te preſide, afficeret. Quid itaque te, qui pius es, inſpiciente novis in corde doloribus premor? Ecce qui meo credulus patrocinio vitam ſuam mihi commiſit ex integro, præceps impellitur ad Inferos, jamque merito ſtultitiæ arguitur, qui vana ſpe ſeductus me coluerit, & vitæ ſuæ gubernatorem, quem in alleviandis ſaltem ſuppliciis habere non poſſit interceſſorem. In his vocibus eo coram Chriſto jacente Piiſſima Dei Genitrix Virgo Maria cum reliquis Sanctis ſe adjungens filium, & Dominum ſuum ad voluntatem Martyris flexit, per cujus imperium peſſimis Dæmonibus ereptus,jam venię ſecurus,& vitæ corpus ad hoc reinduere juſſus ſum, ut his cognitis unuſquiſque ſuæ ſalutis ſollicitior reddatur. Hæc homine perorante cum adſtantes ſtupor invaderet,perceptis Sacramentis colligit ſe ſuper feretrum, & obiit. Hactenus Surius 4. Decembris tom.6.cap.35.Libro autem quarto cap.1. de Vita S.Bernardi Abbatis, ut Baronius tranſcripſit ad annum 1138.hęc leges: Rediens Pater Sanctus ab Urbe ex Sanctorum Apoſtolorum, Martyrumque corporibus Xenia ſecum retulit pretioſa, haud modicum hunc ſibi reputans fructum eſſe laboris. Inter quę B.Cæſarii dentem, quonam modo receperit memorandum. Cum enim integrum ei prædicti Martyris caput exhiberetur, ut tolleret inde, quod vellet, dari ſibi petiit dentem unum. Fruſtra verò aliquandiù Fratres, qui cum eo venerunt laborantes conceſſum ſibi trahere penitùs non valebant. Fractis enim cultellis duobus, aut tribus,quos applicuerant,nihilominùs adhùc dens immobilis

per-

permanebat. Tum ille orandum nobis ait; Nec enim habere poſſumus, niſi martyr ipſe concedat.

Facta denique oratione reverentèr accedens incredibili facilitate duobus tulit digitis, quod ferreis ante moveri non poterat inſtrumentis.

N O T Æ.

AUt errat Surius, aut duos Cæſarios Terracinæ floruiſſe tenendum eſt, nam poſtquam tom. 6. Cæſarium Diaconum ſub Claudio Nerone paſſum aſſerit; tom. 2., ubi acta S. Flaviæ Domitillæ deſcribit, eundem corpus ejuſdem, ac ſociarum Theodoræ, & Euphroſinę humaſſe docet jis verbis. Altero die S. Cæſarius Diaconus eo veniens Sanctarum Virginum corpora nihil illæſa reperit. In facies enim ſuas proſtratæ orantes Dominum deceſſerunt; ea igitur novo ſarcophago condens in humo altiùs effoſſa ſepelivit: ſed hanc difficultatem infrà, Deo dante, enodabimus Sanctus. Gregorius Magnus die prima Novembris in ſuo Sacramentario has affert orationes pro Feſto S. Cęſarii Martyris.

Deus, qui nos B. Martyris tui Cęſarii ànnua ſolemnitate lætificas, concede quæſumus propitiùs, ut cujus Natalitia colimus etiam actiones imitemur per Dominum Noſtrum &c.

Secreta.

Hoſtias tibi Domine B. Cęſarii Martyris tui dicatas meritis benignus aſſume, & ad perpetuum nobis tribue pervenire ſubſidium per Dominum &c.

Poſtcommunio.

Quæſumus Omnipotens Deus, ut qui cęleſtia alimenta percepimus intercedente B. Cęſario Martyre tuo, per hæc contra omnia adverſa muniamur per Dñum &c.

Antiphonarium vetus Eccleſiæ Terracin. hæc habet.

Levita Cęſarius ab Africæ finibus longinqua in Auſoniam peregrinatione aſſumpta Terracinam applicuit; homo, & honeſtate morum, & fulgore ſcientiæ, & doctrinæ eloquio præclariſſimus, & alibi: Cum Terracinæ Civitas gentili more graditur benigna Chriſti pietas ne pereat, compatitur; Dum Lęvita Cęſarius ex Africæ Provincia tranſmiſſus eſt Divinitùs, ut ad eum det gloriam ſplendens doctrinæ radiis: Euſebio ſe ſociat, & radians pro-

digiis ad Fidem multos revocat. Flagitium horribile patrium ibi ſolito oſtendens deteſtabile, ne fiat, damnat illicò; proindè ad præſentiam Leontii perducitur, cujus ſpernens veſaniam, ut thura det, compellitur. Vinctus ad Templum trahitur, ut immolet Apollini. Quod mox dirutum cernitur Levitæ prece humili. Templi ruina Præſulem Firrainum nece opprimit. Quo ſęviens in Martyrem Luxurius ſat furiit. Conſularis Leontius ad fidem mox convertitur, perfuſa luce cęlitùs dum ſciens orans flectitur. Luxurii ſunt viſcera corroſa morſu colubri Maurii, dum opera Levitæ poſſunt cognoſci confunditur gentilitas, & Martyris virtutibus exultat Chriſtianitas in Deum dignis laudibus. Terracinenſes gaudeant Civitatis gloria, in qua regnare valeant per hujus merita, Amen.

Gelaſius Secundus S. Sedis Apoſtolicæ Pontifex, qui fuit Conſtantius, ſeù Gregorius Cajetanus poſſeſſionem S. Cęſarii verſibus adornavit, quæ temporum injuria intercediſſe exiſtimamus, ait Petrus Diaconus de Viris illuſtribus Caſinen. in Gelaſii Vita cap.22.pag.99. Albericus Diaconus ſcripſit paſſiones Sācti Modeſti, & S. Cęſarii. Opera ejus extant in Biblioteca Conventus S. Crucis Florentiæ Min. Convent. ex Chron. Caſſin. lib.3. cap.33. Divum Cęſarium Diaconum ſub Nerone martyrium ſubiiſſe docent præter Surium Ptolomæus in indice dicens Terracina lib.3. cap.1.

Hic S. Cęſarius, & Julianus ſub Claudio Imp. Martyres, & Uſuardus cum addit. Jo: Molani ait Kalen. Novembris. In Campania Civitate Terracina Sanctorum Cęſarii Diaconi, & Juliani Presbyteri, qui Cęſarius tempore Claudii diebus multis in cuſtodia eſt maceratus, & poſteà cum eodem in ſaccum miſſus, ſicque in mare præcipitatus. Henricus Caniſius in ſuo Menologio ita habet. Eodem die Natalis Sanctorum Martyrum Juliani Presbyteri, & Cęſarii Diaconi ſub Claudio Imp., & ut refert Ado Cęſarius tempore Claudii veniens ex Africa ad Terracinam Campaniæ Civitatem, dum contra idolatras proclamaret in publico tentus eſt à Firmino Pontifice, & in cuſtodiam recluſus. Ferrarius autem poſt Surium hoc modo complectitur acta S. Cæſarii inquiens. Cęſarius Diaconus Nerone Imperante ex Africa Tarracinam venit, quo tempore Firminus Idolorum Pontifex morem hunc deteſtandum invexerat, ut quotannis aliquis juvenis

per

per aliquod temporis ſpatium delicatè enutritus, pretioſoque amictu indutus, oblato priùs ſacrificio, tota Civitate eum comitante ſe pro Reip. ſalute ex alto montis vertice Kalend. Januarii præcipitaret; cujus cineres, combuſto corpore in Apollinis Templo, tanquam in Divos relati aſſervabantur. Hunc morem Cęſarius publicè deteſtatus juſſu Firmini comprehenſus cuſtodiæ traditur. Intereà Leontius Campaniæ Præſes Fundis accerſitus Tarracinam adveniens Firmini, Luxuriique perſuaſu Cęſarium Diis immolare compellebat; quo ad Apollinis Templum ante Præſidis rhædam tracto, ſtatim illud ad preces martyris corruens Firminum Pontificem oppreſſit. Tunc Præſide abeunte Cęſarius à Luxurio carcere incluſus anno integro ſquallore maceratus, cum Leontius à Luxurio conſultus, quo ſupplicio martyr afficiendus eſſet adveniſſet, prodiit è cuſtodia macie confectus vinctus, & nudus à capillis ſuis tamen contectus (tantum excreverant) qui modico orandi ſpatio à militibus impetrato, in medio fori, ubi ſe humi abiiciens Chriſto Domino gratias egiſſet, mox coruſca lux de Cęlo emicuit, eumque protexit. Quod Leontius cernens Deum verum eſſe exclamans, quem Cęſarius prædicaret, ſe ad illius pedes proſternens [cum prius clamyde ſibi detracta martyrem induiſſet] ſtatim ſe ſacro fonte expiari petiit: quo tempore adveniens Julianus Presbyter Leontium aquis priùs ſalubribus expiatum Sacro etiam Domini corpore refecit. Iſque refectus immaculatum ſpiritum Deo reddidit. Quo ſpectaculo commotus Luxurius Julianum, & Cęſarium ſacco incluſos in mare præcipitari juſſit.

Cui Cæſarius ad ſupplicium ductus. Nos quidem inquit aqua tanquam filios ex ea renatos ſuſcipiet, te verò hodiè coluber invadet, devorabitque. Qui equo inſidens ad villam ſuam egreſſus à ſerpente quodam ex arbore proſiliente invaſus eſt, & ventre ſibi ex morſu venenato diſrupto miſere interiit, cum Angelos pſallentes, & corpora Sanctorum Martyrum reportantes ad littus vidiſſet; quæ a S. Euſebio ſepulta ſunt.

Hæc Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italię. Eadem docet Rabanus in ſuo Martyrologio Kal. Novembris, ubi ait. Eodem die Natale S. Cæſarii Diaconi, & Juliani Presbyteri, qui Cęſarius tempore Claudii Imp. venit ex Africa Tarracinam Campaniæ Civitatem &c. Unde vides incuria argui non poſſe

Surium, qui Divum Cæſarium ſub Claudio paſſum eſſe dixerit, cum id tot Auctores affirment. Recentiores ferè omnes eundem ſub Trajano palmam martyrii accepiſſe tenent; alioquin quomodo corpus S.Flaviæ Domitillæ, & ſociarum ſepulturæ mandavit, ſi ſub Claudio coronatus eſt? Hinc Auguſtinus Lubin in ſuo Martyrologio die prima Novembris, ait, Natalis Sancti Cęſarii Diaconi, qui diebus multis in cuſtodiam maceratus, poſteà cum S.Juliano Presbytero in ſaccum miſſus in mare præcipitatus eſt, S.Flaviam Domitillam ſepelivit anno Dñi 100., paſſuſque eſt ſub Trajano. Ejus corpus (uti diximus ſupra) Romam tranſlatum conditum fuit in Eccleſia proprio nomine, erecta, ac dicta S.Cęſarii in Palatio, de qua Baronius tomo 8. ſcribit. Imagines Auguſtorum Romam miſſas S.Gregorius juſſit reponi in Oratorio S.Cęſarii Martyris intrà Palatium, non putes locum illum fuiſſe in Palatino, vel Palatio Lateranenſi, quod Patriarchia dicebatur, ſed Eccleſiam illam, quæ aliquando Diaconia, poſteà verò titulus fuit poſita in Viæ Appiæ divortio à Latina haud procul à titulo S.Sixti. Perſeveravit eadem Eccleſia antiqua uſque ad noſtra tempora nomine tituli S.Cęſarii in Palatio, licet à Sixto V. expuncta, & à Clemente Papa VIII. iterum reſtaurata,& in eundem titulum reſtituta. Ibidem olim Monachos Græcos habitaſſe auctor eſt Pater Marſilius Honoratus, in libro cujus titulus *Fida ſcorta de Pellegrini*: Eandemque Abbatiam fuiſſe docet Baronius die prima Novembris in Notis ad acta S. Cæſarii dicens. Erat ibi Abbatia una ex viginti duabus, quas notatas vidimus in antiquo Rituali, quod habetur in Bibliotheca Vaticana in codice manuſcripto, cujus eſt titulus liber cenſuum. Quæ quidem Eccleſia poſteà converſa eſt in titulum. Ea diruta corpus Martyris translatum eſt in Baſilicam Helenianam dictam alio nomine Sanctæ Crucis in Hieruſalem in agro Seſſoriano; ubi hactenus religioſiſſimè aſſeruatur. Cęterum præfatam antiquiſſimã hujus Sancti Eccleſiam vetuſtate collapſam, & inter vineta vepribus, ſituque obductam jacentem Sanctiſſimus Pontifex Clemens Octavus hoc ipſo anno, quo hæc denuò cudimus reſtituere, ornareque feliciter aggreſſus eſt. Agimus de ea Eccleſ. annal. tomo 8. in Sergio Primo Romano Pontifice, ait Baronius.

CAP.

CAP. IV.

Acta Sancti Silviani Confeſſoris Epiſcopi Africani, & Secundarii Terracinen. Patroni.

VAlentinianus Major quintus poſt Chriſtianiſſimum Principem Conſtantinū ab exercitu Niceæ Imperator creatus totius Orbis gubernacula obtinuit; inde Valens germanus ab eo Auguſtus, imperiique conſors dictus eſt: ſed licet fraternitas germanos eos effecerit, morum tamen diſſimilitudo alienos, ac diſpares demonſtravit; etenim Valentiniani geſta ab hiſtoriographis laudibus ornantur, Valentis autem vita omnium ſcelerum genere redarguitur, utpotè qui in proprium Dominum impietatis arma commoverit. Erat tunc temporis quidam Apollinaris nomine Laodicenſis Eccleſiæ Epiſcopus, qui ſcientia, quæ animos inflat,turgidus hæreſim condens ſe ab Eccleſia Dei abſcidit, & poſt ſe perditorum agmen trahens, eos cauterio ſui nominis denotavit. Hujus itaque peſſimi magiſtri malus Valens diſcipulus per ſegetes Chriſti zizanias dęmonis diſſeminare cæpit, & effrenata libertatis audacia in quarto ſui imperii anno talem tulit legem, ut Monachi compulſi arma bellica tractantes ſæculo iſti magis, quam Deo ſervirent, & militarent. Nolentes verò fuſtibus, & tormentis necarentur. Unde Orientalis Eccleſia exagitari cæpit.

Intonuit interim circa annum Domini 439. ingens illa Vvandalicæ perſecutionis procella adverſus Eccleſiam Catholicam, quæ Fidelium pacem turbavit, turbatamque funditùs evertit. Nam quidam nefarii Miniſtri Arrianæ peſtis, quam Valens Auguſtus Uxoris Arianæ lenocinio delinitus, & ab Eudoxio Epiſcopo Ariano baptizatus propagari fecerat, propugnatores cum ſuæ ſectæ virus in Catholicos ſpargi non poſſe viderent, accitis magiſtratibus ſui erroris laqueo irretitis conferunt cum eis, quid de iis agerent, qui Orthodoxæ Fidei integritate gloriantes ſuæ veſaniæ conſentire renuiſſent, mox ex Senatus conſulto definitum eſt, ut omnes, quoniam Orientalis imperii ſoliditas variis bellorum turbinibus quatitur,concurrant in armis, nullus ſit,qui careat militiæ Sacramentis, nulla vacet religio, nullus immunis ſit ordo, qui commonitus arma non capiat, recedant procul de-

Digitized by Google

deſidiæ, recedant otia ad nihilum profutura. Magnum imperium ſine magnis viribus ſuſtineri nequit: Iſta, & hujuſcemodi vulgò ferebantur, cum nec mora per Africanas oras fertur, & refertur imperioſum edictum, omni ordini, univerſæ conditioni, ac religioni, ut arma capeſſerent, imperatur.

Factum eſt autem, ut Divini Numinis Providentia eodem tempore in Africæ finibus B. Silviani virtus, atque doctrina eluceſceret: Quippe qui Carthagine Romani Imperii quondam æmula ex nobili proſapia ortus patrem habuit nomine Eleutherium, matrem verò Silviam, ex quibus etiam ſororem nomine Rufinam ſortitus eſt. Cum adhùc puer eſſet Epiſcopo Caſtrenſi traditur, ſub cujus diſciplina diutiùs verſatus adeò profecit, ut plenam boni præceptoris perfectionem ſit aſſecutus; enimverò eadem in Silviano mentis probitas, eadem animi ſinceritas, idem Fidei tenor, fervor idem, ac denique charitatis non diſſimilis flamma, quapropter, & ipſe Epiſcopali gloria ſublimatus eſt; Ad ſummum Sacerdotium Beatus Silvianus evectus Divinis preceptis aſſiduè commiſſum ſibi informabat populum, contraque multifarias Sathanæ inſidias ſemper exhibebat attentum.

Intellexit ergo Diabolicæ fraudis commenta Divinitùs admonitus Sanctus Dei Pontifex Silvianus, adeoquè Divinis præceptis magis accomodavit aures, & ne ingens Chriſtianorum fieret jactura una cum aliis Sanctis viris quotidiè ſuum gregem, ut nefariorum Principum juſſa contemnerent; hortabatur; dicebat enim obedire Deo magis, quam hominibus debemus; arma noſtra non carnalia, ſed ſpiritualia contra diabolicas fraudes ſunt; contra proximos noſtros arma ferre nos Chriſtus vetat, quippe quibus præcipit ut ſi auferant tunicam, dimittamus & pallium. His, ſimilibuſque vocibus Africanæ Regionis cultores admoniti Arrianorum edicta deſpiciunt: Quapropter Tyranni Principes iræ facibus inflammati mandant è veſtigio, ut mandatorum ſuorum contemptores capiantur, arctentur, & omni ſuppliciorum genere atterantur. Diſcurrit itaque per Africæ fines crudelis executio. Capiuntur Chriſti Pontifices vinciuntur Domini Sacerdotes, Clericalis ordo confunditur, & in ovile Chriſti Lupus ingreſſus ſatis, ſuperque de Innocentium pœna baccatur, quorum magna multitudo inauditis tormentis excruciatorum Cælo recepta eſt. Arctatur inter hos, & ergaſtulo mancipatur Sanctus Silvianus,

nus,

Digitized by Google

nus, ac Pater ejus Eleutherius venerabilis ſenex cum matre Silvia, & Rufina ſorore cum ipſis paritèr Caſtrenſis doctor, atque alii multi Chriſti Fideles, qui Hæreticorum inſanientium errores deteſtabantur.

Poſtquam lætus, & alacer tenebricoſi carceris ſpeluncam ingreſſus eſt Beatus Silvianus ſe humi abiiciens oravit Dominum dicens; Adiutor noſter eſto Domine, & quoniam nos tuis famulis adjungere dignatus es, tuum nobis porrige præſidium, per quod & hujus teterrimi carceris ſquallores ferre valeamus, & de manibus peſſimorum Principum liberemur. Orante autem S. Silviano ecce noctis tempore luce ſolis clarior deſupèr radians, qui cunctas noctis fugavit tenebras Angelus Domini Confeſſoribus Chriſti apparvit gratiſſima ſpecie verba conſolationis, & ſalutis alloquens. Nolite timere egregii milites Chriſti, ſtrenuiſſimi pugnatores, Athletæ fortiſſimi reſumite vires reparentur animi, adhùc enim prò Rege veſtro eſtis pugnaturi, & preſſuras multas paſſuri, ideò miſſus ſum, ut conſolemini de preteritis, peraptemini prò futuris.

Manè autem facto veniunt quidam vaferrimi nuncii à Vvandalorum Ducibus miſſi, qui cæperunt Sanctos Dei viros blanditiis delinire, minis terrere, ac promiſſis etiam variis ad ſui erroris mentem inflectere, ſed quos Deus cuſtodit, nec blanditiis poſſunt decipi, nec minis terreri, neque promiſſis ullis inflecti. Cum itaque fruſtra eſſent omnes inſanorum Principum calliditates, ſummo furore correpti Sanctos Dei Præſules una cum ſociis occidi jubent: Nec mora adſunt milites, & cum gladiis ſtrictis carnifices, quibus repletus Spirito Sancto, ſolaque oratione munitus, veluti lorica amictus intrepido animo S. Silvianus occurrit, cumque vellet ſpiculator in eum ſpiculum emittere, mox adfuit cæleſtis gladius, qui nefariam manum areſcere fecit. Nihil tamen his ſignis movetur hæretica cohors, quin immo alter de malignorum cuneo præ cæteris audaciſſimus proſilit, & ſacram ſtolam arripiens veluti per vilem funem eum trahere cæpit, ut capite plecteret, cui Divina ultio manus quoque areſcere fecit. Quibus auditis ſummopere indignati Vvandalicæ perſecutionis miniſtri, eradicemus, ajunt, à Lybicis oris ſtirpem tam nefariam, atque illico perquiritur, & perquiſita arripitur navis vetuſtiſſima quæ utpotè inutilis haud procul à littore fraceſcebat inanis, eidem-

demque imponitur ſacer Sanctorum Chorus Silvianus, Eleutherius, & Caſtrenſis Epiſcopus cum aliis multis, ut ſic belluarum maris eſca fierent, ac veluti viliſſimæ merces in maris profundo demergerentur; præterea ludibrio fuere innumeræ hæreticorum rates: quæ circumnantes, & cavillantes dehiſcentem navem uſque in altum mare ſecutæ ſunt; ſed non eſt prudentia, neque conſilium contra Dominum, qui eam incolumem ad prædeſtinatum portum traduxit.

Appulit ergo navis lacera, & carioſa ad Campaniæ littora. Verum ne tantum prodigium in occulto eſſet, & ut Impios confunderet, jubente Sancto Dei Viro Caſtrenſi, & Silviano navis pertuſa in Africanum portum reducitur. Interea Sacratus Sanctorum Chorus Angelo preęunte per diverſa Campanię loca prò ſalute Fidelium tribuitur. Sanctis itaque Eleutherio, Silviæ eorumque filiis Silviano, & Rufinæ uberrima Urbs Terracina ab Angelo Domini aſſignatur, ut eos in æternum poſſideat, celebret, & veneretur. Cum autem Dei gratia concomitante una cum Parentibus, & Sorore ad Terracinenſes fines S. Silvianus perveniſſet, non popularibus ſe tumultibus immiſcuit, non pulchra Urbis męnia elegit, ſed circa cujuſdam montis radices, qui Feronias dicebatur, ſtationem fixit, ubi in hymnis, & canticis Angelicis Sanctiſſimam vitam ducens miraculis coruſcare cæpit. Quippè qui hominem quendam una cum conjuge per multos annorum curriculos gravi languore oppreſſum nomen Domini ſuper eos invocans dicto citiùs ſanavit; mox offertur ei Dæmoniacus quidam, ſuper quem orans antiquus ſerpens protinùs exivit. Percrebuit interim Terracinæ fama Sanctos Dei vivos adeſſe in eorum finibus. Unde ruunt præcipites Viri cum mulieribus, ſenes cum junioribus, & Sanctos Dei perquirunt, perquiſitos inventis ſacra veſtigia oſculantur: Nec mora advenit Jo: venerabilis Terracin. Pontifex cum univerſo Clericorum ordine, & Sanctos Dei interrogat cujus ſint, unde venerint; Interrogati reſpondent, qui eſſent, qualitèr à Lybicis oris propter Catholicam Fidem exularent. Gratias agunt Deo una cum ſuo Antiſtite Terracinenſes, qui eos eis conceſſerit, & quidquid ſubventionis dare poſſent, promittunt.

Accidit interea, ut Joannes Terracinen. Paſtor migraret ad Dominum; illicò itaque Anxurates eum ſibi in Patrem, in donum

num ab hora eadem accipiunt, & venerantur; ad ſolium autem Epiſcopale evectus B. Silvianus à Clero, & populo Terracinen. Romano Pontifice confirmante eiſdem cæleſtis fluenta doctrinæ largiter impertit cumque operibus Divinis quotidiè magis inſiſteret ibidem Confeſſor eximius nono ſui regiminis menſe vertente cognovit in Spiritu ſupremum diem adeſſe ſibi, convocataque Fideliũ multiplicitate eiſdem quid eventurum eſſet, ediſſerit, atque ut ſe voluntati Dei committant, obteſtatur; poſtmodum benedictionem à Sanctis genitoribus exponens oculis in Cælum elevatis prò univerſo populo Terracinen. obnixè oravit dicens, deprecor te, Deus Pater Omnipotens una cum Filio tuo, & Spiritu Sancto, qui me uſque adhùc vitæ finem in Fidei tuæ ſtadio currentem roborare dignatus es, ut ſuper hunc populum per tuam clementiam benedictionis tuæ dona diffundas, qui me exulem à Natali ſolo benignè excepit, benignè tractavit, ac monitis meis, in quantum potuit devotiſſimè paruit, & hæc dicens Sanctiſſimum Spiritum efflavit; Accurrunt protinùs in ejus tranſitu Cælorum aves, quæ miro modulaminum concentu lætas inferias Sancto Epiſcopo concelebrant. Interim ille rogatus nautarum fluctibus occurrit, morbos expellit, aliaque multa ſigna facit, ut etiam poſt mortem ſe vivum eſſe inſinuet: Corpus autem ejus decentèr prout ea tempora ferebant, ſepelitur in loco proximo Eccleſiæ Sancti Salvatoris, quę modo titulo Sancti Silviani inſignitur, & extat propè radices montis Lejani ad Vallem Sanctam, poſtmodum translatum eſt in Eccleſiam Cathedralem Terracin. ubi exuberant eis beneficia uſque ad hodiernam diem.

CAP. V.

Translatio S. Silviani Epiſcopi.

IN tanta diuturnitate, & confuſione, temporum tot bellorum tumultibus Italia agitata, ubi corpus S. Silviani Epiſcopi lateret, ignorabatur, quippè dirutis Eccleſiis, excifis monumentis omnis memoria ejus evanuerat. Quando pacatis Italorum rebus ecce magnificus Chriſti Confeſſor circa medium noctis cuidam Terracinen. nomine Joannis in ſomnis apparuit, & locum haud procul ab ejuſdem Joannis prædio, in quo ſepultus fuerat,

rat, demonſtravit; inſuper ut hoc Epiſcopo, & cunctis Civibus indicaret benigna collucutione mandavit: Ipſe verò Joannes Divini muneris, & ſupernæ diſpoſitionis ignarus narrare gaudium ineffabile, quod erat Terracinę eventurum, negligentia diſtulit; cumque eundem Juvenem ſecundo in ſomnis Beatus Silvianus commonuiſſet, nec ipſe iteratam viſionem, quam viderat, indicaſſet, cuidam alii Civi Cajetano nomine quoque Joannis idem per ſomnum demonſtravit, & juſſit. Qui utique manè facto viſionem nocturnam Epiſcopo ſollicite nunciavit, ac deindè univerſis Cajetæ Civibus convocatis, quod à Sancto Dei didicerat, publica voce renunciavit.

Concurrunt illicò ad rei famam omnis generis viri vicinarum Urbium, atque Caſtrorum totius Cajetæ Ducatus, commeatus, & arma parantur, atque B. Silviani corpus viribus auferre confidunt, ſed quia præ cæteris ſibi Terracina complacuit; Tertio iterùm Venerabilis Præſul Juvenem Terracin. ſollicitat, qui trina viſione commotus confeſtim, quod in ſomnis viderat Epiſcopo, & omnibus ſuis Civibus nunciavit. Nec mora, continuò concurrunt Viri, & mulieres, Juvenes, & ſenes, & ubi dici quæritur inventus eſt B. Silvianus, cujus venerabile corpus una cum corpore Silviæ Matris, & Rufinæ Sororis Epiſcopus Terracinen. & qui cum eo aderant Clerici devotè ſuſcipientes cum hymnis, & laudibus Deo gratias agentes in curru impoſita ad Urbem Terracinen. deducere feſtinabant. Fit trina iteneris remoratio, & trinis ipſum votis Terracinenſes Cives perpetuò venerari promittunt.

Ubi verò ad locum, qui ortus balnei dicitur, ventum eſt, Cajetanorum multitudinem copioſam cum propriis armis accedere vident, quippè armis B. Silviani corpus arripere confidebant; ſed voluntate Dei factum eſt, ut nequid mali accideret, tenebricoſa nubes inter utroſque medians ſtaret, ità ut ſe invicem non ſolum contingere, verum etiam videre non poſſent; tandem beatiſſimum introducitur corpus, & intrà hujus Urbis mænia cum laudibus cuſtoditur. Cajetani verò Divinum miraculum cognoſcentes, & Sanctum Antiſtitem Terracinam ſibi præeligiſſe videntes precibus efflagitant, ut aliquid de B. Silviani corpore ad ejus memoriam, & venerationem ſibi largiantur; Conſilio autem habito Terracinenſes brachium eiſdem conceſſere, quod

ſecum

ſecum in Patriam, ubi nunc quoque aſſervatur, deportarunt. Sacrum verò Silviani corpus una cum matre Silvia, & Rufina Sorore in Eccleſia B.Cęſarii Levitæ, & Martyris juxtà, magnum altare ad dexteram Epiſcopus, & Clerici cum honore reverentiſſimè condiderunt,ad cujus nomen Terracinenſes Cives ibi extruxerunt altare, in quo exuberant ejus beneficia uſque ad hodiernum diem ad laudem, & gloriam Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum; Amen.

Oratio.

Deus, qui B.Silviano Pontifici tuo in maris fluctibus dediſti ſemitam firmiſſimam, & mirabilitèr in ſuorum Devotorum ſupplicationibus ſublimaſti, tribue quæſumus, ut per ejus interceſſionem à cunctis mentis, & corporis periculis liberemur per Dominum &c.

N O T Æ.

HUjuſmodi geſta S.Silviani Epiſcopi non proprio marte conflavimus, ſed partim ex quibuſdam manuſcriptis à Gregorio Terracinen. Epiſcopo exaratis, quæ mihi tradidit admodum Reverendus Dominus Leonardus de Trento Archipreſbyter ejuſdem Civitatis, partim ex quibuſdam monumentis veteris Antiphonarii Terracinen. Eccleſiæ collegimus, quæ ambo in omnibus reſpondent, & inter ſe conveniunt, & manuſcripta eleganti quidem, ſed admodùm prolixo ſtylo ducta ſunt; quare nos ea utpotè prolixiora contraximus, & quia nonnulla erant ibidem Baronii, Ughelii, & Michaelis Monachi authoritatem ſecuti emendavimus, & reſtituimus germanæ veritati: Quippe qui ea omnia, & alia id genus, quæ in Vvandalica perſecutione facta eſſe docet Martyrologium Romanum, inconſultè admodum Valenti Imperatori adſcripta erant;jure itaque nos illa correximus. Baronius in notat. ad diem 22. Junii, & alibi habet Vvandalos ingreſſos eſſe in Africā anno 427. ſub Regibus Gunthario, & Genſerico germanis fratribus; perſecutionem verò à Vvandalis ipſis conflatam exagitaſſe Africanam Eccleſiam ab anno 437. uſque ad annum 534., cujus auctoritati, & calculo ſine ullo ſcrupulo ſtandum eſt: Contigit itaque expulſio S. Silviani, adeoquè S.Caſtrenſis, & Sociorum circa annum 440.agente

Digitized by Google

Theodoſio Juniore annum Imperii trigeſimum tertium, & Valentiniano decimum ſextum; quamvis alitèr innuere videatur Antiphonarium vetus Terracinen. Eccleſiæ, cujus notas ad verbum hic fideliter ſubnectimus, & ſunt hujuſmodi: O magna Chriſti Pietas omni proſequenda laude, qui ſuum famulum Silvianum in maris pelago cum navi fracta à Tyrannis expoſitum ad portum incolumem cum felicitate perduxit. Sanctus namque Silvianus Natione Africanus, nobilique proſapia ortus, cujus Pater Eleutherius, mater verò Silvia dicta. Hic in diſciplina Caſtrenſis Chriſti Pontificis verſatus perfectionem boni Magiſtri eſt aſſecutus, qui cum probis polleret moribus Pontificali ſublimatus gloria, adhùc etiam meruit pertingere, ut in totum meritis Confeſſor Chriſti fieret eximius.

B. igitur Silvianus lætus, & alacer pergens ad carcerem orabat ad Dominum: Adjutor noſter Domine tuum nobis porrige præſidium, per quod à ſqualloribus eruamur carceris, & de manibus peſſimorum Principum. Orante autem S. Silviano ecce noctis tempore luce ſolis clarior deſuper radians, qui cunctas noctis fugavit tenebras Angelus Domini Confeſſoribus Chriſti apparuit gratiſſima ſpecie verba conſolationis, & ſalutis alloquens. Nolite timere egregii milites, ſtrenuiſſimi prælii pugnatores reſumite vires, reparentur animi, adhùc enim pro rege veſtro eſtis pugnaturi, & preſſuras multas paſſuri, ideò miſſus ſum ut conſolemini de præteritis, peraptemini pro futuris, adhùc enim pro rege veſtro eſtis pugnaturi.

Cum Valentis Cęſaris ſacrilegi per Orbem intonante procella contigit ut Africa acrius affligeretur, mandat Chriſticolis capeſſere arma, quod Deo dicata plebs eſſe facturam nequaquam reſpondit. Hujus Tyranni carnificis edicta complere velociter ſtudentes talibus decretis parere nolentes acriter affligũt. Athlęta Dei Pontifex Silvianus ſacro repletus ſpiritu pro Fide Chriſti certaturus proceſſit. Sacerdos Dei contra ſe mucronibus ſtrictis irruentibus velut lorica amictus ordinario obſtitit intrepidus; mox adfuit cæleſtis gladius, qui ſpiculatoris manus fecit areſcere, cum autem unus de malignorum cuneo audacior cæteris quaſi per vilem funem ſacra ſtola trahere cæpit, mox adfuit cæleſtis gladius &c.

O magnum, & horrentius facinus, quos in terra ſuperare ne-

nequit nequitia, pelagi præcipitat belvis, ſed ad tui nominis, Domine factum eſt, gloriam, qui dediſti ſanctis in mare viam, & in fluctibus ſemitam firmiſſimam, tranſvexiſti illos per aquam nimiam, & ad ſalutis prædeſtinatum portum illæſos perduxiſti.

Cæperunt poſtmodum immenſis miraculorum coruſcare lampadibus, & ad eorum doctrinam plurimi convenire. Nam alii regrediebantur mente Sancti, nonnulli gravi à languore curati. Sancta eorum monita virtutum comitabatur efficacia, ut validi languores, necnon Dæmones juſſu fugabantur. Nam credite, in quo oportet, Deo noſtro, euntes verò nunciate Principi ſua tela non capere, nec Chriſti militiam abiicere. Indignatus Cæſar illicò Sanctos mandat pertrahi, & inaudita deficere pernicie, quorum multitudo Cęlo recepta eſt.

Clemens adeſto tuis Silviane famulis, quos tantis perquiſiſti laboribus, erue nos de vitiorum profundò, qui de marinis ereptus es naufragiis.

Munus ab Æterno Deitatis fonte redundat,
Quod Terracinæ dat fertilis Africa mater,
Quæ poſt Cæſarium dat nobis Silvinianum,
Pontifici ſacro ſint laudes Silviniano,
Qui Patriam ſprevit, campanaque littora venit
Ad Terracinam ſolari parte marinam.

B.Silvianus cum ſociis preces gratiarum Deo depromit, ut eos ſuperna gratia non deſerat S. Silvianus advenientibus populis cęleſtis impertit fluenta doctrinæ. Cum S. Silvianus operibus Divinis ſedulus inſiſteret, cognovit diem ſupremum adeſſe ſibi. Sic nos aptemus, ut cum vitæ noſtræ finis advenerit cum Sanctis omnibus hæredes conſtituamur in Cęlis. In ejus tranſitu Cælorum aves adveniunt, nautarum occurrit fluctibus, in Chriſti nomine morbos expellit; Domine te deprecamur, ut cujus corpus habere meruimus, noſtris in neceſſitatibus ſentiamus fideliſſimũ. Hæc vetus Antiphonarium Terracinen. Eccleſiæ, in quo multæ chartæ deerant, & multa non intelligebantur. Cęterum malè Terracinenſes hunc Sanctum Silvianum appellant, quod poeticum nomen eſt, & in Poetarum uſus venire poteſt, cum omnes ferè Scriptores Silvianum, aut Silvanum eundem vocent; nobis placuit illum nuncupare Silvianum, quoniam ejus nomen à Silvia matre derivatum videbatur; quin immò Rabanus, Galeſi-

nus,

nus, Ferrarius, Caniſius, & Auguſtinus Lubin expreſsè eundem Silvianum appellant, licet alii Silvanum, aut etiam Silvinum eum nominent,& Campaniæ Epiſcopum tribuant: Baronius in notis ad diem 19. Februarii cum S.Silvianum Epiſcopũ Campaniæ legerit, nec cujus Civitatis Epiſcopus fuerit, declaretur, Epiſcopum Veliternen.fuiſſe dubitare viſus eſt,ſed omne dubium aufert tùm Martyrologium vetuſtiſſimum à mille ampliùs annis exaratum Divi Hieronymi nomine inſignitum, tùm Martyrologium Antuerpienſe, in quibus expreſsè legitur. Die 10. Februarii. In Terracina Natale S.Silvani Epiſcopi,& Confeſſoris,quod autem S.Silvanus in Martyrologiis Confeſſor appelletur, indicium eſt, aut pro Fide tormenta paſſum, ſed iis non immortuum, aut certè exilio mulctatum,ait Baronius, qui ejus vitam ſubodoratus eſt.

Eum Terracinen. fuiſſe Epiſcopum aſſerit Henſchenius, ſed quo tempore floruerit ſibi fatetur ignotum;ſocium in exilio Sancti Silverii Papæ in Inſula Pontia fuiſſe conjectatur Bollandus, quos vide tomo 2. die 10. Februarii. Verum enim verò hæc omnia dubia, atque conjecturas delent ejus acta, quæ ſuperiùs ſcripſimus.

CAP. VI.

Acta Sancti Eleutherii Confeſſoris Epiſcopi Africani, & Secundarii Terracinen. Patroni.

AFrica, quæ ſemper monſtrorum Mater habita eſt, locuples etiam Seminarium illuſtrium Sanctimonia Heroum eſſe promeruit, unde ejus Sanctorum gloria Terracinam uſque derivata eſt, quam mire illuſtravit, ac mirum in modum tot ſacrorum corporum pignore locupletavit; quod quidem in cauſa fuiſſe credimus, ut tres Africanos Cælites ſibi in Patronos Terracinenſium Urbs aſſumeret,atque jactaret.

In horum numero eſt S. Eleutherius venerabilis ſenex, & Confeſſor eximius, qui cum eſſet in Partibus Libyæ potens opibus, nobilis proſapia, ſed nobilior moribus, & juxta ſui nominis præſagium erga omnes Liberalis, ac timens Deum Divina ſic diſponente Providentia non multum longe à Civitate Carthagi-

gi-

ginenſium uxorem duxit de gente regali nomine Silviam,qui cum per aliquod tempus commorans Dei favente Clementia præclaræ indolis genuit filium, quem ad matris ſuæ nominis imitationem Silvianum appellavit, factumque ætate ſatis congrua litteris ſub Diſciplina Caſtrenſis Epiſcopi, à quo factus fuerat Chriſtianus,commiſit. Poſt annos verò quinque nata eſt ei filia, quam baptizavit ſimilitèr Epiſcopus Caſtrenſis, & impoſuit ei nomen Rufinam. Gemina hac prole ſuſcepta contentus B. Eleutherius gratias quam maximas egit Deo Largitori omnium munerum, cum autem eſſet triginta annorum, dixit Silviæ uxori ſuæ: Dominus meus Jeſus Chriſtus ſit inter me,& te ut in caſtitate vivamus. Annuit illa votis B. Eleutherii, atque exindè pari conſenſu caſtitatem Deo voventes cæperunt caſtitati, orationibus, eleмoſynis jejuniis, ac cæteris virtutibus operam dare, in quibus una cum compare Silvia aſſidue inſiſtens multum profecerat Beatus Eleutherius, unde factus Diaconus poſtmodùm Presbyter ordinatur, ac tandem petentibus multis Libyæ populis in quadam Urbe Africæ ad ſolium Epiſcopale ſublimatus eſt; in qua Regione Sanctiſſimi Patris veſtigia proſequens B. Silvianus ejus filius Epiſcopus quoque eſſe promeruit, cumque ambo Gregi ſibi commiſſo diligentèr incumberent, accidit, ut Africam ingens perſecutio à Vvandalis excitata affligeret, & ſuſdeque verteret. Unde cum illorum dogmatibus B. Eleutherius cum aliis multis obſiſteret, neque ullo pacto eiſdem aſſentiri vellet, variis modis afflictus, ac navi fractæ impoſitus ex Africæ plagis ad Campaniæ littera cum ſociis applicuit, ac tandem Ductu Angelico una cum venerabili compare Silvia,ſimul etiam cum egregia prole Silviano, atque Rufina Terracinen. devenit in Urbem; ubi admodùm honorifice exceptus poſt obitum ſui Nati B. Silviani præconis eximii, qui per novem circitèr menſes Terracinen. Præſul vixerat, regimen ejuſdem Eccleſię tenuit, ac demum plenus meritis, & ætate confectus poſt paucos annos ibidem obdormivit in Domino die ſexta Septembris, qua die colitur à Clero, & Civibus Terracinen., Ejus autem corpus humarunt Chriſtifideles apud oratorium, ſive Eccleſiam S. Salvatoris haud procul à loco, ubi conditum fuerat corpus B. Silviani ejus Filii; ex hoc loco poſtmodùm translatum eſt in Eccleſiam Cathedralem præfatæ Civitatis, ubi exuberant ejus beneficia uſque ad hodiernam diem ad

lau-

laudem, & gloriam Domini noſtri Jeſus Chriſti qui vivit, & regnat in ſæcula ſęcolum Amen.

C A P. VII.

Translatio S. Eleutherii Confeſſoris Epiſcopi.

Corpore B.Silviani Epiſcopi una cum Sacris Reliquiis Silviæ Matris, & Rufinæ ſororis invento creverat Terracinenſium devotio circa prætaxatum locum, quare, & Eccleſiam S. Salvatoris temporum injuria collapſam reſtaurarunt, & Sancti Silviani quoque titulo ad rei memoriam inſigniri juſſerunt. Erat tunc in Civitate Terracina quidam incola nomine Petrus, huic erat filia ab incunabulis cęca. Unde Pater cum luminaribus, & orationibus, ut filiæ ſanitatem impetraret præfatam Eccleſiam frequentare conſueverat. Factum eſt autem, ut filia viſum recuperaret, & eidem Petro B.Eleutherius perſomnum appareret dicens, quotiès Eccleſiam Silviani filii mei ingrederis, totiès me tuis pedibus irreverentèr conculcas, quod idem Petrus audiens timore perculſus reſpondit, quis es Domine? Ego, inquit, ſum Eleutherius Epiſcopus, cujus oſſa tuis quotidiè conculcas veſtigiis; Petrus verò manè conſurgens, & ad eandem pergens Eccleſiam orationem hujuſmodi fudit ad Dominum. Pater Deus Omnipotens, qui filiæ meæ horum Sanctorum meritis lumen oculorum reſtituere dignatus es, locum, in quo corpus B. Eleutherii requieſcit mihi famulo tuo inſinua, ut ei præter te debitas gratiarum actiones valeam rependere; hæc, & alia hujuſmodi cum idem Petrus diceret, maximam diei partem orationibus tranſegit, qui domum reverſus ſuper jis, quæ viderat, & audierat multam cum animo gerebat ſollicitudinem; noctæ verò ſequenti ſimilitèr idem Sanctus apparuit monens, & hortans eum, ut de loco; quem ſibi monſtraverat ad loca, in quibus reverentiùs haberetur ejus reliquias afferri curaret, Petrus verò ſanctis juſſionibus parere cupiens cum viris honeſtis Clericis, ac Laicis ad loca memorata perrexit, & eadem à Sancto præſignata raſtro fodere tàm ipſe, quàm ſocii reverentèr cæperunt; cum timore itaque terram fodientes Sac. Reliquias B. Eleutherii Epiſcopi reperere, quod protinùs omnibus Civibus ſignificari curarunt: Verum quoniam

niam Terracinenſis Eccleſia tunc paſtorali cura deſtituta erat; Archipresbyter Vivo nomine, qui cum Capitulo vicem paſtoralem gerebat cum Clericis totius Civitatis, & ſacro Virorum agmine ad Eccleſiam S. Silviani acceſſit, & pias reliquias in capſella depoſitas, Sacerdotumque humeris impoſitas cum magnis hymnis, laudibus, & canticis Terracinam honorifice deportarunt, & juxtà altare B. Martyris, & Levitæ Cæſarii ad lævam [ubi extat etiam nunc altare ejuſdem S. Eleutherii Epiſcopi] collocarunt, quarum meritis quotidiè virtutes, & mirabilia operatur Dominus, & qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

Oratio.

Deus, qui B. Eleutherium Epiſcopum caſtitatis virtute mirum in modum roboraſti, & maris fluctibus expoſitum in portum ſecuritatis perduxiſti, tribue quęſumus, ut per ejus interceſſionem in tui nominis amore roboremur, & à cunctis periculis mentis, & corporis liberemur per Dominum noſtrum &c.

NOTÆ.

CUm S. Silvianus, & Eleutherius ejus Genitor ad Campaniæ littus appulit; nam multi alii in Africa palmam Martyrii priùs exceperant, Socios habuit Caſtrenſem, Priſcum, Tammarum, Elpidium, Triphum, Griſogonum, Archelaum, Marcum, Roſium, Rufinum. Marcianum, atque alios plurimos, de quorum nonnullis video mentionem fieri apud Martyrologium Romanum die prima Septembris ità. Capuæ item alterius Prirci Epiſcopi, qui unus fuit ex illis Sacerdotibus, qui in perſecutione Vvandalorum ob Fidem Catholicam variè afflicti, ac vetuſtæ navi impoſiti ex Africa ad Campaniæ littora pervenerunt, & Chriſtianam Religionem in jis locis diſperſi, diverſiſque Eccleſiis præfecti mirificè propagarunt: Fuerunt autem ejus ſocii Caſtrenſis, Tammarus, Roſius, Steraclis, Secundinus, Adjutor, Marcus, Auguſtus, Elpidius, Canion, & Vindonius. Hęc martyrologii Romani auctoritas mirum quantum acta Sanctorum Silviani, & Eleutherii Epiſcopi confirmat. Ad unguem enim ad ea, quæ ſuperiùs ſcripta ſunt collimat, & licet quoad tempora diſſonare videantur, cum præfatus Sanctorum numerus ejectus

fuerit ex Africa tempore Vvandalicæ perſecutionis, & S. Silviani, ac ſociorum expulſio ſub Valente Imperatore accidiſſe dicatur, is tamen communis eſt error cum actis S.Priſci,& S.Caſtrenſis, quę mendis obſita correxit Baronius, & Michael Monachus Martyrologii Romani auctoritatem ſecuti:Cæterum acta S.Eleutherii Epiſcopo ex actis S. Silviani Epiſcopi pendent, quæ unitim concinnata ſcribere debueram, majoris tamen claritatis gratia ſeparatim conſcripta dedimus. Maximus autem error irrepſit circa hujus S. Eleutherii cultum in Eccleſiam Terracinen. quippè cum ejuſdem vetus traditio S. Eleutherium Epiſcopum Africanum Patrem S.Silviani Epiſcopi fuiſſe aſſerat, ut conſtat ex ſuperiùs ſcriptis, ejus loco nunc colitur S.Eleutherius Martyr Epiſcopus, & Anthia mater ejus, quod quidem erroneum eſſe credimus,& originem habuiſſe ex illo uniuerſali morbo,qui ſub Gregorio XIII. totam fere Italiam vaſtavit, & potiſſimum Terracinam, quando ea Civitas exhauſta viris nonniſi villicum quemquam Presbyterum, & ex Fabrateria miſſum, ut ex noſtris natu majoribus accepimus ſatis idiotam, & rerum Terracinen. ignarum recipiebat,cujus temporis miſerias anſam præfato errori dediſſe veriſimillimum eſt; tabulæ enim pictæ, quæ S.Eleuterii Epiſcopi effigiem exhibent, nullam in eo martyrii notam demonſtrant; ac primò conſidera picturam vetuſtiſſimam, quæ eſt apud Chorum Eccleſię Cathedralis Terracinæ,ibique cernes tres ſanctiſſimos ejuſdem Tutelares admodum eleganti ordine effictos; à dextris enim exiſtit figura B. Eleutherii Epiſcopi barbati Epiſcopali modo induti, qui in manu dextera paſtorale, in ſiniſtra verò librum tenet; A ſiniſtris extat B. Silvianus eodem modo expreſſus, ſed imberbis; in horum medio viſitur B.Cęſarius Diaconus, qui iu manu ſiniſtra pariter librum, in dextera verò palmam martyrii nobile inſigne gerit; ſi hæc tibi non ſufficiunt, accede ad Eccleſiam S.Silviani extra hanc Urbem ad radices montis Lejani collocatam, & antequam ingrediaris obſerva ad dextram verſus Septemtrionem horum Sanctorum imagines pariter in quædam muri arcuata concavitate expreſſas, & diligentèr inſpice, videbis enim à dextris S.Cęſarium Diaconum cum palma in manu dextera ſtantem, & librum in ſiniſtra tenentem; à ſiniſtris autem videbis S.Eleutherium veſtibus Pontificiis indutū, ac mitratum cum Paſtorali in manu dextera, & cum libro in manu

nu ſiniſtra, qui barbam ſub rufam interjectis nonnullis lineis albis habet; in medio horum conſpicitur S. Silvianus imberbis Pontificio more veſtitus cum paſtorali paritèr in dextera, & cum libro in ſiniſtra: ſi neque hæc tibi ſatisfaciunt, ingredere præfatam Eccleſiam, & telam, quam picturari fecit Cęſarius Melior anno Domini 1624. ſupra altare poſitam amone, illicò cernes tres præſcriptos Sanctos in pariete depictos, Divum quidem Cæſarium eodem modo, ac ſuperiùs diximus à dextris ſtantem, S. Eleutherium à ſiniſtris, S. verò Silvianum in horum medio, qui duo poſtremi pontificalibus infulis, & veſtibus ornati à ſiniſtris paſtorale gerunt, dexteram verò more Pontificio elevatam habent ad benedicendum; & ſicuti B. Silvianus imberbis depingitur, ità S. Eleutherius barbam gerit ſub rubram lineis albis interſperſam, unuſquiſque tamen ſuum nomen à latere deſcriptum habet hoc modo.

S. Cęſarius. S.Silvianus. S.Eleutherius.

Ex his colligere poſſumus S.Eleutherium ſecundarium Terracinen. Patronum non eſſe S.Eleutherium Martyrem Epiſcopum ſub Adriano coronatum, cujus Mater Anthia dicebatur, alioquin imberbis, & cum martyrii palma exprimi debuiſſet, quod non videmus factum, adeò enim juvenis præfatus Eleutherius paſſus eſt, ut à Tyranno puerulus appelletur, uti videre eſt in Actis ejuſdem apud Bollandum, aliosque Auctores; neque dici poteſt eundem Eleutherium potuiſſe Patrem S. Silviani ſimul eſſe, ac martyrium ſub Adriano pati; nam hoc impoſſibile eſt, cum Beatum Silvianum circa annum 443. tempore Theodoſii junioris floruiſſe conſtet, & Adrianus 300. annis ante, & ampliùs imperarit; quin immò ſi B.Silvianus, & Pater ejus Eleutherius circa præfata tempora exul ex Africa Terracinam venit, uti præter ejus acta teſtatur navicula depicta ſupra fornicem Altaris ejuſdem S. Silviani in prælibata Eccleſia, quæ maris undas ſulcat, nullo modo martyr eſſe potuit, ceſſaverat enim omnis Tyrannorum contra Chriſtianos in Italia perſecutio, neque ampliùs Martyres Latiale ſolum effuſo ſanguine irrigabant. Dicendum itaquè eſt, Beatum Eleutherium Terracinen. Patronum eſſe eundem illum, quem nominant Martyrologia die ſexta Septembris, & colitur eadem die Terracinæ, de quo tanta controverſia eſt, num fuerit Abbas, an Epiſcopus; Epiſcopum enim fuiſſe excepto

Digitized by Google

Baronio aſſerunt Beda, & cum multis aliis Florentinius, & licet eum Romæ tribuant, nihilominùs Rabanus quinquageſimo milliari ab Urbe Natalem habuiſſe docet: Neque pro aſſertione hujus rei à me diſcuſſæ alleges, Lector, Collectam Eccleſiæ Cathedralis Terracinæ, in qua Anthia nominatur, ea enim nullam habet ab antiquitate commendationem, uti obſervat Bollandus, & convenientiùs compingi poſſet expungendo Anthiam, & addendo alios glorioſos Cælites Terracinenſes ita. Aures tuæ Pietatis Piiſſime Deus precibus noſtris accomoda,& tuam miſericordiam, quam pro noſtris reatibus non meremur, Sanctorum tuorum Epaphroditi,Cęſarii, Valentini, Juliani, Felicis, Euſebii, Eleutherii, atque Silviani, Silviæ,Rufinæ,Domitillæ, Euphroſinæ,atquè Theodoræ, quorum patrociniis confidimus, meritis conſequamur, per Dominum &c.In hac enim eſſet S.Epaphroditus primus Terracinen. Epiſcopus, qui ibidem Fidem Chriſtianam implantavit, & S.Valentinus Civis, & Epiſcopus Terracinen.prædicatione Evangelica, & martyrii palma, ac ſanctitate clarus. Præterea eſt alia ratio, quæ S.Anthiam à Catalogo Sanctorum Terracinen. expungendam eſſe ſuadet, nulla enim ejus ſit mentio in vita S.Silviani Epiſcopi, ſicut de reliquis Sanctis ex Africa ad Campaniæ littora delatis. Inventio autem Sanctorum corporum Silviani,Eleutherii,Silviæ, & Rufinæ, uti ex fama, ex ſcriptis colligere,& conjectura aſſequi poſſumus ità facta eſt:Corruerat Eccleſia S. Salvatoris, quę tribus membris conſtabat; ut cuilibet vidęre eſt; Accidit interea ut corpus B.Silviani una cum Sacris Reliquiis Silviæ Matris, & Rufinæ Sororis eo modo, quo ſupra diximus ante milleſimum ſupra centeſimum inveniretur, quod in cauſa fuit, ut Terracinenſes eandem Eccleſiam reſtaurarent, & quoniam pars ejus dextera introeuntibus verſus Septemtrionem funditus corruerat duas alias tantum reædificarunt, ut viſui patet; ubi autem præfata corpora inventa ſunt, ædicula concamerata S. Silviani nomine inſignita, quæ eſt appendix ad veterem, Eccleſiam, conſtructa fuit. Hanc itaque cum Petrus orationibus frequentaret, ut amant modo etiam Terracinenſes, & portam antiquam ejuſdem Eccleſiæ, quæ erat verſus Occidentem, & montis Lejani jugum introiret, Eam habuit viſionem, de qua ſupra; propè eam portam veriſimile eſt inventum fuiſſe corpus B. Eleutherii, nam poſtmodum ibidem à parte interna alta-

re-

re ad ejuſdem honorem excitatum eſt, à parte autem externa ſacrarium (vulgo la Sacreſtia) effictum, quæ ambo modo ſine honore jacent. Vallis circumſtans præfatam Eccleſiam S. Silviani Secundarii Terracinenſis Patroni dicta fuit Sancta, ſive Sanctorum eo, quia priſcis temporibus ibidem Fideles Chriſticolæ occultabantur, ut Deo, & Sanctis ejus ſuas orationes ad libitum effunderent, & ut tuti eſſent ab Ethnicorum tyrannorum perſecutione, ibidemque defunctorum Chriſtianorum corpora ſepeliebantur. Mons ſupereminens dicebatur Feronius à fano Deæ Feroniæ propè ejus radices verſus occidentem poſito, modo autem āppellatur, neſcio qua de cauſa mons Lejanus, & hęc ſatis quoad Sanctos Tutelares Civitatis Terracinę.

CAP. VIII.

Acta Sanctorum Martyrum Valentini Epiſcopi Terracinen., & Damiani ejus Diaconi.

TEmporibus Magni Conſtantini piiſſimi Imp. erat quidam vir in Civitate Terracina Clarus nomine, nobilis profapia, ſed nobilior moribus, Chiſtianus, & timens Deum.

Iuxtà ſiquidem præſagium ſui nominis pollens in ſervitio Domini nocte, ac die præclarus, ac lucidus ab omnibus habebatur. Hic accepit uxorem ex nobiliſſimis primatibus ejus Civitatis nomine Flaviam ex Chriſtianis parentibus ortam Chriſtianiſſimam, ac ſatis religioſam. Commorantes denique ſimul parvo tempore Divina favente Clementia duos filios, & unam filiam genuerunt. Unum Valentinum, alterum Sabricium, filiam verò Florentiam nuncupavere gratias agentes Deo Largitori omnium bonorum. Quinquennio igitur tranſacto à tempore Nativitatis Valentinus, & Sabricius liberalibus artibus traditi ſunt à Parentibus; Florentia verò cuidam viro nobili eſt ſociata. Poſt non multum verò temporis Clarus, & Flavia dormitionem accepere in Domino filios bonæ indolis ſuperſtites relinquentes. Igitur poſt mortem Parentum Sabricius domum ſuam revertens curam gerebat de omnibus bonis paternis; Valentinus verò nunquam ab Eccleſia recedens in lege Domini die, ac nocte meditabatur, & ut prudentiſſima apis flores Sacrarum Scripturarum ſine intermiſ-

miſſione carpere non ceſſabat. Videns autem Præſes ejuſdem Civitatis Avitus nomine prudentiam Sancti juvenis nolentem, & invitum Sacris Ordinibus ſublimavit; ſperans eum poſt ſuum deceſſum (ſicut Deo auctore factum eſt) ſuperſtitem fore. Denique poſtquam ſummis Ordinibus Sanctus Vir eſt promotus totum ſe in Campo S. Eccleſiæ ingerens caſtitati, humilitati, ac cęteris virtutibus cæpit operam dare, & ſi quid forte ex ſuo labore, vel aliundè habere poterat, pauperibus erogabat, nihilque de craſtino cogitans irreprehenſibilem ſecundum Apoſtolum ducebat vitam.

Factum eſt autem ut Sanctiſſimus Avitus Epiſcopus migraret ad Dominum, & Eccleſia Terracina proprio paſtore orbata, veluti navis in pelago tempeſtatibus quateretur. Fideles Chriſticolæ ab impiis Civibus duriſſimè concutiebantur. Omnis deniquè fidelis populus ejuſdem Civitatis ad Eccleſiam confluens paſtorem ſibi Valentinum fieri optabat: Sanctum, juſtum, & dignum eum eſſe clamitans: Voces una omnes extollebant ad Cęlum.

Tandem cum fugientem, & recuſantem, invitum, & nolentem cum magna violentia Epiſcopali Throno ſublimarunt: Videns Sanctus Vir voluntati Dei ſe contraire non poſſe, accipiens regiminis curam perrexit ad montem Soracteſa, ubi Sanctiſſimus Silveſter Urbis Romæ Epiſcopus perſecutione Conſtãtini Imperatoris latitabat; atque ab eodem Sanctiſſimo Præſule ſatis honorificè receptus, & conſecratus, reverſuſque eſt ad Civitatem Terracinenſem, ubi cum ingenti honore, ac lætitia virorum, & mulierum à Clero, & univerſo populo eſt receptus.

Poſtquam igitur Arcem Epiſcopatus S. Valentinus aſcendit de virtute in virtutem proficere cępit, curam agens de egenis, viduis, & orphanis, ac neceſſitatem habentibus quidquid habere poterat, erogabat. Erat intereà quædam Vidua in Civitate Terracina Præla nomine, quæ habebat unicum filium nomine Damianum, & non erant ei cibaria, unde cum unico filio aleretur. Hæc acceſſit ad pedes almifici Præſulis Valentini rogans eum, ut ſuæ inopiæ ſubveniret, quatenùs ipſa vivere, & ſuam prolem poſſet nutrire.

Motus itaque piiſſimis Pater precibus pauperrimæ mulieris accepit infantem in brachiis ſuis, & amplexatus, ac oſculatus

eſt

Digitized by Google

eſt eum ; atque in conſpectu omnium, qui aderant, adoptavit ſibi eum in filium.

Mulieri verò quinquaginta aureos donavit, ut ſuam inde paupertatem relevaret ; & ſic gaudentem remiſit mulierem ad propria, puerum autem ſecum retinuit. Cæpit itaque Sanctiſſimus Præſul puerum diligentiſſime enutrire, & in Dei ſervitio ſtudioſiſſimè informare, imbuens eum Eccleſiaſtica doctrina juxtà conſuetudinem, & ritum ſacrorum Patrum. Poſtquam autem adolevit à Sanctiſſimo Patre, & Antiſtite ad Diaconii gradum promotus in doctrina magiſtri ſedulus manſit.

Florebat tunc temporis Eccleſia Dei vigore piiſſimi, & Chriſtianiſſimi Imp. Conſtantini, qui nuper à Beatiſſimo Papa Silveſtro baptizatus Chriſtianos, ubique Chriſtum confiteri permittens credentibus libertatem dedit, non credentibus verò ſervitutis poculum propinavit. Tanta enim ſerenitate illis diebus Eccleſia Dei luſtrabatur, ut nullus Gentilis publicè auderet Diis ſacrificare, neque alicui Chriſtiano injuriam irrogare. Ubique Dei Templa erigebantur; ubique Dei Crux vigebat: Fideles lætabantur, & infideles confundabantur ubique. Factum eſt autem poſt mortem Sereniſſimi Imp. Conſtantini, ut Julianus Apoſtata (qui erat Subdiaconus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ nutritus etiam, & eruditus à Prigmenio Presbytero ſecundum Eccleſiaſticum ritum) Chriſtum negaret, & Eccleſiaſticam doctrinam relinqueret, atque Imperialia Sceptra obtineret, eo quod eſſet de ſtirpe, & familia Cæſarum procreatus. Hic conſtituit ex jure Romanæ legis, ut Chriſtiani ubique militarent, & auferebat ab eis omnes facultates, & poſſeſſiones dicens Chriſtum in Evangelio præcepiſſe. Qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe Diſcipulus. Addidit autem ad confuſionem Chriſtianorum, & ad ſuæ damnationis cumulum, ut mitterentur leges, & imperia per univerſum mundum, ut ſi quis non negaſſet, & Idolis non ſacrificaſſet, ſtatim puniretur. Miſit autem diverſos Duces, Præfectos, Tribunos, atque Comites per diverſa regna, & loca, qui ubique Chriſtianos compellerent Idolis ſacrificare ſecundum Imperiale præceptum, dans & aliud mandatum, ut quicumque Chriſtum negaret, & Idolis ſacrificare voluiſſet, ampliſſimis donis, & Imperiali Aula ditaretur, qui autem eorum nefandiſſimis juſſis non obtemperaſſet, diverſis pęnis affecti capitali ſententia punirentur.

Acci-

Accidit interea ex hac peſtifera Imperiali ordinatione, ut quidã nefandiſſimus Præfectus nomine Aufidianus veniret Campaniam ad extirpandos Chriſtianos. Qui veniens in Civitatem Terracinam cum magno exercitu cæpit Chriſtianos requirere, ut eos compelleret ad ſacrificandum Idolis. Audientes autem hæc turbæ virorum, & mulierum Chriſtianorum confugere omnes ad Sanctum Epiſcopum, & jactavere ſe ad pedes ejus clamantes, & dicentes. Pater Sancte, redime nos tuis Sanctis precibus de poteſtate tyranni hujus, ne quando inimicus dæſeviens glorietur de ovibus Chriſti. Tunc B. Valentinus prorumpens in lacrymas cæpit eos blande conſolari dicens. Fratres, & Filii mei nolite timere machinas, & inſidias malignantium. Valet enim valida manus Domini, & hos deiicere, & in terram proſternare, & ſervos ſuos liberare de omnibus periculis,& inſidiis malignantium. Hęc dicens Sanctiſſimus Præſul cum magna feſtinatione agens ſacra miſſarum ſolemnia tradidit omnibus almificum corpus,& ſanguinem Domini, dans omnibus ultimum pacis oſculum, commendavit eos Chriſto, cum autem hæc agerentur quidam nefandiſſimi Urracius,& Hireneus acceſſerunt ad Præfectum,& dixerunt ei Illuſtriſſime Virorum Domine Præfecte eſt quidam magus nomine Valentinus in hac Civitate, qui contra Deos, & contra Imperatores agens, non ceſſat quotidie neſcimus, quem Chriſtum prædicare, Templa Deorum ſubvertere, & omnes, quos valet ſubtrahere à cultura Deorum Audiens hæc impiiſſimus Præfectus ira commotus præcepit ſuis militibus ut cum magna verecundia expulſus de Eccleſia ſua traheretur ad ejus conſiſtorium. Milites verò perficientes ejus nefandiſſima juſſa venerunt, ubi Sanctiſſimus Præſul manebat, & cum magno furore illum trahentes pręſentaverunt eum iniquiſſimo Præfecto. Damianus autem flens, & ejulans amariſſimè ſequebatur eum uſq;ad conſiſtorium Præfecti.

Aufidianus denique Præfectus intuens Valentinum Epiſcopum interrogavit eum dicens. Tu es Valentinus ſacrilegus, qui contra Deos, & contra Imperatores agens deſtruis Templa Deorum, & omnes, quos potes ſuadere, alienare facis ab eorum cultura? Sanctiſſimus Valentinus reſpondit. Ego ſum pecccator Valentinus non ſacrilegus, ut tù dicis, ſed Chriſtianus; Epiſcopus licet indignus, qui in quantum poſſum Eccleſiam Dei ædificare non ceſſo. Homines verò, qui ad imaginem Dei facti ſunt, ſem-

ſemper ſuadeo, ut relinquant culturam Dæmoniorum, & ad culturam Chriſti Filii Dei ſtudeo illos revocare. Hęc audiens nefandiſſimus Præfectus exarſit ut ignis, & juſſit miniſtris, ut tamdiù cum fuſtibus cæderetur, quo uſque ſpiritum exhalaret. Tunc miniſtri cæperunt juſſa perficere, & extendentes eum in terra tota virtute cædebant eum in tantum ut oſſa, & nervi ejus rumperentur. B. autem Valentinus vultu, & mente hilaris perſiſtens dicebat. Gratias tibi ago Domine Jeſu Chriſte, qui me inter ſervos tuos numerare dignatus es; & hæc dicens miniſtrorum brachia diſſolvebantur. Damianus autem Diaconus cæpit clamare, & dicere. O Filii diaboli, quis vos coarctat Diabolus in Sanctum Dei Præſulem iſta mala exercere? Audiens hæc Præfectus juſſit, ut & iſtum diutiſſime cæderent. Quod cum factum eſſet, præcepit ut ambo mitterentur in carcerem, & per totum carcerem fragmenta teſtarum ſternerentur, ut vel ſic cruciati Chriſtum negarent.

Intrantes autem carcerem Sancti Martyres voce clara pſallebant. Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium. Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Adjutorium noſtrum in nomine Domine, qui fecit Cęlum, & terram. Miniſtri autem conſtringentes catenis manus, & pedes, ac colla eorum diligentiſſimè clauſerunt carcerem, atque in introitu ipſius carceris ſe locaverunt per totam noctem. Circa mediam verò noctem venit Angelus Domini, & ſtetit juxta Martyres, & ait ad eos, Nolite fortiſſimi Athletæ Dei formidare pænas iniquiſſimi Tyranni, quæ ad modicum valent, quia præparavit Deus vobis requiem, & lucem æternam, atque immarciſcibiles coronas de manu Domini accipietis, ſi uſque ad finem in fide nominis ejus perſeverabitis. Hæc eo dicente tanta lux obumbravit carcerem, ut cuſtodes, qui ante januam carceris jacebant, putarent ſe ictu fulminis interire. Protinùs verò conſolidata ſunt oſſa eorum, & omnia membra eorum ſanitati ſunt redonata. Catenæ autem, quæ erant circa colla, & manus, ac pedes Sanctorum Martyrum redactæ ſunt in pulverem.

Angelus autem Domini dixit ad Sanctos Martyres. Oportet vos aliis Civitatibus prædicare verbum Dei, etenim prædeſtinavit vos Omnipotens Deus aliis locis, ut paſſio veſtra non ſit infructuoſa: Hæc dicente Sancto Angelo cæpit eos ducere foras

Digitized by Google

Civitatem Terracinam, & cæperunt Sancti ire ducatu Angelico: Poſt tertium verò diem venerunt in Comitatu Valvenſi, & applicuerunt Civitatem Corfiniam, in quam ingreſſi quædam religioſa Vidua nomine Hirene honorificè ſuſcepit eos. Huic autem erat filia, quæ ſanguinis fluxum patiebatur per annos ſeptẽ, & omnem ſubſtantiam ſuam jam expenderat in Medicos; ſed nihil ei valere poterat: Hæc acceſſit ad Sanctos Dei Valentinum, & Damianum, & oſculabatur pedes eorum dicens; miſeremini mei Sancti Dei, & liberate me ancillam veſtram à languore, quo ſum detenta. B. autem Valentinus faciens ſignum Crucis ſuper eam dixit. Salva eſto mulier ex hac hora; Statim verò ſalva facta eſt mulier à ſua infirmitate.

Tunc mulier illa videns ſe eſſe ſanam egreſſa cæpit dicere omnibus: Venite, & videte Deos latentes in effigie hominum: Denique cæperunt omnes hinc inde currere, & quotquot habebant languidos ante pedes Sanctiſſimi ponere Valentini. B. autem Valentinus faciens ſignum Crucis curabat omnes. Tunc baptizati ſunt in Civitate Corfinia à Sanctiſſimo Epiſcopo quatuor millia homines extra parvulos, & mulieres. Hæc audientes Templorum Pontifices comprehenderunt Sanctos Dei Martyres Valentinum, & Damianum, quos diutiſſimè cædentes ligaverunt funibus eorum colla, & traxerunt eos foras Civitatem, & ſemivivos eos reliquerunt. Cumque jacerent foris muros Civitatis quaſi mortui; Ecce Angelus Domini ſtetit juxta illos, & confortans eos dixit, nolite timere, ſurgite ſani, atque properate, venite ad locum, quem Dominus vobis conceſſit. Surgentes autem Sancti cęperunt iter agere cum magna fiducia.

Venientes itaque iuxtà fluvium Piſcariam in loco, ubi dicitur Pons marmoreus, invenerunt ibi quemdam juvenem jacentem paralyticum. Qui cum indè tranſiſſet, & vidiſſet miſerum miſericordia motus S. Valentinus Epiſcopus fecit ſignum Crucis ſuper eum, & ſtatim ſurrexit homo ſanus de lecto, in quo jacebat: Cumque audiſſent habitatores Civitatis Iterpromii, venere viri, & mulieres ad Sanctos Martyres, & rogaverunt eos, ut ibi morarentur per aliquantos dies.

Quibus Valentinus Epiſcopus dixit. Quia oportet nos ire in locum, quem Dominus Noſter Jeſus Chriſtus nobis prædeſtinavit, propè enim eſt finis noſtræ vitæ. Hæc eis dicentibus cæ-

pe-

pebant iter cum magno gaudio. Denique ante ſolis occubitum ingreſſi ſunt in Civitatem Zappinam, quæ erat ſita trans flumen Lavinum.

Civitas namque illa habebat iniquiſſimos, ac peſſimos homines Paganos, & Idolis deditos. Intrantes autem Sancti Martyres Civitatem hoſpitati ſunt juxta Templum Apollinis, & ibi jacuere nocte illa. Apparuit autem eis Angelus Domini, dixitque eis. Locus iſte, & Civitas iſta vobis à Domino eſt aſſignata, ut hic curſus vitæ veſtræ finiatur. Hæc audientes S. Martyres gaudio magno ſunt repleti, & ſurgentes mane cepere circuire Civitatem, & prædicare verbum Dei. Cumque ad prædicationem Sanctorum viri, & mulieres Chriſto credidiſſent, relatio currit de eis ad Proconſulem Civitatis nomine Demetrium. Huic autem erat filius, qui maximo languore vexabatur, & in extremis poſitus jam ultimum flatum trahebat. Miſit denique ſervos ſuos Demetrius per Civitatem, ut inventos Sanctos Dei cum honore ad eum ducerent; qui euntes per totum diem illos circa veſperam reperere.

Quibus dixere. Proconſul Demetrius rogat vos, ut veniatis ad eum, quia filius ejus jam ultimum flatum trahit. Tunc Sancti ſimul cum eis ire cœpere; Qui cum veniſſent ad domum Proconſulis invenere filium ejus jam mortuum, & omnes, qui aderant ejus funeri lamentantes amariſſime reperere.

Videns autem Proconſul Demetrius Sanctos Dei Valentinum, & Damianum miſit ſe ad pedes eorum dicens. Miſeremini mei Sancti Dei, quia unicus filius meus cariſſimus, quem ut animam dilexi, ante me mortuus jacet. Cui Sanctiſſimus Valentinus reſpondit. Si creditis Jeſum Chriſtum verum Deum eſſe videbis vivum, & ſanum filium tuum. Reſpondit Demetrius. In hoc apparebit virtus Dei veſtri, ſi videro vivum filium meum, ego, & omnis domus mea credam Chriſto veſtro. S. Valentinus dixit; deferte puerum in lecto ante fores veſtri Palatii. Quod cum factum eſſet Sanctiſſimus Valentinus voce clara dixit. Domine Jeſu Chriſte, qui Lazarum quatriduanum, & filium Viduæ reſuſcitaſti, tu reſuſcita, & hunc filium Demetrii Proconſulis, ut omnes, qui adſtant, credant te verum Deum cum Patre tuo, & Spiritu Sancto. Cumque S. Damianus reſpondiſſet amen; ſubito ſurrexit puer, & cæpit voce clara dicere Verus Deus Chri-

ſtus, quem prædicat famulus ejus Valentinus. Hæc audientes omnes, qui aderant, miſerunt ſe ad pedes S. Valentini una cum Demetrio Proconſule clamantes, & dicentes. Da nobis lavacrum ſalutis in Domino. Quibus Valentinus dixit parati eſtote ut proximo die Dominico baptizemini. Conſtituto itaque die baptizatus eſt Demetrius Proconſul cum filio ſuo, & omnis domus, & familia ſua promiſcui ſexus quadrigenti Viri. Baptizati ſunt cum eo omnes, qui aderant, quando filius ejus revixit viri, & mulieres quaſi duo millia. Interea B. Valentinus cæpit ædificare Eccleſias, ordinare Presbyteros, & Diaconos, & cæteros miniſtros Eccleſiæ. Deſtruebat Templa, lucoſque ſuccendebat, atque ſtudebat quotidiè cultores Idolorum extirpare. Hæc videntes Templorum Pontifices ſimul congregati cum maxima parte populi Paganorum comprehenderunt Sanctos Martyres Valentinum, & Damianum, & duxerunt eos in ſylvam magnam non longe à Civitate Zappina, ibique affixos gladiis decollaverunt, relinquentes inhumata corpora eorum; Audientes autem Fideles tranſitum Sanctorum Martyrum venerunt, & ſepelierunt corpora eorum in eadem ſylva propè magnam petram, quæ erat ibi, ubi exuberant eorum beneficia uſque ad hodiernum diem: Paſſi ſunt autem Sanctiſſimi Martyres Valentinus Epiſcopus, & Damianus Diaconus ſexto decimo Kal. Martii tempore Juliani Apoſtatæ Imperatoris. Apud nos verò regnante Domino Noſtro Jeſu Chriſto, cui eſt honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

C A P. IX.

Inventio, & Translatio Sanctorum Valentini, & Damiani.

POſtquam Divina ordinatione glorioſiſſima corpora Sanctorum Martyrum Valentini, & Damiani à Fidelibus collecta fuere, & ut illis temporibus neceſſitas incumbebat, decenter ſunt tradita ſepulturæ: Inculta, & abſque veneratione manſerunt uſque ad tempora Longobardorum, quando Italia tota ad Chriſtum converſa, omnes homines illius Provinciæ baptiſmo Chriſti ſunt conſecrati. Illis denique temporibus tanta pace tota Italia luſtrabatur, ut omnes habitarent in propriis poſſeſſionibus. Eo tempore Civitas Zappina erat deſtructa, & in vincu-

los

los redacta, & in omnibus illis Viculis non erant Oratoria pratèr Oratorium S.Salvatoris, quod ſitum erat ſupra flumen Piſcariæ. Ubi confluebant habitatores illius Provincię ad audiendum verbum Dei, & ibi tumulabantur omnes eorum defuncti. Accidit autem, ut omnes non longè ab Eccleſia manentes deferrent ruſticum defunctum, ut in eodem loco traderent ſepulturæ. Cum autem ire cępiſſent ingens pluvia mixta grandine ita eos occupavit, ut non valerent ultra procedere. Cumque eſſent in articulo mortis poſiti, ut nec demum reverti, nequè ad Eccleſiam pergere poſſent nutu, & voluntate Dei ſubtus quandam ilicem devenere. Ubi diei, multumquè ſedentes pluviæ magis, ac magis creſcebant. Conſilium agentes inter ſe cæperunt fodere ſubtus arborem illam, ut ibi mortuum ſepelirent: Cumque non multum foderent invenere tumulum, ubi corpora Sanctorum Martyrum Valentini, & Damiani quieſcebant, & invenerunt ibi Epitaphium ſupra pectora eorum. Sacerdos autem quidam, qui corpus defuncti ducebat ad Eccleſiam legit titulum, in quo erat ſcriptum. Hic requieſcunt corpora Sanctorum Martyrum Valentini, & Damiani. Videntes autem hæc admirati ſunt, & cęperunt Deum rogare dicentes. Domine Jeſu Chriſte Deus Verus de Deo Vero, ſi hæc, quæ vidimus corpora Sanctorum ſunt, reſurgat hic mortuus, ut nomen tuum ſanctum clarificetur in ſæculum, cumquè adſtantes reſpondiſſent amen. Statim reſurrexit defunctus, & magna ſerenitas Cęli facta eſt. Illi ergo homines cum vidiſſent tanta miracula, ſtupuerunt, & glorificarunt Deum, & Sanctos Martyres Valentinum, & Damianum.

Deniquè aliqui ex illis cuſtodiebant corpora Sanctorum, alii verò euntes per vicos, & Caſtella divulgaverunt omnia, quæ viderant. Tunc omnes populi regionis illius ſimul congregati conſtruxerunt ſupra ſepulchrum Sanctorum Martyrum parvum Oratorium, & clauſerunt diligentèr eorum ſepulchra. Deinde cęperunt omnes conſtruere parva Oratoriuncula in circuitu ejuſdem Oratorii, & ibi habitabant in eodem loco.

Manſerunt autem corpora Sanctorum Martyrum uſque ad tempora Normandorum, quando Trogiſius egregius miles unus ex maximis Patritiis Normandiæ Caſtrum Petræ, & alia plurima Caſtella forte, & conquiſitè tenebat. Hic Trogiſius transferre fecit corpora Sanctorum Martyrum Valentini, & Damiani, de lo-

co,

co, in quo manebant, in oratorium, quod ſitum erat in Caſtro Petræ, ubi virtutes innumeras Deus quotidiè monſtrare dignatur.

Mortuo itaque Trogiſio, & Roberto ejus filio, & alio Trogiſio filio Roberti; Riccardus filius ejuſdem Roberti præclaræ indolis adoleſcens, & jure, & conſuetudine Normandorum dignus hæres ſucceſſit majori fratri. Qui cum eſſet juvenis tanta audacia, nobilitate, prudentia, ac bonitate ſplendebat, quod per totam Italiam honorabatur. Hujus temporibus erat quidam homo in villa, quæ dicitur Liceneſum nomine Acto, qui per quadraginta annos à Dæmonio vexatus fuerat. Ipſe denique dæmon, qui ſupradictum hominem poſſidebat multa præſtigia, & innumeras divinationes per eundem hominem exercebat. Nam ſæpiùs faciebat ſe vinciri,& à multis ligaminibus non tenebatur; poſitus in caruca à centum hominibus non trahebatur. Cum volebat, Eccleſiam introibat, & quando nolebat, à multis ſe trahi non permittebat. Hic ſępiſſime ductus fuit ad limina Apoſtolorum Petri,& Pauli,aliorum Martyrum Chriſti, ſed à nullo horum potuit liberari.

Accidit autem,ut quadam die prædictus Dæmoniacus ſponte veniret ad oratorium, in quo Sancti Martyres Valentinus, & Damianus quieſcebant, cæpit Dæmon clamare, & dicere. Valentine tu me eiicis, Valentine tu me eiicis. Ad hanc vocem Sacerdotes, qui aderant orationibus, & obteſtationibus cæperunt inſiſtere. Tunc Dæmon accerrimè quàm ſolebat, cæpit vexare eum, & eliſus in terram evomens volutabatur. Deinde tanto fætore Eccleſia repleta eſt, ut cunctus populus putaret ſe interire.

Cumque Clerici Te Deum laudamus cantare cępiſſent,tantus odor ex tumulo Sanctorum Martyrum proceſſit, ut omnes, qui aderant, putarent ſe in Paradiſo Dei manere. Ille verò reverſus in domum ſuam diebus omnibus, quibus vixit Deum, & Sanctos Martyres ejus Valentinum,&Damianum glorificavit.

N O T Æ.

Sanctus Valentinus Epiſcopus Terracinenſis, & Damianus ejus Diaconus paſſi ſunt circa annũ Domini 362. Juliani

Apo-

Apoſtatæ anno ſecundo, ut colligitur ex iis, quæ Baronius ſcripſit tom.4.Annal. Eccleſiaſt. ad hunc annum. Porro vita, & acta Sanctorum Martyrum Valentini Epiſcopi, & Damiani Diaconi dici inedita in novem lectiones diſpoſita erant, ſolebantque à Presbyteris dictæ S. Valentini Eccleſiæ ad officium matutinum recitari, quæ ut ſub finem additur Sebaſtianus Venturinus Veronenſis Canonicus in Terra Laureti fideliter anno Domini 1558. ex charactere Longobardico ad commodiorem uſum tranſcripſit. Eadem acta pariter charactere Longobardico deſcripta ſervantur in Vallicellana Urbis Bibliotheca inter monumenta Cardinalis Baronii; Latine verò edita legere eſt apud Ughelium tom. 7. pag. 1351. in append. ad Epiſcopos Terracinenſes, & apud Bollandum tom.2.die 16.Martii, quem videſis. Coluntur autem hodiè hi Sancti Martyres Chriſti in Caſtro quodam Teatinæ Ditionis in Aprutio Citeriore apud Pelignos inter Teatem, & Sulmonem; præfatum autem Caſtrum olim dicebatur Caſtrum petræ, nunc verò (il Caſtello di San Valentino.)

CAP. X.

Acta Sanctorum Martyrum Nerei, & Achillei Sulpitii, Serviliani, Eutichetis, Maronis; & Victorini; item Sanctarum Virginum Domitillæ, Euphroſinæ, & Theodoræ.

DOmitilla, Euphroſina, & Theodora Virgines; Nereus, & Achilleus Eunuchi intra ipſam Urbem Terracin. paſſi ſunt, ubi eorum acta licet breviora ſolebant ad matutinum in lectiones diſtributa recitari in Eccleſia Cathedrali: Hæc acta ſervantur modo Romæ in Archivio S. Mariæ Majoris, indeque deſcripta in bibliotecha Vallicenſi Patrum Congregationis oratorii in tomo littera F.ſignato ſunt ea eleganti, & fluido ducta ſtylo, ſed nullam habere poſſunt ab antiquitate commendationem, ait Bollandus. Addidimus prætereа nos acta reliquorum Sanctorum Martyrum tum quia maximam inter ſe habent connexionem adeò, ut concatenata eſſe videantur, tùm quia Sulpitius & Servilianus erant Sponſi Theodoræ, & Euphroſinæ Virginum; Eutychetes verò, Maro, & Victorinus in Terracinen. ſolo paſſi ſunt, ſi credimus Ughello in Epiſcopis Terracin., ubi de Terracina.

Incommoda Matrimonii Propoſita Domitillæ Virgini à Sanctis Nereo, & Achilleo.

DOmitilla Virgo nobiliſſima neptis Domitiani Imp. habuit Nereum, & Achilleum Eunuchos cubicularios, quos Beatiſſimus, & Sanctiſſimus Apoſtolus Dei Petrus lucratus fuerat Chriſto. Hi cum viderent Dominam ſuam gemmis ornari, & purpureis veſtibus, atque auro textis indui, dixerunt ei, quomodo ſtudio ornaris in corpore, ut filium Conſulis Aurelianum (filius erat Aurelii Fulvi) hominem mortalem maritum accipias; ſi tanto ſtudio ornaberis in anima filium Dei immortalem Regem poteris adipiſci ſponſum, qui etiam teipſam æternam faceret, & nunquam tibi, neque ornamentis tuis, neque gaudiis tuis finem permitteret, & terminum evenire: Reſpondit ei Domitilla, & dixit. Quæ poteſt eſſe melior charitas, quam habere virum, ſuſcipere filios, per quos poſteritas dulciſſima poſſit propagari, & tàm generis dignitatem, quàm memoriam nominis non delere? Poſtremo quam aſperum eſt, delectationes ipſas contemnere, & vitæ ipſius ſuavitate non perfrui, & quaſi qui non ſit natus in hac luce quęcumque ſunt corpori dulcia non amare?

Ad hæc Nereus reſpondit, & dixit. Tu delectationes unius puncti vides, & quæ ſequantur, per annum totum pericula non vides. Primo enim cum te ab integritate, quæ & tecum nata eſt, ſeparaveris perdito nomine virginis mulier nuncubaberis; & quæ nunquam ingenuitati tuæ dominari paſſa es nec parentes; patieris Dominum tui corporis extraneum hominem, qui te quaſi viliſſimo abutatur imperio, ut nullius tibi confabulatio ſine litis periculo, vel diſcrimine concedatur; non affines, non nutrices non vernaculi tecum nutriti erunt tibi affabiles, periclitabitur ſermo, periclitabitur aſpectus, periclitabitur auditus, & quidquid ſimplicitèr egens, malis ſuſpicionibus coarctabitur. Reſpondit Domitilla, & ait, ſic matrem meam paſſam Patrem meum zelotypum, & in hac injuria perlonga tempora defatigatam, numquidnam, & ego talem habebo? Achilleus dixit omnes Sponſi antequam ſponſas ſuas accipiant humiles ſe, & manſuetiſſimos figunt; poſtea verò quales ſe celaverint, produnt, & ſi luxurioſi fuerint ancillas diligunt, eaſque Dominas ſuas contemnentes, & prò nihilio habentes ſuperba iracundiæ intentione defendunt,

& has

Digitized by Google

& has non tantum verbis, at etiam verberibus ulciſcuntur, & cum injurioſus ſermo à pia matre dictus vix ſufferri potuerit, pungi interdum duriſſimis ictibus juncti calcium ingeruntur.

Sed eſt, quod neque luxurioſus ſit, neque zelotypus, ſed potius probetur lenis, & blandus, videamus nunc, quæ pro certo mulierem incommoda ſubſequntur. Conceptum enim in utero pondus die, noctuq; portabit invita, quo pondere efficietur ęgra, tumens, pallida, vix ſuis pedibus incedere prævalens, ciborum utilium perferens faſtidia cibis noxiis delectabitur; nonnunquam ſinus, ipſe interior aut abundantia ſanguinis inflammatur, aut humoris nimietate algeſcit, aut ſiccitatis macie conſtringitur, aut pinguedine coarcatatur, ex quibus cauſis intra uteri ſecreta concepto fætu morbi naſcuntur, ex quibus ſolent debiles naſci curvi, & claudi, plerumque etiam in ortu ſuo poſiti ab itineris rectitudine verſantur, & non ſolùm mulierum oculis fæminea earum occulta manifeſtantur, ſed etiam virorum ignotorum prò arte medicinæ nudantur, ità ut ſoleant artibus proferri membra concepti, qui matrem ſuam, antequam naſcatur, interficit, cum ipſe priùs incipiat occidere, quam naſci, ſolet etiam ſurdus, aut mutus, aut plenus ulceribus, aut etiam cum Dæmonio procreari, ut priùs quærere exorciſtam, quam nutricem neceſſe ſit, ità Achilleus.

Reſpondens quoque Nereus dixit. O quam Beata eſt Virginitas ſancta, quæ ab his omnibus eſt neceſſitatibus aliena, & eſt Deo amabilis, & omnibus Angelis cara, quam qui habet, ſimilis eſt Deo, qui autem non habet ſimilitudinem Dei ideò non habet, quoniam integritatem perdidit, & corruptionem invenit, cujus quidem reatum mulier per pęnitentiam evadere poteſt, ipſam verò integritatem recuperare jam non poteſt: Heu! quantæ dementiæ eſt velle ſe ſubdere libidini alienæ! Heu! quam nimiæ inconſiderationis eſt, ut quæ poterat cum gaudio, & laudibus hominum, & Angelorum integritatis expectare præmium, & coronam perpetuam cum planctu pænitentiam pro ipſa pollutione neceſſe habebit quærere, ut queat ad indulgentiam pervenire. Omnis namquè ſanctitas cum per aliquam voluntatem, aut neceſſitatem amiſſa fuerit ad ſtatum ſuum per pænitentiam, & ad ſuam gloriam revocari poteſt; ſola Virginitas ad ſtatum penitùs revocari non poteſt. Reatus autem ejus per lacrymas

pęnitentiæ expelli poteſt, ipſa verò integritas, ut diximus, penitùs revocari non poteſt; ità ut ad ſtatum priſtinæ ſanctitatis attingat. Omnia ergo perdita recuperari poſſunt, ſola virginitas perdita recuperari non poteſt. Neque enim per pęnitentiam ſuam mulier cum ad indulgentiam facti ſui pervenerit, poterit etiam ad hoc adjungere, ut virgo fiat, cum ſemel amiſerit integritatem, cum qua nata eſt.

Satis amica Deo Patri, & Filio, & Spiritui Sancto familiaris probatur eſſe Virginitas. Nam ſicut Reginæ perſona omnium nobilium, & illuſtrium matronum antefertur, ità, & Virginitas omnium virtutum dignitatem excedit, ità ut ſecundum locum poſt martyres teneat, & ſit inter virtutes cæteras prima. Serviunt enim illi univerſæ virtutes, & quaſi Auguſtæ cubiculariæ ſuæ, ità obediunt imperiis ſuis. Blanditur ei Fides, amplectatur eam ſpes, oſculatur eam caritas; & omnes quæ adſtant in conſpectu Regis Cęlorum patientia perſeverantia, conſtantia, contemptus mundi, vigilantia, Hoſpitalitas, miſericordia, ſolicitudo, ſcientia, veritas, probitas, tolerantia, omnes iſtæ, quæ ſunt memoratæ, & quæ non ſunt memoratæ virtutes famulantur ei. Inter frondes Paradiſi, & vitæ æternæ immarceſcibiles flores, inter nemora Angelorum, & prata umbroſa ambroſia conſita, & ſanctis odoribus exhalantia; ubi vita æterna naribus aſſumitur, ubi aer ipſe habet odoramenti virtutem, ut qui eum naribus ſuis aſſumpſerit, ultrà triſtis eſſe non poſſit, ultra nulla in eum poſſit dominationem exercere infirmitas, nullus dolor, nulla triſtitia, ſed ſemper erit gaudens, ſemper exultans anima, & ſemper de vitæ ſuæ perennitate ſecura.

Ad hæc Achilleus dixit. Hæc quæ frater meus commemorat parva ſunt, & quaſi de fluvio immenſo unum ſextarium ſumit, atque immerſo ſinu tenet, ipſius autem aquæ menſuram colligere computando non prævalet, ita & vitæ illius, quæ futura ſunt gaudia, & delitias nullus ſermo explicare ſufficiat, nulla cogitatio invenire, nulla diſputatio comprehendere. Volo autem & hoc non intermittere, quod etiam hic in iſto ſæculo Virginitas non perdet ingenuitatem ſuam, non timet virilem audaciam, non eſt ſubjecta homini corruptori, qui coinquinat mundam, reſignat ſignatam, frangit integram, captivat liberam, & ingenuam à Deo factam, & ipſi Deo, & omnibus Sanctis caram

libi-

libidini ſuæ facit violentèr Ancillam. Poſt hæc intra parietes domeſticos quaſi in privato carcere continet clauſam, ſalutari non ſinit, videri etiam à ſuis parentibus prohibet, nutritores, & nutrices, & affines quaſi hoſtes à conſolatione, & confabulatione excludit, nec ipſa infantum alloquia liberè patitur, dum timet per eos agnoſci à parentibus ſuas, quas exercet in muliere injurias.

Et hæc ſunt, quæ habuerat in Virgine falſiſſima blandimenta. Mentior, ſi nunquam eſt factum, & non magis minora ſatis memoraverim mala, quam ſolet exercere virilis ſuperbia agente Angelo Dei Sancto Virginitatis patrono eo quod hunc à ſe excludi permiſit, cum qua nata eſt, & lactata, cum qua à cunabulis riſit, & flevit. Hanc integritatem permiſit proiici de prædio ſuo, quam naſcendo à Creatore ſuo ſuſcepit, & locum ejus fecit inimicam corruptionem invadere, cum eiicitur indè integritas, quæ ſemper ibi, ex quo nata eſt, manſit, & introducitur corruptio, quæ nunquam ibi, ex quo vivere cępit, acceſſit. Et quoniam diximus patronum habere ſanctam Virginitatem Angelum Domini, qui mulierem factam objurgat, & increpat; faciamus vocem ejus rationabilitèr objurgantis: Dic mihi, ò homo, in quo te læſit virginitas, ut illam à te proiicias, & in locum ejus inimicam admittas? Quando de utero matris tuæ exiſti, tecum nata eſt, tecum lactata, tecum fuit ſemper, & à tuo conſortio non receſſit; tecum flevit fletus infantiæ, tecum inter blandimenta, & nutrimenta lactata eſt, tecum cibata, tecum potata: Cum tędio corporis tui tecum tædiata eſt, cum anguſtiis infirmitatum tuarum tecum anguſtiata eſt; tecum cum vigilares, vigilavit, tecum cum dormires dormivit, cum ſurgeres ſurrexit, cum ſtante ſtetit, cum ſedente ſedit, cum veſtieris veſtita eſt, cum ornareris ornata eſt, cum eſuriente eſuriit, cum epulante epulata eſt; tecum litteras didicit, tecum grammatico magiſterio erudita, tecum oratoris imbuta facundia, tecum Chriſti corpore refecta, tecum facta Catechumena, tecum baptizata eſt, tecum Chriſti ſanguine eſt conſecrata, ſimul tecum venit ad nuptias Chriſti, & Eccleſiæ, ubi thalamus ejus gemmis virtutum inſtructus in ornamenta mundarum mentium quotidiè pulchreſcit, de quarum nuptiis quotidiè innumerabilis naſcitur multitudo; in tantum ut Pater ſit naſcentium Chriſtus, & mater filiorum Eccleſia; tamen

thalamus non lęditur, quia Pater Chriſtus Sponſus eſſe non ceſſat, & Eccleſia ſponſa eſſe non deſinit; ſemper enim Chriſtus, & ſponſus, & Pater eſt, ſemper Eccleſia, & ſponſa, & mater eſt, quæ parere non deſinit, & Virgo immaculata eſſe non ceſſat. In amplexa enim Chriſti ampliatur potiùs integritas, quam fugatur, & in paratu Eccleſiæ creſcit potiùs Virginitas, quam decreſcit. Hujus ornamenta vario gemmarum ſplendore coruſcant, ab hujus ore procedunt melliflua legis eloquia, & perpetua Virginibus blandimenta.

O Felix, ò Sancta Virginitas? Quæ adhùc inter homines peccatores in terra poſita his tàm magnis lætitiis frueris; qualis putas inter Angelos poſt hæc habitura eris in Cęlis? quam cariſſima eris Angelis? quam melior iſtis labentibus Regnis, quam ornatior ipſis pretioſiſſimis gemmis? Omni hora habes tecum juvenem pulcherrimum Chriſtum. Dei Omnipotentis filium diadematum decore auricomum ſplendidum, & fulgentem coruſco Cęli potiùs micantem lumine.

Nam cum ſol ejus ſervus probetur, & famulus quanta poteſt eſſe pulchritudo Domini, cum tanta pulchritudo ſit ſervi? Hic ſemper tecum erit ò Sancta Virginitas, tecum inter omnes Sanctos in blandimentis æternis, & ſpiritualibus perſeverat, tecum ſemper inter Angelos lætus exultat. Elige nunc, quem velis an iſtum, qui æternus eſt cum æternis deliciis, an hominem moriturum, cujus ſimul cum eo, & ipſæ deliciæ perituræ.

Hæc, & his ſimilia perſequentibus Nereo, & Achilleo Domitilla Virgo prudentiſſima dixit. Utinam ad me olim hæc Dei ſcientia perveniſſet, & nunquam ego nomen ſponſi ſuſcepiſſem, & potuiſſem ſine labore titulum hunc ſanctitatis aſſumere, & ſicut baptizata Idolorum culturam deſerui, ſic inſtructa carnale hoc commercium contempſiſſem. Nunc autem quomodo vobis Deus aperuit os ad lucrandam animam meam, ità ipſum credo, quod aperiat vobis conſilium ſuum, ut poſſit per vos hoc quod prò ejus amore cepimus adimpleri. Tunc Nereus, & Achilleus perrexerunt ad S. Clementem Epiſcopum, & dixerunt ei.

Licet gloria tua tota in Domino Noſtro Jeſu Chriſto ſit poſita, & non de humana, ſed de Divina dignitate glorieris; ſcimus tamen Clementem Conſulem Patris tui fuiſſe germanum: Hujus ſoror Plautilla nos in famulos comparavit, & tunc quando

do à Divo Petro Apoſtolo verbum vitæ audiens credidit, & baptizata eſt, & nos ſimul ſecum, & cum filia Domitilla ſancto baptiſmate conſecravit. Eodem anno Divus Petrus Apoſt. ad coronam martyrii properavit ad Chriſtum, & Plautilla corpus terrenum deſeruit. Domitilla verò filia ejus cum Aurelianum illuſtrem haberet ſponſum à noſtra parvitate didicit ſermonem, quem nos ex ore Apoſtoli didicimus, quia *Virgo*, quæ propter amorem Domini in Virginitate perſeveraverit, Chriſtum meretur habere ſponſum, cum quo in æternis deliciis, & gloriis perſeveret perpetuis. Hæc & his ſimilia audiens à nobis cupit nunc virginitatis ſuæ votum manibus tuis velamento ſacrari, quibus Clemens Epiſcopus ait. Tempus eſt, ut video, in quo mea, & veſtra,& ipſius vocatio hac occaſione ad martyrii palmam attingat: ſed quia præceptum Domini Noſtri Jeſu Chriſti eſt, ut non timeamus eos, qui occidunt corpus, contemnamus hominem mortalem, & Principi vitæ, æternæ totis viribus obtemperare nitamur. Tunc Sanctus Clemens veniens ad Domitillam conſecravit eam.

Et quia longum eſt per ordinem ſingula perſcribere, quæ mala Sponſus ejus Aurelianus exercuit circa Domitillam furiis plenus, hic articulatim ad rerum exitum transferamus. Impetravit à Domitiano Principe, ut ſi ſacrificare contemneret, Pontianæ Inſulæ ſubiret exilium; in quo exilio ſe extorquere poſſe arbitrabatur, ut à propoſito perſeverantiæ animum S. Virginis revocaret. Igitur cum eſſet in Pontiana Inſula exiliata, ſimulque ibi eſſent cum ea Nereus,& Achilleus, erant ibi exiliati duo malefici diſcipuli Simonis Magi: Unus ex eis vocabatur Furius, alius Priſcus.

Hi ergo duo omnem penè Inſulam fallendo magicis ſignis fecerant Simonem Magum prò Dei filio venerari, & credi; Petrum inimicum ſine cauſa fuiſſe. Cumque obſiſterent ei Nereus, & Achilleus, Marcellum noſtis Marci Præfecti Urbis filium? Reſponderunt quis hunc neſciat? Dicunt ei Nereus, & Achilleus. Hujus teſtimonium admittitis de Simone,& Petro; reſponderunt valdè ſtultus eſt, qui tali perſonæ non credit; Qui reſpondentes dixerunt. Præſtate ergo ſaluti veſtræ,& quouſque litteras noſtras accipiat, & reſcribat nobis tàm de B. Petro Apoſt. quàm de Simone Mago tollite vos à doctrina eorum. Facta autem epiſtola

no-

noſtra eligite unum ex vobis, qui ad eum deferat, quam nos in conſpectu veſtro cupimus recitari, ut dum ille ſcripſerit in cõſpectu veſtro nihilominùs recitetur; Placuit autem omnibus hoc, & cum literis Sanctorum Nerei, & Achillei ſuum hominem direxerunt.

Textus autem epiſtolarum iſte eſt. Nereus, & Achilleus Servi Jeſu Chriſti fratri, & condiſcipulo Marcello ſalutem æternam. In ergaſtulo Pontianæ Inſulæ exiliati propter nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti gaudemus, ſed gaudium noſtrum fatigat Furius, & Priſcus diſcipuli Simonis, qui prò magicis artibus hic exiliati ſunt. Aſſerunt enim, quod innocens fuerit Simon, & Apoſtolus Petrus ſine cauſa execratus ſit eum. Cumque diceremus omnibus, ut nemo eis crederet, aſſeruimus idoneam & illuſtrem Fidei tuæ perſonam, quæ poſſit ſuis eos informare ſcriptis, quæ, & qualis fuerit vita ejus. Quonim cum fueris ejus diſcipulus, univerſas ejus agnoveris actiones; quæ petimus, ut ea ſcribere non moreris, ut poſſint innocentes ab eorum fallaciis liberari. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit tecum. Finiunt ſcripta Nerei, & Achillei, incipit reſcriptum Marcelli.

Marcellus Servus Chriſti Sanctis Confeſſoribus Nereo, & Achilleo. Lectis literis veſtris gaudio ſum repletus, cognovi enim eſſe vos conſtantes, & fide, & opere, & ſollicitè prò veritate pugnare. Et quoniam memoraſtis obiectum vobis hoc, quod Simon innocens fuerit, retexam ex parte aliqua vitam ejus, ut ex paucis cuncta cognoſcantur. Ego enim cum ejus eſſem diſcipulus malignum, & infanticidam, & maleficum illum exfractorem agnoſcens deſerui eum, & adheſi Domino meo Petro Apoſtolo, quem cum Simon Magum diceret, & populum Romanum in ejus odium excitaret; ſubito in loco, in quo Petrum Simon arguebat; tranſibat Vidua cum ingenti populo, clamoſiſque vocibus, & luctu efferens unicum filium ſuum. Tunc ait Petrus ad populum, qui credebat Simoni. Accedite ad feretrum, & deponite illum, qui mortuus ducitur, & qui eum ſuſcitaverit, hujus vera Fides eſſe credatur: Quod cum feciſſet populus, dixit Simon; modo ſi eum ſuſcitavero interficietis Petrum? Reſponditque ommis turba. Vivum eum incendemus. Tunc Simon invocatis omnibus dæmonibus, miniſterio eorum cæpit agere ut moveretur corpus. Quod populi videntes cæperunt clamare in laudem Simonis, & perniciem Petri.

Tunc

Digitized by Google

Tunc Petrus vix impetrato ſilentio ait ad populum, ſi vivit loquatur, ambulet, accipiat cibum, revertatur ad domum ſuam. Quod ſi hoc non fecerit, ſciatis à Simone vos falli. Ad hæc populus una voce clamabat dicens. Si hoc non fecerit Simon pęnam, quam Petro poſuit, ipſe patiatur. Simon verò fingens ſe iratum fugam petebat. Populus verò tenuit eum. Tunc Petrus expandens manus ſuas ad Cælum dixit. Domine Jeſu Chriſte, qui nobis diſcipulis tuis dixiſti. Ite in nomine meo, & dæmonia eiicite, infirmos curate, & mortuos ſuſcitate, excita puerum iſtum, ut omnis hæc turba cognoſcat, quia tu es Deus, & non eſt alius præter te, qui cum Patre, & Spiritu S. vivis, & regnas in ſęcula ſæculorum, amen. Exurgens autem puer adorabat Petrum dicens; Vidi Dominum Jeſum Chriſtum jubentem Angelis, & dicentem ad petitionem amici mei Petri reſtituatur orphanus Viduæ matri ſuæ. Tunc omnis populus una voce clamabat: Unus eſt Deus, quem prędicat Petrus. Simon transfiguravit ſe in caput caninum, & cæpit fugere. Populus autem tenuit eum, & dum vellent eum in ignem mittere, miſit ſe Petrus in medium, & liberavit eum dicens: Magiſter noſter hoc nos docuit, ut prò malis bona reddamus.

Cum ergo evaſiſſet Simon, venit ad me, & putans me neſcire, quod factum fuiſſet, canem immanem, quem vix catena ferrea vinctũ tenebat, hunc ligavit in ingreſſu dicens. Videamus, ſi Petrus, qui ſolet venire ad me poterit ingredi; ſed poſt unam horam venit Petrus, & facto ſigno crucis ſolvit canem, & dixit ei: Vade obloquere Simoni. Deſine miniſterio dæmonum decipere populum, prò quo Chriſtus ſuum ſanguinem fudit. Videns autem ego tanta mirabilia, cucurri ad Petrum, & genibus ejus provolutus excepi illum in domum meam; Simonem verò expuli cum dedecore: Canis autem omnibus blandus effectus ſolum Simonem perſequebatur, quem cum miſiſſet ſubtus ſe, cucurrit Petrus clamans, & dicens. Pręcipio tibi in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut non figas morſum in aliquam partem ejus corporis. Canis autem nullum ejus contingere potuit membrum, ſed veſtimenta ità morſibus attrectavit ut nulla pars corporis ejus tecta remaneret. Populus autem omnis, & præcipuè pueri ſimul cum cane poſt eum tamdiù currerunt, quandiù illum cum ululatu quaſi lupum extra muros Civitatis eiicerent. Hęc

& ſe-

& ſequentia ſcribit Marcellus Marci Prefecti filius, qui Presbyter, & Martyr fuit.

Poſt hæc autem opprobrium pudoris hujus non ferens per annum unum nuſquam comparuit: Poſtea verò invenit, qui eum Neroni Cæſari inſinuaret, ſicque factum eſt, ut homo malignus malignum, imò pejorem ſe ſuis amicitiis copularet. Poſt hec etiam apparuit Dominus Apoſtolo Petro per viſionem dicens. Simon, & Nero pleni dæmonibus adverſus te cogitant; noli timere, quia tecum ego ſum, & dabo tibi ſervi mei Apoſtoli Pauli ſolatium, qui cras Romam ingreditur; cum quo poſt ſeptem menſes ſimul habebis certamen contra Simonem, & poſtquam eicieritis, & viceritis eum, & depoſueritis eum in infernum ſimul ad me venietis ambo Victores. Quo autem ordine ſe viderunt, & poſt ſeptem menſes conflictum habuerunt cum Simone, quoniam hic fuiſtis, & vidiſtis oculis veſtris, ſuperfluum habui vos docere quod noſtis.

CAP. XL

De Martyrio Sanctorum Nerei, & Achillei; item Eutychetis, Maronis, & Victorini.

Eutyches Victorinus, & Maro Servi Domini noſtri Jeſu Chriſti Marcello. Sicut venerunt litteræ tuæ ad Sanctos Nereum, & Achilleum, ità tranſierant triginta dies, quod pervenerant ad coronam: Flavia enim Domitilla Virgo Illuſtriſſima, imò Chriſtianiſſima cum iſti ſui eunuchi docuiſſent eam credere Chriſto, & ipſi ſuam virginitatem ſervare, Aurelianus Sponſus ejus contemptus ab ea fecit eam Chriſtianitatis titulo in hanc Inſulam relegari. Ipſe verò Aurelianus veniens hùc cæpit Nerei, & Achillei animam attentare, putans ſe per ipſos Virginis animum commovere. Sancti verò execrantes dona ejus, & magis Domitille fidem corroborantes ideò verberibus ab eo graviſſimis attrectati ſunt, atque ad Tarracinam depoſiti Memmio Rufo ſunt traditi Conſulari à quo cum equleo, flammis compellerunt ad immolandum Idolis, & dicerent ſe à B. Petro Apoſtolo baptizzatos nulla ratione poſſe Idolis immolare; capite cæſi ſunt quorum corpora rapuit Auſpicius diſcipulus eorum Nutritor S. Virginis Domitillæ, qui etiam naviculæ imponens ſepelivit via

Ar-

Ardeatinâ à muro Urbis milliario uno ſemis juxtà ſepulchrum, in quo ſepulta fuerat Petronilla Apoſtoli Petri filia. Hęc nos ipſo Auſpicio referente cognovimus, qui eorum corpora rapuit, & ſepelivit. Erit charitatis tuæ ſollicitè circa nos agere, & aliquem ad nos talem dirigere, qui, & nos de tua, & de noſtra ſoſpitate faciat lætiores. Dies Natalis eorum quarto Idus Majas.

Accepto hoc ſcripto Marcellus germanum ſuum miſit ad Inſulam, qui fuit cum his Confeſſoribus Chriſti per annum poſtea verò ad Marcellum reverſus hæc retulit. Cum Aurelianus poſt martyrium Nerei, & Achillei ageret, ut ad Domitillæ poſſit pervenire conſenſum; dictum eſt illi à quodam, quod majorem haberet charitatem cum Eutycheti, Victorino, & Marone, quam habuerat cum eunuchis ſuis Nereo, & Achilleo, qui eam docuerant Chriſto credere. Unde factum eſt, ut à Principe Nerva peteret eos ſibi donari, ſi ſacrificare noluiſſent. Qui cum virilitèr agerent Eutyches, Victorinus, & Maro, atque minas Aureliani penitùs non curarent, depoſuit eos de Inſula, & quaſi ſervos per ſua prędia ſingulos diviſit. Eutycheten in ſexto decimo ab Urbe via Nomentana, Victorinum verò in ſexageſimo, Maronem verò in centeſimo trigeſimo iu eadem ſalaria via, juſſitque eos in terram fodere per totum diem, ad veſperam verò cantabrum manducare; ſed Deus Omnipotens dedit eis gratiam in locis peregrinis. Nam Eutyches conductoris loci filiam à diabolo liberavit, Victorinus autem Vicedomini loci paralyticum per tres annos de lecto non ſurgentem fecit orando incolumem. Maro verò morbo hydropis laborantem procurarorem Civitatis Septempedæ liberavit. Intereà facientes ſermonem ad populum docuerunt multos Chriſto credere, & facti Presbyteri populum credentium ampliavere. Tunc diabolus replevit ira mentem Aureliani, & miſit, qui vario genere pænarum interficeret eos. Nam Eutychen in media via diù cædi juſſit quamdiù ſpiritnm exhalaret, cujus corpus rapuit populus Chriſtianorum, & cum honore magno ſepulto in Chriſti nomine ſuper eum Baſilicam fabricavit; Victorinum verò apud eundem locum, qui Cotilias appellatur, ubi putentes aquæ emanant, & ſulphureæ, & in ipſis capite demerſum per horas tres teneri juſſit, & iterum ſuſpendi. Hoc per triduum pro nomine Chriſti paſſus Victorinus migravit ad Dominum. Juſſit autem corpus ejus Aurelianus non ſepeliri. Et cum

una die apud Cotylas jacuiſſet venerunt Aminternates populi Chriſtiani, & rapuerunt eum, & in ſuum territorium tranſtulerunt; atque ibi ſepelierunt. Maronem verò miſſo amico ſuo nomine Turgio juſſit duci, & ſaxi ingentis pondere opprimi. Unde factum eſt, ut immaniſſimam petram, quam vix ad trochleam ſeptuaginta homines penſare potuiſſent ſuper humeros ejus ponerent. Ipſe autem S. Maro quaſi leves paleas portavit eam per duo milliaria ſanus, & in eo loco poſuit, in quo orare conſueverat.

Et hoc factum omnis Provinciæ populus admiratus credidit Chriſto, & baptizatus eſt: Conſularis autem accepta ab Aureliano poteſtate interfecit eum. Populi autem excaverunt petram, quam humeris portaverat, & ibi ſepelierunt eum, & Eccleſiam Chriſti fabricaverunt in nomine ejus; in qua præſtantur benificia Domini in gloriam nominis ſui uſquè in hodiernum diem. Hos Sanctos Martyres Terracinæ tribuit Ughellus tom. 1. Italię Sacrę in Epiſcopis Terracinen. dicens: In Terracinenſi ſolo martyrio coronati fuere Nereus, & Achilleus, Eutyches, Maro, & Victorinus, alii verò negant, tres ultimos Sanctos Martyres hic palmam accepiſſe martyrii; quod videant poſteri.

C A P. XII.

De Martyrio Sanctarum Virginum Domitillæ, Theodoræ, & Euphroſinæ; Item Sulpitii, & Serviliani.

FActum eſt autem poſtquam omnes Dei Sanctos tulit à ſolatio Domitillæ Aurelianus dixit ad Sulpitium, & Servilianum (quorum Natalis dies celebratur die 20. Aprilis) juvenes illuſtres, ſcio quia collactaneas Domitillæ habetis ſponſas ideſt Euphroſinam, & Theodoram virgines ſapientiſſimas, cum ergo Domitillam deponi fecero de Inſula in Campaniam, iſtæ ad illam viſitandi gratia vadant; & ſuaſione ſua revocent ad gratiam meam animum ejus. Cum ergo depoſita eſſet Domitilla de Inſula Pontiana ad Terracinam, & veniſſent ad eam Euphroſina, & Theodora invicem habuerunt gaudium magnum. Interea dum ad convivium veniſſent prandentibus illis Domitilla jejuniis, & orationibus vacabat. Tunc dixerunt ei collactaneæ ejus, modo

quia

quia nos prandemus, & maritos accipimus, non poſſumus colere Deum tuum: Dicit eis Domitilla cum habeatis vos ſponſos nobiles viros, quid faceritis, ſi vellent vos ab amore eorum aliquæ ignobiles revocare, ſupprimæquè perſonæ, ut ipſi vos maritas acciperent. Reſpondentes dixerunt. Avertat hoc Deus à mentibus noſtris. Quibus Domitilla ait; ita & à mente mea, quia magnum ſponſum habeo filium Dei, qui de Cælo deſcendit, & promiſit virginitatem diligentibus, ſe earum Sponſum eſſe, quæ propter amorem ejus cuſtodirent virginitatem, & dare eis vitam æternam; ita ut poſt exitum animarum earum introducat eas ad thalamum æternum in Cęlis, & faciat eas gaudere cum Angelis, & inter flores aromatum in medio Paradiſi ſemper gratulari, & ſine fine in conviviis epulari. Cum hæc promitteret filius Dei, & nullus ei vellet credere, cæpit cęcos illuminare, leproſos mundare, omnes infirmitates curare, etiam mortuos ſuſcitare; ſicque factum eſt, ut ſe verum Deum oſtenderet, & doceret, & omnes in eum crederent.

Dicit ei Theodora fratrem habeo juvenem, quem noſti Herodem. Hic ante iſtum annum oculorum cæcitatem incurrit; ſi verum dicis in Dei tui nomine ſalva eum: dicit etiam & Euphroſina. Tu fratrem Romæ reliquiſti cæcum, ego autem hic habeo filiolam nutricis meæ, quæ in ægritudine muta facta eſt, auditum quidem integrum habet, ſed vox, & ſermo fugerunt ab ea: Et hæc dicens fecit eam in ejus adhiberi conſpectum. Tunc Domitilla proſternens ſe in oratione diutiſſimè flevit. Exurgens autem expandit manus ad Cælum, & dixit. Domine Jeſu Chriſte, qui dixiſti. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi; oſtende verum eſſe teſtimonium meum. Et cum hæc dixiſſet, fecit ſignum Crucis ſuper os mutæ, & dixit in nomine Domini mei Jeſu Chriſti loquere; & ſtatim emiſit vocem magnam dicens, Verus Deus tuus, Domitilla, & omnia vera ſunt, quæ de tuo ore protuliſti: Tunc miſerunt ſe ambæ ad pedes ejus, & credentes myſteriis Chriſti conſecratæ ſunt.

Frater autem Theodoræ adductus cæcus Domitillæ præcibus recepit lumen, & mentis, & corporis. Uuiverſi autem Viri, & mulieres, qui Pagani ex Urbe venerant ſive ſervi, ſive ingenui videntes hæc crediderunt Chriſto, & baptizati ſunt. Et facta eſt domus, in qua manebant quaſi Eccleſia.

Paulò poſt venit Aurelianus cum duobus Sponſis ipſe tertius cum tribus organariis, ut quaſi uno die trium Virginum nuptiæ fierent. Sulpitius autem, & Servilianus videntes mutam loqui, & Herodem Theodoræ fratrem illuminatum crediderunt Chriſto; quos cum Aurelianus inſtantèr hortaretur, ut una die ſimul acciperent Sponſas ſuas. Sulpitius, & Servilianus prudentiſſimi homines dixerunt ei, da honorem Deo, cujus virtute cæcum illuminatum conſpicimus, & mutam loquentem videmus. Aurelianus autem non curans de his, quæ illi loquebantur, fecit per potentiam ſuam includi in cubiculo Domitillam, ut ſecurus faceret violentiam. Et poſitis organis poſt cænam cępit lætus ſaltare inter eos. Cui ſaltanti more ſolito nuptiarum omnibus autem deficientibus ille inceſſantèr tamdiù ſaltavit per duos dies, & duas noctes, quamdiù corruens expiravit. Videntes autem, quæ evenerant, omnes crediderunt.

Frater autem Aureliani nomine Luxurius petiit ab Imperatore Trajano, ut hos omnes ad ſacrificandum compelleret, qui ſi non conſentirent, pœnis eos, quibus vellet, interimeret. Unde factum eſt, ut Sulpitium, & Servilianum Præfecto Urbis Aniano traderet; quos Præfectus confeſſos, quod nuper facti eſſent Chriſtiani nolentes penitùs ultrà Idolis immolare, decollare eos præcepit. Quorum corpora Chriſtiani poſuerunt in prædio eorum via Latina milliario ſecundo, in quo loco exuberat virtus eorum uſque in præſentem diem.

Poſt hæc Luxurius abiit ad Virgines Chriſti ad Terracinenſium Civitatem, & nolentes penitùs Idolis immolare, ablatis omnibus, quæ habebant in eodem cubiculo, in quo ſimul morabantur clauſit, & ignem impoſuit. Altera namque die veniens Sanctus Diaconus nomine Cęſarius invenit corpora Virginum illæſa, in facies enim ſuas proſtratæ orantes Deum deceſſerunt; quorum corpora S. Cęſarius in Sarcophago novo ſimul condens in profundo terrræ infodiens ſepelivit.

NOTÆ.

Corpora dictarum Sanctarum Virginum ſaltem ex parte è Civitate Terracina Romam tranſlata fuiſſe procul dubio eſt, tempus verò tranſlationis ignoratur, hinc aliis diſcutiendum

re-

relinquimus. Cæſar Baronius factus Cardinalis titulum Sanctorum Nerei, & Achillei, quorum corpora translata fuerunt Romam ab Auſpicio, & diximus ſupra, petit, & impetrat; eorum Eccleſiam, quæ cum titulo corruerat intrà annum reſtaurut, hoc autem anteà meditatus fuerat; Impetrat etiam indulgentiam pro ſtatione à Clemente VIII., & facultatem requirendi reliquias Sanctorum Nerei, & Achillei, & Domitillæ; poſſeſſionem adeptus eſt ſui tituli, in Eccleſia Miſſam ſolemnem celebravit, & Sermonem de laudibus Nerei, & Achillei habuit. Corpora ſub Altare S. Adriani, uti memorialis epigrapha ibidem exiſtens declarat, invenit, inque eorum Eccleſiam tranſtulit, quam Clemens Papa Patribus Oratorii ſubjecit, ut conſervaretur, per bullam datam anno 1597. die 3. Kal. Julii. In hac Eccleſia Cardinalis Baronius, & Thauruſius ſimul tumulantur, ibique extat eorundem cunctis ſpectabile litteris quadratis monimentum: Hujuſmodi autem geſta tranſcripſimus ex opere elucubratiſſimo Jo: Bollandi tomo primo menſis Maii.

CAP. XIII.

De S. Cæſario Martyre Terracinæ die 21 Aprilis.

Undecimo Kal. Maii in Terracina Campaniç Natalis Sancti Cçſarii ex Martyrologio vetuſtiori edito à Franciſco Maria Florentino nobili Lucenſi, quod ex variis codicibus, ac Patriæ Majoris Eccleſiæ collegit, & vulgavit anno 1668., quem videſis hac die: Item in Terracena Campaniæ S. Cçſarii ex Martyrologio Corbejenſi. 11. Kal. Maii. In Campania S. Cçſarii ex M. S. Reginæ Sveciç. In Terracena Campaniæ (corruptiſſime quidem) Natalis S. Amphelici, loco S. Cçſarii habet Martyrologium Antuerpienſe, cujus ſenſum vide apud Florentinium hac die 21. Aprilis.

N O T Æ.

Ex præfatis itaque Martyrologiis duos Cœſarios Terracinæ floruiſſe tenendum eſſet, vnum qui palmam martyrii ſuſcepit hac die 21. Aprilis; alterum verò qui coronatus fuit die prima Novembris, ut eadem Martyrologia, aliique Aucto-

ctores referunt. Menardus nonnullos antiquos codices adducens velle corrigenda acta Sanctorum Nerei, & Achillei, vel duos olim Cœſarios floruiſſe Terracinæ monet; Idem auctores alii aſſerunt, & Florentinius hoc loco ait; efficaciori argumento geminum Cœſarium urgere videtur; Cœſarii Diaconi Doctor, ac ſocius Julianus Præsbyter, qui cum Cœſario Savo incluſus, & in Mare præcipitatus ſimul apud Terracinam ſepultus fuit Kal. Novembris, & cujus nulla hic inducitur memoria, cum è contrà ad Kal. Novembris etiam in Martyrologio noſtro Julianus cum Cœſario, aliiſque pluribus ſociis memoretur. Unde videtur potiùs affirmandum Cœſarium Kal. Novembris veneratum Terracinenſem eſſe majoris famæ; alium verò die hac 21. Aprilis Sacris noſtris tabulis indicatum diverſum ab illo eſſe. Græci quidem non indicato martyrii loco venerantur die præcedenti 20. Aprilis Cœſarium Martyrem cum aliis ſociis. Hactenùs Florentinius in notis ſui Martyrologii vetuſtioris ad diem 21. Aprilis, ubi præter ſuum reliqua antedicta Martyrologia adducit: Sed hæc accuratiùs examinanda eſſent, quæ quia noſtræ vires non ferunt, data opera in medio, atque aliis deſcutienda relinquimus.

C A P. XIV.

Acta Sanctorum Martyrum Euſebii Monachi, & Felicis Presbyteri.

QUintus à tranſitu Sanctorum Martyrum Cœſarii Diaconi,& Juliani Presbyteri decurrerat dies,cum ecce idem Euſebius inventus eſt eo loco, quo condiderat Sanctos Martyres jejunans, & orans Dominum, & pſallens. Id cùm non pauci viderent Terracinenſes Cives, quod non longè ab Urbe eſſet locus, accedebant ad B. Euſebium, & converſi à B. Felice Presbytero Baptizabantur. Id ubi comperit Leontius Leontii filius furibundus ob mortem Patris miſit milites, qui tenerent Felicem Presbyterum, & Euſebium Monachum, eoſque in forum in populi conſpectum perducerent: Atque ibi ille reſidens cum primoribus Civium ait ad eos. Edicite nobis ſervi nè, an ingenui ſitis? Felix reſpondit ſervi ſumus Domini noſtri Jeſu Chriſti. Leontius dixit, dicite qui vocemini, reſponderunt Sancti;

Fe-

Felix, & Euſebius appellamur: Leontius ait: Quid ità contrà ſalutem Reip., & Principum prædicatis inſaniam? Felix reſpondit; Nos inſaniam non prædicamus, ſed ſanam, & veram doctrinam, ut timeatur Deus, & cognoſcatur, quem ſi vos cognoveritis, licebit vobis vitam obtinere æternam. Leontius dixit ad populum Ecquid vobis videtur? Alii clamabant, bonam eam eſſe doctrinam, alii id negabant dicentes ea populum ſeduci. Sic ergo illis altercantibus, Leontius juſſit eos duci in cuſtodiam. Nocte autem miſit ad illos, qui eos compellerent ſacrificare. Sed iſti irridentes, & contemnentes Dæmonum ſacrificia, clamabant, Gloria in Excelſis Deo: eadem ergo nocte Leontius eos capite damnavit, juſſitque corpora eorum in flumen jactari. Ea verò per flumen perlata ſunt in Mare, claraque jam luce ejecit illa mare in littus juxta Pineta. Ecce autem quidam Presbyter Capuanus nomine Quartus cum exiret ad agrum ſuum invenit trunca Sanctorum corpora, collegitque ea, & poſuit in vehiculum, duxitque in Domum ſuam capita eorum curioſe perquirens. Quæ quidem poſtera luce invenit incorrupta, junxitque ea corpora Sanctis, & ſepelivit loco inſigni (ait Caniſius) juxtà corpus B. Cœſarii Martyris. Ubi orationibus eorum beneficia præſtantur uſque in præſentem diem ad laudem, & gloriam Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum Amen. Hactenùs Laurentius Surius die prima Novembris in Vita S. Cœſarii Levitæ, & Martyris.

N O T Æ.

Locum proximum Terracinenſium Urbi, ubi inventus eſt orans S. Euſebius propè corpora Sanctorum Martyrum Cœſarii, & Juliani credimus eſſe illum eundem, in quo nunc extant veſtigia Eccleſiæ veteris S. Cœſarii, aliàs S. Mariæ in Varano nuncupatæ; In ea autem inventa ſunt corpora præfatorum Sanctorum Martyrum, atque aliorum multorum, adeoque memoriæ ergo factum eſt, ut è directo in Via Romana columnam marmoream ſtriatam cum ſigno Crucis ferreæ ſupereminente erigerent Terracinenſes, ut poſteris reverentiæ eſſet locus ille. Ager circumſtans [vulgo dicitur le Prebende,] & ad Capitulum Eccleſiæ Cathedralis Terracinenſis ſpectat; olim dicebatur ager

Va-

Varanus à familia Vara Terracina oriunda, cujus ſub dominio erat. Cæterum eadem difficultas urget in Vita S. Euſebii, ac in Vita S. Cæſarii; quippè ambos ſub Nerone paſſos aſſerunt veteres auctores Nonis Novembris in Terracina Campaniæ Civitate Natale Sanctorum Felicis Presb., & Euſebii Monachi tempore Claudii Imp., ait Rabanus in ſuo Martyrilogio. Nonis Novembris In Terracina Civitate Campaniæ Natalis Sanctorum Martyrum Felicis Presb., & Euſebii Monachi temporibus Claudii Imp. Verba ſunt Uſuardi in ſuo quoque Martyrologio, & uti Sabellius Ænead.7. lib.7. p.281. docet. Euſebius Monachus Terracinæ Claudii juſſu interfectus eſt. Ex recentioribus verò Auguſtinus Lubin in ſuo Martyrologio hos Sanctos Martyres paulò poſt anno 10. ſub Trajano Imp. paſſos eſſe inſinuat. Verum enim verò dictorum Sanctorũ Martyrũ acta quoad tempus corrigenda ſunt perindè ac geſta S. Martyris, & Levitæ Cæſarii, cujus corpus ſepeliit S. Euſebius Monachus.

CAP. XV.

De Sancto Quarto Capuano Epiſcopo Terracinen.

Sanctus Quartus Capuanus, qui Terracinæ ſedem fixam habens corpora Sanctorum Martyrum Euſebii Monachi, & Felicis Presbyteri propè corpus Sancti Martyris, & Levitæ Cæſarii ſepeliit una cum Quinto Capuano Epiſcopo Martyr effectus eſt in via Latina ad centum Aulas; uti oſtendunt Beda, Uſuardus, & Ado. Coluntur autem Capuæ die 10. Maii, quo eorum corpora translata ſunt ex Cæmeterio S. Sulpitii, & Serviliani, ubi priùs jacebant. Martyrii qualitas à nemine exprimitur, unde nihil in ſpecie aſſerimus.

N O T Æ.

Florentinius in notis ad diem primam Novembris verſùs finem ait. Quartum Capuanum, qui Juliani, & Cæſarii Martyrum corpora, quæ Terracinæ ad mare pervenerant, vehiculo impoſita in ſuam domum pertulit, cujus etiam meminit Rabanus. Epiſcopum Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ die

die 5. Novembris, & Michael Monachus in Sanctuario Capuano fuiſſe contendunt, & Bollandus ait; ex breviario antiquo Capuano hos Martyres Epiſcopos fuiſſe apparet, ſed Capuanos, quod veriſimile non eſt eum eodem tempore coronati fuerint, & duo Epiſcopi ejuſdem Civitatis legitimi eſſe non poſſint; quam ob cauſam forſitam ex catalago Sanctorum Capuanæ Urbis Sanctum Quartum, & Quintum ex punxit Bellarminus. Nos itaque dicimus Cives quidem Capuanos, Epiſcopos verò, Quintum Capuanum, Quartum autem Terracinenſem fuiſſe, cum ibidem ſedem ſuam fixam haberet, uti docent Martyrologia multa cum Surio.

CAP. XVI.

De B. Felice Terracinen. Epiſcopo.

HIc eſt ille Terracinen. Epiſcopus nomine, & actione Felix, qui Gallam Placidam Valentiniani junioris Imp. filiam à ſpiritu immundo obſeſſam Terracinæ ante aram maximam S. Cæſarii adductam ejuſdem interceſſione liberavit. Unde hoc audiens Cæſar, & uxor ejus Terracinam Roma venientes illuc reliquias Sanctorum Martyrum Cæſarii, & Juliani in baſterna deportarunt, & Eccleſiam S. Cęſarii in Palatio dictam ædificarunt, uti legitur in codice Vatic., & refert Ughellus in Epiſcopis Terracin.

NOTÆ.

QUid aliud prodigioſum, aut notatione dignum peregerit hic Sanctus Vir Felix, præter ea, quæ ſuperiùs ſcripſimus, nobis ignotum eſt: Tanta enim fuit Terracinen. Urbis calamitas, ut quo magis Viris illuſtribus ſcatuit, eo minùs illorum res geſtas memoriæ traderet; quin immo tria Antiphonaria pervetuſta, ubi Sanctorum acta continebantur, mera Civium incuria perierunt; adeoque vix nonnulla, quæ alienigenæ, & ſcriptores exteri adnotarunt, inveniri liceat. De hoc B. Felice vide translationē S. Martyris, & Levitæ Cæſarii Terracina Romam in fine Vitæ ejuſdem, ubi codicem Vaticanum ex Ughello relatum deſcripſimus.

CAP. VII.

De S. Specioſo Monacho Benedictino Terracinæ die 15. Martii.

EIſdem quoque diſcipulis illius narrantibus didici, quia duo Nobiles Viri, atque exterioribus ſtudiis eruditi germani fratres, quorum unus Specioſus, alter Gregorius dicebatur, ejus ſe Regulæ in Sancta converſatione tradiderunt. Quos idem Pater venerabilis in Monaſterio, quod juxtà Terracinenſem Urbem conſtruxerunt, fecit habitare. Qui multas quidem pecunias in hoc mundo poſſederant, ſed cuncta pauperibus prò animarum ſuarum redemptione largiti ſunt; & in eodem Monaſterio permanſerunt. Quorum unus ſcilicet Specioſus dum prò utilitate Monaſterii juxta Capuanam Urbem miſſus fuiſſet, die quadam frater ejus germanus cum Fratribus ad menſam ſedens, atque conveſcens per Spiritũ ſublevatus aſpexit, & vidit Specioſi germani ſui animam tam longe à ſe poſiti de corpore exire: quod mox fratribus indicavit, & cucurrit, jamque eundem fratrem ſuum ſepultum reperit, quem tamen hora ea, qua viderat exiſſe de corpore invenit, ait S. Gregorius lib.4.Dialog.cap.8.aſſerens ſe ea à fidelibus S. Benedicti diſcipulis, de quibus cap.7.egerat, accepiſſe.

NOTÆ.

DE eodem agunt Wion, Menardus, Dorganius, Bucelinus in ſuis Monaſticis Martyrologiis, & Joannes Molanus in additione ad Uſuardum dicens. Specioſi germani ſui animam longè à ſe poſiti de corpore exire vidit Gregorius Monachus, & Baronius in Martyrologio ait. Romæ S. Specioſi Monachi, cujus animam germanus ejus ferri vidit in Cęlum.

Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ miratur, cur Romæ adſcribatur cum in Monaſterio apud Terracinam vitam egerit, & apud Capuanum mortem obierit; unde arbitratur à Martyrologio Romæ tribui, vel quia Romanus eſſet, vel qui Romam ejus corpus fuerit delatum; vide Henſchenium, & Bollandum tom.2. die 15. Martii, qui Specioſum ſicuti, & nos Terracinæ tribuunt.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XVIII.

De S. Leontio Confeſſore Terracinæ.

LEontius Campaniæ Præſes cum S. Cæſarium comprehenſum ad immolandum diis cogeret,eumq;ad Apollinis Templum duceret,ut illi ſacrificaret,ſtatim ad Martyris orationem Templum illud corruit, Firminumque Idolorum Pontificem oppreſſit.

Quo miraculo permotus Leontius maximè cum circa Cæſarium nudum lucem ingentem è Cælo delabentem, quæ illum operiebat, vidiſſet, ad Chriſtum converſus veniam à Martyre humilitèr petens,ac baptizari poſtulans, ubi in fide inſtructus de more preces, & jejunia præmiſiſſet, ſacroſancti Dñi corpore refectus nulla oppreſſus infirmitate mirabilitèr obdormivit in Dño 3.Kal. Novembris. Eodem verò die Leontii corpus collegerunt uxor, & filii ejus, ſepelieruntque propè Civitatem in agro Varano,ſeù ut loquitur Surius (corruptè quidem) in agro Verano.

NOTÆ.

HÆc Surius die prima Novembris in vita S. Cęſarii, & Ferrarius in Cathalogo Sanctorum Italiæ, quem videſis die 3.Octobris. Ager Veranus, ſeù potiùs Varanus videtur eſſe ille idem, qui modo ſpectat ad Capitulum Cathedralis Terracinen., & vulgò dicitur (le Prebende.) In hoc erat Eccleſia S.Mariæ in Varano, ubi plura Sanctorum corpora inventa ſunt, ac præcipuè S.Martyris, & Levitæ Cęſarii, quamobrem inolevit uſus, ut ejuſdem S.Cęſarii titulo quoque inſigniretur; modo ea Eccleſia diruta eſt. Ex geſtis B.Cęſarii die prima Novembris ait Beda. Leontius Conſularis Campaniæ in Martyrio S.Cęſarii credidit, ipſumque Martyrem ſua clamyde induit, deindè baptizatus, & accepto corpore, & ſanguine Dñi manu Juliani Presbyteri tradidit ſpiritum: Præter Ferrarium,& Bedam cęteri Scriptores,ac Martyrologia de hoc Sancto Chriſti Confeſſore ſilent.

Digitized by Google

CAP. XIX.

De S. Montano Martyre Terracinæ.

MOntanus Romanus miles Romam ex militia reverſus cũ à Chriſtiana Religione eſſet alienus,ac martyres fortitèr ſupplicia perferre, mortemque pro Chriſto ſubire vidiſſet,ea re commotus ad Chriſtum convertitur. Quapropter Octaviani Præſidis juſſu Adriano imperante comprehenſus Diis ſacra facere jubetur. Cui id facere recuſanti Chriſtiquè laudes proſequenti lingua præſcinditur, moxquè dentes concluſi ſunt; Sed Octavianus ſtatim à nefario ſpiritu arreptus,agitatuſque lumen amittit oculorum, qui à Montano curatus eſt,poſtquam in Chriſtum pęnitens credidiſſet Montanus à Pręſide dimiſſus cum publice Chriſtum prædicaret apud Adrianum Imper.accuſatus, & tentus multis afficitur tormentis; ut Chriſto renuncians Deos coleret; Tandemquè equuleum, ungularum excarificationem,aduſtionem lampadarum perpeſſus in Pontiam Inſulam relegatur. Ubi mortuo Præſide, qui ſibi neceſſaria ſuppeditaret, invenit, multaque edidit miracula. Quibus cognitis Leontius ut Conſularis Montanum ad ſe Terracinam perduci, nolentemquè à Chriſto deficere plagis affectum in troclea extendi,ac demum ſententia in eum prnunciata ſaxo collo illius alligato in profundum mare demergi jubet, qui ſemivivus ad Pontiam Inſulam divinitùs delatus cũ priùs mortuum ad vitam revocaſſet animam Deo reddidit. Corpus ejus ibi ſepultum poſteà Terracinam translatum eſt, ait Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ.

NOTÆ.

LEontius hic Conſularis videtur fuiſſe filius Leontii in Martyrio B.Cęſarii cõverſi,& feliciſſimè defuncti;Adrianus enim Trajani nepos poſt mortem ejus regnavit, ſub quo ſcilicet Trajano volunt nonnulli paſſum fuiſſe B. Cęſarium. Acta S.Montani collecta ſunt ex antiquo lectionario Terracin., & monumentis Eccleſiæ Cajetanæ;nonnulla inter acta manuſcripta diverſitas reperitur;nam in aliquibus Apoſtolorum diſcipulum fuiſſe ſcribitur, in aliis verò in aliorum Martyrum paſſione converſũ

eſſe

eſſe. Ait idem Ferrarius ibidem. Dies feſtus ponitur 17. Junii, qua de re Martyrologium Romanum ità. Eadem die Tarracinæ in Campania S. Montani militis, qui ſub Adriano Imp., & Leontio Conſulari poſt multa tormenta martyrii coronam accepit: Hujus S. Martyris corpus ſe habere ajunt Cajetani Cives; Verum nihil certi de ejuſdem translatione afferre poſſunt, unde nullam fidem eiſdem præſtandam eſſe reor, cum Terracinæ ſepultum fuiſſe conſtet ex Martyrologio Rom., aliiquè Sacrę Hiſtoriæ Scriptoribus.

CAP. XX.

De B. Donato Terracinen. Ordinis Minor. Conuentualium.

BEatus Donatus de Terracina Ord. Minor. Conventualium S. Franciſci floruit Neapoli, ibidemque ex Palatio ſibi à Rege conceſſo celeberrimum Conventum S. Laurentii excitavit, ubi requieſcit apud Chorum. Reliqua ejus acta nos latent. De eo ità loquitur Toſſignanus, quem citat Fr. Bonaventura Theulus in Apparatu minoritico Provincię Romanę lib. 6. cap. 2. B. Donatus cognomento non addito obiit Neapoli ſepultus in Cappella Villanorum dextrorſum his verbis. Hic jacet Corpus Fratris Donati Viri Sancti prò quo Jeſus multa oſtendit miracula facta eſt autem translatio corporis an. 1388. in Dominica Lætare Jeruſalem. Sub calce imaginis ejuſdem ſuper quandam portam prępfati Conventus depictę, hi verſus adſunt.

Donato il Divo, il qual col ſuo Natale
Honorò Terracina hebbe primiero
Quì Clauſtro humile da un Rege altiero;
Onde ſorge à ſua gloria mole immortale.

NOTÆ.

UT mihi innotuit ex relatione Fratrum Ordinis Minor. Conventualium, Rex, qui palatium B. Donato conceſſit, fuit Carolus II. Ità exhibet eorumdem effigies ibidem expreſſa; videtur enim B. Donatus, cujus caput corona Sanctitatis inſigni undique radiante redimitum eſt, accipere manibus Chirographum à prælibato Principe dante facultatem extruendi Conventum.

In-

Inſuper ut hoc obire poſſet, à Roberto Rege Neapolis prefati ſucceſſore duodecim millia ſcutorum recepit; ex quibus elicere poſſumus, ipſum floruiſſe circa finem ſæculi 1300. Extat quoque ejuſdem B. Donati memoria Terracinæ in pariete quodam Conventus Fratrum dicti Ordinis ſub introitum Clauſtri ad latus dexterũ introeuntibus, quę ſic habet B.Donatus Terracina oriundus noſtræ Seraphicæ Relig. nobile ſidus emicuit, qui Sancta eximiaque prudentia præditus ex Palatio à Rege ſibi conceſſo Sancti Laurentii majorem in Urbe Parthenopa Conventum funditus erigere, regiumque in eo Templum valuit magnifice hic pauperculus ædificare, in cujus laudem ibi carmina extant; ibique apud Chorum eſt ſepultus. Ex modo, quo paſſim in pluribus locis, & Eccleſiis Seraphici Ordinis exprimitur illius imago, Sacerdotem, non Laicum fuiſſe conſtat; Cujus autem familiæ, quæ miracula vivens, aut poſt mortem ediderit hic Terracinenſis Heros, aut quo menſe, anno, vel die ex hac miſeriarum Valle ad æterna gaudia evolarit, adhùc non potui ſcire, licet caput obtunderem multis, ut aliquam exciperem notitiam.

CAP. XXI.

De Sanctis Silvia, B.Silviani Epiſcopi, Matre, & Rufina Virgine ejuſdem Sorore.

S. Silvia fuit Divi Silviani Confeſſoris, & Epiſcopi Mater, Rufina autem Virgo fuit ejuſdem Soror, uti conſtat ex actis S.Eleutherii, & Silviani Epiſcopi; nihil verò memoria dignum pręter ea, quę ſuperius in actis pręfatorum Sanctorum ſcripſimus de his glorioſiſſimis feminis invenimus, habent tamen locum inter Sanctos Cælites in Collecta, quà utitur Eccleſia Cathedralis Terracinenſis omnibus ferè diebus totius anni, & eſt hujuſmodi. Aures tuę Pietatis Piiſſime Deus precibus noſtris accomoda, & tuam miſericordiam, quam pro reatibus noſtris non meremur Sanctorum tuorum Cęſarii, Juliani, Felicis, Euſebii, Eleutherii, atquè Silviani, Anthiæ, Silviæ, Rufinæ, Domitillæ, Euphroſinæ, atquè Theodoræ, quorum patrocinio confidimus, meritis conſequamur per Dñum noſtrum &c.

Oratio.

Oratio.

Deus,qui nos annua Sanctarum tuarum Silviæ, & Rufinæ Virginis natæ ejus ſolemnitate lętificas, concede propitiùs, ut quarum natalitia colimus de earum etiam protectione gaudeamus per Chriſtum &c.

C A P. XXII.

De Nonnullis aliis Martyribus Terracinæ.

KAlendis Novembris. In Tarracina Natalis Sanctorum Meldagaſi, Juliani, Victoris, Felicis, Creſcentis, item Felicis, Satti, Perſeveranti,Octaviæ, Caſſiæ, Maximę, Riſtæ, Saturninæ,Donatæ, Simplicii, Cęſarii.Ita Martyrologium vetuſtius Occidentalis Eccleſiæ Romanum a Gregorio Magno deſcriptũ à Frãciſco Maria Florentinio nobili Lucenſi explicatum, & vulgatum, quem videſis die prima Novembris. In Terracina Moldacaſi, Juliani, Victoris, Felicis, Creſcentis, item Felicis, Satti, Perſeveranti,Octaviæ,Caſſiæ,Maximæ,Fauſtę,Saturninę,Donatę, Simpliciæ,Primæ.Ità Martyrologium Antuerpienſe.In Terracina Natalis Sanctorum Meldegaſi,Juliani,Victoris,Felicis,Sati, Perſeveranti,Octavię,Caſſię,Eriſtei,Saturnini,Simplicii,Primi,Cęſarii Magni,Juſti.Ità Martyrologium Corbejenſe; de quibus vide prędfatum Florentinium. Nota inſuper, quod omnium Sanctorum feſtivitatem,quæ ſub Gregorio Quarto,aut Bonifacio item quarto celebrari cępit,hęc Martyrologia non ponunt, unde argui poteſt eorum antiquitas.

N O T Æ.

PRæter Sanctum Cæſarium Diaconum,& Julianum Prebſyterum Martyres prima die Novemb. quatuordecim alios Martyres partim viros, partim mulieres Terracinæ coronatos indicant Martyrologium Antuerpienſe, Corbejenſe, & Martyrologium vetuſtius Florentinii, quod hac die videre potes. Præfatos autem Martyres credimus eſſe illos, qui in prędicatione B. Cæſarii dicebant. Bonus homo juſta loquitur;. Horum magna pars ad Chriſti fidem ab eodem converſa forſitan clam ante eum de nocte, aut interdiù martyrii coronam accepit; Nam ex verbis B.Cęſarii ad Luxurium, antequam mergeretur, conſtat ſub eodem

dem equite primario Civitatis Terracinæ ſine permiſſione Conſulatus plures Martyres, ac Sanctas Virgines per ignem fuiſſe coronatas. Ita enim Luxurio, uti videre eſt apud Surium, propinquam mortem minatus eſt Cæſarius. Te verò hodiè comedet coluber, ut cognoſcat omnis hæc Regio, quod vindicet Dominus ſanguinem ſervorum ſuorum, & Virginum, quas tu ignibus concremaſti. Dubium eſt, an Virgines iſtæ ex Luxurii mandatis incendio extinctæ eſſe potuerint Domitilla, Theodora, & Euphroſina, quas, ut habetur in actis Sanctorum Nerei, & Achillei vivicomburio necatas S. Cęſarius Terracinam veniens ſepelivit; ſed hoc dubium evaneſcit, ſi conſideremus primò, quod Luxurius, qui vivicomburio affecit Sanctas Dei Virgines Domitillam, Theodoram, & Euphroſinam non fuerit Luxurius Terracinenſis, & eques primarius ejuſdem Civitatis, ſed Luxurius Romanus Aureliani frater; ſecundò quod is, qui martyrio affecit Sanctos Dei Martyres Nereum, & Achilleum non fuerit Luxurius Terracinenſis, aut Romanus, ſed Memmius Rufus Conſularis ab Aureliano inſtigatus; unde mendacium dixiſſet S. Cæſarius, ſi Luxurio martyrium præfatorum Sanctorum tribuiſſet; hoc impoſſibile; dicendum igitur eſt, Sanctos illos Martyres, ac Virgines à verbis B. Cęſarii connotatos non fuiſſe Domitillã, Theodoram, & Euphroſinam, aut Nereum, & Achilleum, verum deſcriptos in iſtis Martyrologiis, aut etiam alios; Innumerabilium enim Martyrum cruore Terracinam erubiſſe conſtat, adeò ut ingens illa cautes (vulgò Granito) ſcyphi modo intùs concavata, quæ extat apud Forum S. Cæſarii propter gradus ejuſdem Eccleſiæ muris Epiſcopii contigua data opera effecta eſſe credatur, ad hoc ut eſſet inſtrumentum ubi Martyres excruciarentur Terracinæ; Hinc ſummę admirationi, necnon venerationi advenis, indigeniſquè ſcientibus eſſe ſolet; Et hęc de Hiſtoria Terracinen. ad laudem, & gloriam Dei, Beatęque Virginis Marię, ac B. Cęſarii Tutelaris Maximi ejuſdem Civitatis dixiſſe ſufficiat.

F I N I S.

IN-

INDEX
Rerum Notabilium.

A

ABorigines populi qui lib.1. cap.1. pag.2.,& 3.
Acta S.Cęſarii Tutelaris Terracinæ. lib.5. cap.2. pag.463., & ſeq.
Acta S.Eleutherii Tutelaris Terracinæ.lib.5. cap.6. pag.486.
Acta S.Euſebii Monachi . lib.5. cap.14. pag.518.
Acta SS.Nerei, Achillei,& Domitillæ Virg.lib.5.cap.11.pag.512.,& ſeq.
Acta S.Silviani Tutelaris Terracinæ. lib.5. cap.4. pag.477.
Acta S.Valentini Terracinen.Epiſcopi. lib.5. cap.8. pag.493.
Adrianus Papa VI. confirmat Terracinen.antiqua privilegia . lib.2. cap.9. pag.251.
Adventus Barbaruſſæ nunciatur Romanis. lib.1. cap.15. pag.147.
Aer Terracinenſis. lib.2.cap.12. pag.306. , & ſeq. olim erat ſalubrior.lib.1. cap.1. pag.5.
Alexander Papa II. tribuit Terracinam Deſiderio Abbati Caſſinen. lib. 1. cap.5. pag.43.
Alexander Papa III. bis Terracinam confucit. lib.1. cap.5. pag.48.,& 49. confirmat ea,quæ diſpoſuerat Hugo Epiſcopus circa capitulum Terracinen. lib.3. cap.6.pag.370. , & ſeq.
Alexander Papa IV. confirmat remiſſionem trium vivandarum factam à Petro Epiſcopo Terracinen. favore ejuſdem capituli . lib. 3. cap. 7. pag. 379. , & ſeq. ſcribit Romanis, ne moleſtiis afficiant Terracinam.lib.1.cap. 8. pag.69. Succeſſor Alexandri , non Alexander ; ideſt, Urbanus. Præcipit Terracinenſibus , ut capiant eos, qui nomen dederant militiæ Manfredi Principis.lib.1.cap.8.pag.72.Item ut aſſumant, ſibi in Poteſtatem,quem velint contra Romanorum edicta.lib.2. cap.4. pag.193.
Alexander Papa VI.infæudat Terracinam Jo:Borgiæ.lib.1.cap.13.pag.127. plures litteras dat Terracinenſibus. lib.1. cap.13. pag.128. , & ſeq. item lib.2. cap.8. pag.240. , & ſeq. confirmat antiqua privilegia lib.2. cap.8. pag. ut ſupra.
Alphonſus Rex Aragonum eripit Terracinam Eccleſiæ. lib. 1. cap. 12. pag. 116. , & 117. Terracinam venit.ibid. pag.119. Antiqua privilegia confirmat. lib.2. cap.7. pag.235., & ſeq.
Amyclæ Volſcorum Civitas. lib.1. cap.3. pag.28.
Antium Volſcorum Oppidum. lib.1. cap.2. pag.7.
Antrum calidum, ſeu obſcurum Terracinæ. lib.2. cap.13. pag.321.

Anxur olim Terracina dicta. lib.1. cap.2. pag.15. ibid.cap.3.pag.32.
Appia Via.lib.2. cap.13. pag.312., & ſeq.
Apollinis Templum. lib.2. cap.13. pag.308.
Apoſtolicus Viſitator Terracinæ datur à Clemente XI.lib.1.cap.15.pag.157.
Aquinum Volſcorum Civitas lib.1. cap.2. pag.25.
Aquæ Terracinenſes lib.2.cap.12. pag.301., & ſeq.
Arcanum Villa in Volſcis lib.1. cap.2. pag.26.
Arces Terracinenſes. lib.2. cap.13. pag.310.
Arx Circea aſilum Summorum Pontificum.lib.4.cap.4.pag.430.reſtitui præcipitur. lib.2.cap.2. pag.174., & ſeq.
Archipresbyteri Terracinen. lib.3. cap.5. pag.367., & ſeq.
Ariadenus Barbaruſſa Terracinam occupat. lib.1. cap.15. pag.146.
Arpinum Volſcorum Oppidum lib.1. cap.2.pag.26.
Artena Oppidum Volſcorum.lib.1. cap.2. pag.23.
Aſtura, ſeù Stura. lib.1. cap.2.pag.23.
Atina Volſcorum Civitas. lib1. cap.2.pag.26.

B

BAſſianum Caſtrum Terracinen. Diœceſis.lib.4. cap.4.pag.428.
B.Donatus Civis Terracinenſis.lib.5.cap.20.pag.525.
Bella Volſcorum cum Romanis.lib.1. cap.1. pag.4.
Benedictus Papa XII.prohibet aſſumi in Poteſtatem Nobiles ſeditioſos.lib.2. cap.5. pag.213.
B.Felix Terracinenſis Epiſcopus. lib.5. cap.16. pag.524.
Bonifacius Papa VIII. eligitur Poteſtas Terracinæ. lib. 2. cap. 5. pag. 208. permittit Terracinenſibus diſpoſitionem ſuper quibuſdam captivis. lib.2. cap. 5. pag. 210. permittit eiſdem ſibi provideri de victualibus aliunde ibid.pag.ut ſup., & ſeq. Item componit Terracinenſium diſcordias civiles. lib.1. cap.9. pag. 80. privat Terracinenſes facultate eligendi Poteſtatem. ibid.
Bonifacius Papa IX. abſolvit Terracinenſes à crimine rebellionis. lib.1.cap. 10. pag.93. Terracinenſes in quibuſdam delictis extrà Civitatem in judicium trahi prohibet. lib.1. cap. 11. pag. 114. Item poſt Terracinenſium reductionem ad Eccleſiam prohibet exigi fructus bonorum ſtabilium injuſtè in ſchiſmate detentorum. lib.2. cap.7. pag.226. concedit hominibus S.Felicis certum ſpatium Territorii Terracinen.ibid.pag.228., & ſeq.
Breve Gregorii Papæ XIII., quo demandat proventus Civitatis Terracinæ Illuſtriſſimo Theſaurario. lib.1. cap.15. pag.154.
Breve Innocentii VIII., quo confirmat privilegia antiqua Terracinen. lib.1. cap.14. pag.143.
Breve Julii Papæ II. quo confirmat privilegia antiqua Terracinen. ibid. pag.144.

Bulla

Bulla Alexandri III. confirmans ea, quæ diſpoſuerat Hugo Epiſcopus circa Capitulum Terracinen. lib.3. cap.6. pag.370.

Bulla Alexandri IV. confirmans remiſſionem trium vivandarum factam favore Capituli Terracinen. lib.3. cap.7. pag.379., & ſeq.

Bulla Bonifacii Papæ VIII., qua componit civiles Terracinenſium diſcordias, aliaque plura ſaluberrima ordinat. lib.1. cap.9. pag.80., & ſeq.

Bulla Clementis Papæ IV. qua confirmat ea, quæ diſpoſuerat, ac donaverat Gregorius Epiſcopus favore Capituli Terracinen. lib.3. cap.6. pag.373.

Bulla Bonifacii Papæ IX. qua abſolvit Terracinenſes à crimine rebellionis, aliaque plura ſaluberrima ordinat. lib.1. cap.10.pag.93. Altera ejuſdem, qua prohibet eoſdem in quibuſdam delictis extra Civitatem in judicium trahi. lib.1. cap.11. pag.114.

Bulla Gregorii IX., qua confirmat donationem Eccleſiæ S. Joannis de pede montis Sarmineti factam favore Conventus S.Mariæ de Gloria à Gregorio Epiſcopo Terracinen. lib.4. cap.2. pag.402.

Bulla Gregorii Papæ XI. qua abſolvit Terracinenſes à crimine rebellionis. lib.1. cap.10. pag.91.

Bulla Honorii III. confirmans unionem Eccleſiæ Pipernenſis, & Setinæ factam favore Terracinæ. lib.4. cap.5.pag.433. Altera ejuſdem confirmans donationem Eccleſiæ S. Angeli de Campo mellis factam favore Monaſterii Foſſænovæ. lib.4. cap.2. pag.400.

Bulla Martini Papæ V., qua abſolvit Terracinenſes à delictis commiſſis in demoliendo Arcem, & Cives proditores enecando. lib.1.cap.11. pag.107. & altera, qua confirmat privilegia conceſſa à Bonifacio IX. ibid.pag.113.

Bulla Pii Papæ II., qua privilegia antiqua Terracinen. confirmat, proceſſus nonnullos caſſat, aliaque multa ordinat ſaluberrima. lib. 1. cap. 12. pag.121., 125., & ſeq.

Bulla Silveſtri Papæ II., qua donat Civitatem Terracinæ Darferio Comiti, ejuſque filiis, ac nepotibus. lib.1. cap.4. pag.41.

C

Cajetani Cives Terracinenſibus mercimonia auferunt, quæ mandantur reſtitui à Conclavi Cardinalium. lib.2. cap.4. pag.197.

Campaniæ fidelitas erga Sedem Apoſtolicam. lib.1. cap.8. pag.69., & 70.

Canonici Terracinenſes hyeme cum Cappis æſtate cum Cottis ſtabant in Choro. lib.3. cap.7. pag.382., & cap.6. pag.374.ibid.

Capitulum Eccleſiæ Terracinen. Canonicos eligebat. lib.3. cap.7. pag. 381., eligebat quoque proprium ſibi Epiſcopum. ibid. cap.6. pag.368. ejuſdem viri illuſtres. pag.375.

Carolus Quintus Imp. Terracinam venit. lib.1. cap.15. pag.149., & 150.

Caſalis Pompii Donatio. lib.3. cap.7. pag.382.

Caſalis de Flexu Donatio. lib.3. cap.7. pag.384.

Caſſinum Oppidum Volſcorum. lib.1. cap.2. pag.25.
Cathedralitatis Terracinen.ſuper jure abſoluto Deciſio Sac. Rotæ.lib.4.cap.6. pag.437. ſuper eadem materia lites. lib.4. cap.5. pag.432.
Ceccauenſis familia prohibetur ad acceſſu Urbis Terracinæ. lib.1.cap.9.pag. 88., & ſeq.
S.Cæſarius Terracinenſis Patronus. lib.5. cap.2. pag.463., & ſeq. ejuſdem miracula, & translatio. lib.5. cap.3. pag.468. ejus acta ibidem.
S.Cæſarius alter Terracinæ Martyr. lib.5. cap.13. pag.517.
Circeja Arx aſilum Summorum Pontificum lib.4. cap.4. pag. 430. Ejuſdem reſtitutio. lib.2. cap.2. pag.174., & 179.
Circejus Mons. lib.1. cap.2. pag.15.
Civiles diſcordiæ Terracinen. lib.1. cap.9. pag.80., & ſeq., & cap.13.pag. 129., & ſeq.
Clemens Papa Quartus confirmat ea omnia, quæ diſpoſuerat circa Capitulum Terracinen. Gregorius Epiſcopus. Vide Bulla Clem.Pap.IV.
Clemens VII. confirmat Terracinen. antiqua privilegia, & prohibet fieri repræſalias contrà eoſdem. lib.2. cap.9. pag.252.
Clemens XI. mittit Terracinam Viſitatorem Apoſtolicum.lib.1.cap.15.pag. 157., & lib.2. cap.13. pag.318.
Collecta Terracinen. Eccleſiæ. lib.5. cap.21. pag.526.
Coloniæ Romanæ quid. lib.1. cap.3. pag.34.
Conventus S.Dominici. lib.3. cap.3. pag.344.
Conventus S.Franciſci Ordinis Min.Convent. lib.3. cap.3. pag.345.
Cora Volſcorum Oppidum. lib.1. cap.2. pag.17.
Coriola Volſcorum Oppidum. ibid.pag.20.
Creatio Urbani Papæ II. Terracinæ. lib.3. cap.5. pag.362.

D

S. *Damianus Terracinenſis. lib.5. cap.8. pag.493.*
S.A. *Decennovium flumen. lib.1. cap.4. pag.38.*
Deciſio Sacræ Rotæ favore Cathedræ Terracinenſis. Vide Cathedralitat.Terracinæ.
Decretum Sacræ Congregationis Epiſcoporum Regularium ſuper iis, quæ decreverat Viſitator Apoſtolicus.lib.1.cap.15.pag.157.
Diæceſis Terracinenſis deſcriptio. lib 4. cap.4. pag.421.
Diſcordiæ Civiles Terracinen. lib.1. cap.13. pag.128., & 129.
S.Domitilla Virgo, & Martyr. lib.5. cap.10. pag.504., & ſeq.
B.Donatus de Terracina. lib.5. cap.20. pag.525.
Donatio Caſalis de Flexu. lib. 3. cap. 7. pag. 384. Caſalis Pompii. ibidem. pag. 382.

E

Echetra Volſcorum Oppidum. lib. 1. cap. 2. pag. 22.
Eccleſia Cathedralis Terracinæ inſignis eſt Eccleſia. lib. 3. cap. 5. pag. 359., & ſeq.
Eccleſiæ Terracinenſes. lib. 3. cap. 1. pag. 326., & ſeq.
Eccleſia S. Andreæ Apoſt. lib. 3. cap. 4. pag. 359.
Eccleſia S. Angeli, vide Monaſterium.
Eccleſia S. Antonii Abbatis. lib. 3. cap. 2. pag. 342.
Eccleſia S. Barbaræ V., & M. lib. 3. cap. 3. pag. 348.
Eccleſia S. Bartholomæi Apoſt. lib. 3. cap. 2. pag. 343.
Eccleſia S. Catharinæ V., & M. ibid. pag. 342.
Eccleſia S. Cæſarii ruralis. lib. 3. cap. 1. pag. 326.
Eccleſia S. Cæſarii Cathedralis Terracinenſis. lib. 3. cap. 5. pag. 359.; & ſeq. ibid. creatur Urbanus Papa II. pag. 36.
Eccleſia SS. Quatuor Coronatorum. lib. 3. cap. 4. pag. 355.
Eccleſia S. Crucis. lib. 3. cap. 2. pag. 342.
Eccleſia S. Domitillæ V., & M. lib. 3. cap. 4. pag. 358.
Eccleſia S. Donati. lib. 3. cap. 1. pag. 331.
Eccleſia S. Dominici, vide Conventum.
Eccleſia S. Franciſci, vide Conventum.
Eccleſia S. Gregorii Papæ. lib. 3. cap. 3. pag. 351.
Eccleſia S. Jacobi Apoſt. ibid. pag. 349.
Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ in Puſterula. lib. 3. cap. 4. pag. 355.
Eccleſia S. Joannis Beneficiatorum. ibid. pag. 353.
Eccleſia, ſive Oratorium S. Joannis. ibid. pag. 359.
Eccleſia S. Laurentii. ibid. pag. 353.
Eccleſia S. Leonardi de Barchis. lib. 3. cap. 2. pag. 334.
Eccleſia S. Mariæ Baſilicæ novæ. ibid. pag. 343.
Eccleſia S. Mariæ de Capite Silicis. lib. 3. cap. 1. pag. 330.
Eccleſia S. Mariæ Annunciatæ. lib. 3. cap. 3. pag. 347.
Eccleſia S. Mariæ de Gratia. lib. 3. cap. 4. pag. 355.
Eccleſia S. Mariæ de Libera. lib. 3. cap. 2. pag. 344.
Eccleſia S. Mariæ Magdalenæ. lib. 3. cap. 3. pag. 348.
Eccleſia S. Mariæ de Puſterula. lib. 3. cap. 4. pag. 355.
Eccleſia S. Mariæ de Sorreſea. lib. 3. cap. 1. pag. 332.
Eccleſia S. Mariæ de Templo. lib. 3. cap. 4. pag. 359.
Eccleſia S. Mariæ in Varano. lib. 3. cap. 1. pag. 326.
Eccleſia S. Nicolai. lib. 3. cap. 3. pag. 351.
Eccleſia S. Pauli. lib. 3. cap. 1. pag. 333.
Eccleſia S. Rocchi. lib. 3. cap. 3. pag. 349.
Eccleſia S. Sebaſtiani. lib. 3. cap. 3. pag. 350.
Eccleſia Spiritus Sancti. ibid. pag. 351.
Eccleſia S. Stephani, vide Monaſterium.

Eccleſia S.Silviani, alias S.Salvatoris. lib.3. cap.1. pag.327. , & ſeq.
Eccleſia S.Thomæ Apoſt. lib.3. cap.3. pag.350.
Eccleſia SS.Trinitatis. lib.3. cap.2. pag.341.
Eccleſia S.Viti. lib.3. cap.1. pag.334.
S.Eleutherius Tutelaris Terracinæ. lib.5. cap.6. pag.486.
S. Epaphroditus primus Epiſcopus Terracinæ. lib.5. cap.1. pag.460.
Epiſcopi Terracinenſes. lib.4. cap.1. pag.392. , & ſeq. eorundem prima inſtitutio. ibid. pag.393. , & ſeq. ipſorum ſeries. ibid. cap.3. pag.408.
Epiſtolæ, vide Litteras.
Epiſtola Sacræ Congregationis Epiſcoporum Regularium tranſmiſſa Viſitatori Apoſtolico Terracinæ. Vide Decretum.
S.Euſebius Monachus Terracinæ Mart. lib.5. cap.14. pag.518.

F

FAbrateria Volſcorum Oppidum. lib.1. cap.2. pag.24.
Familia de Ceccano prohibetur ab acceſſu Urbis Terracinæ. Vide Ceccanenſis familia.
Familiæ Illuſtres Terracinæ. lib.2. cap.10. pag.263. , & ſeq.
S.Felicitas Diœceſi Terracinen. lib.4. cap.4. pag.429.
B. Felix Terracinenſis Epiſcopus. lib.5. cap.16. pag.521.
S. Felix Presb. , & Mart. lib.5. cap.14. pag.518.
S.Felicis homines in Cives Terracin. adſciti. lib.2. cap.4. pag.196.
Ferentinum Volſcorum Civitas. lib.1. cap.2. pag.24.
Feroniæ Templum. lib.2. cap.13. pag.309.
Ferronum Turris. lib.2. cap.13. pag.313.
Fidelitas antiqua Terracinen. erga Sedem Apoſtolicam. lib.1. cap.10. pag.91. Provinciæ Campaniæ, & Maritimæ. lib.1. cap.8. pag.74. , & 75.
Fines Territorii Terracinen. lib.2. cap.1. pag.164.
Forum Appii. lib.1. cap.2. pag.7.
Fortunæ Templum. lib.2. cap.13. pag.309.
Frajapanorum tyrannides contra Terracinenſes. lib.1. cap.6. pag.57. eorundem pacis inſtrumenta. lib.2. cap.1. pag.167. , & 168.
Fregellæ Oppidum Volſcorum. lib.1. cap.2. pag.24.
Fructus Terracinenſes. lib.2. cap.12. pag.300.
Fruſino Volſcorum Oppidum. lib.1. cap.2. pag.23.
Fundator Civitatis Terracinæ. lib.1. cap.3. pag.29. , & ſeq.

G

GElaſius Papa II. Terracinam confugit. lib.1. cap.9. pag.89.
Gothi Italiam penetrant. lib. 1. cap. 4. pag. 37. ab. Italia pelluntur ibid. pag.38.

Digitized by Google

Gregorius Papa donat Terracinenſibus Terracinam. lib.2. cap.1. pag.165. ſuſcipit ſub ſua protectione Eccleſiam Terracinen. lib.3. cap. 5. pag.365.

Gregorius VII. Terracinam venit, ubi dat litteras. lib.1. cap.7. pag.65.

Gregorius IX. Roccam Circei mandat cuſtodiri per Terracinenſes.lib.2. cap. 3. pag.183.

Gregorius V. mandat Vicario Vrbis ne afficiat moleſtiis Terracinenſes, & Pipernenſes. lib. 2. cap. 4. pag. 198. Admonet Carolum Siciliæ Regem, ut compeſcat Regnicolos à moleſtiis illatis Terracinen.ibid. pag.200.

Gregorius XI. abſolvit Terracinam à crimine rebellionis. lib.1.cap.10.p.91.

Gregorius XIII. confirmat Terracinen. antiqua privilegia. lib.2.cap.9.pag. 260., & ſeq. Proventus Civitatis Terracinæ committit curæ Illuſtriſſimo Theſaurario animo ædlficandi novam Vrbem. lib.1. cap.15.p.154., & ſeq.

Gregorius Epiſcopus Terracinen. donat Canonicis ejuſdem Civitatis multas poſſeſſiones. lib.3. cap.7. pag.380.

S. Gregorius Magnus dat litteras Terracinen. lib.3. cap.6. pag.369., & lib. 4. cap.1. pag.394., & ſeq. ſcribit Petro Epiſcopo Terracinen. lib.4. cap. 1. pag. ut ſup. Agnello. pag.396. Conſtantio Panhormitano Epiſcopo. ibid. pag.397.

Gubernium Terracinæ tribuitur Ladislao Siciliæ Regi. lib.1. cap. 11. p.103.

H

HElvidius Priſcus Terracinen. Heros. lib.2. cap.10. pag.264.

Honorius Papa III. confirmat unionem Eccleſ. Pipernenſis, & Setinæ factam fauore Terracinen. lib.4. cap.5. pag.433. confirmat quoque donationem Eccleſiæ S. Angeli de Campomellis factam fauore Monaſterii Foſſæ nouæ. lib.4. cap.2. pag.400. Commendat demum Tarracinen. Henricum Traciapan. lib.2. cap.3. pag.181., & 182.

I

IAnuenſes cum 32. galeis liberant Terracinam à tyrannide Comitis fundorum. lib.1. cap.6. pag.372.

Ianus fundator Terracinæ. lib.1. cap.3. pag.29., & ſeq. cur bifrons exprimatur ibid. cap.31. eius templum ibid. pag.29., & lib.2. cap.13. p. 308.

Idioma Volſcorum. lib.1. cap.1. pag.2., 3.

Iohanna Regina II. ſatagit tradere in gubernium Terracinam Iacobo de Columna. lib. 1. cap. 11. pag. 105. eadem ſuper re ſcribit Terracinæ ibidem pag. 106.

Ioannes de Ceccano excitat ſeditiones in Pontificem. lib.1. cap. 9. pag. 79., & ſequen.

Ioannes Maria de Monte S. R. E. Cardinalis obviam venit Carolo Quinto Imp. Terracinæ. lib.1. cap.15. pag.148., & 149. aſſumitur in protectorem

rem

rem à Terracinenſibus. lib.1. cap.15. pag.150.

Ioannes Pazaglia vir ſtrenuus Terracinam liberat à manibus hoſtium . lib.1. cap.12. pag.120.

Iordanus Peruntus S. R. E. Cardinalis de Terracina. lib.2. cap.10. p.269.

Innocentius Papa III. componit Trajapanes , ac Terracinenſes diſſidentes . lib. 2. cap. 2. pag. 173., & ſeq. Præcipit Terracinen., ut ſibi caveant à verſutiis Otthonis Imp. ibid.

Innocentius IV. præcipit opem ferri Terracinæ à Romanis obſidendæ . lib. 1. cap.7. pag.59., 61., 62., 64., & ſeq.

Innocentius VII.tradit in gubernium Terracinam Ladiſlao Siciliæ Regi.lib.1. cap.11. pag.102.

Innocentius VIII. ſignificat Terracinen. ſe electum Pontificem. lib.1. cap.14. pag.143., ſe non alienaturum Terracinam. lib.1. cap.12. pag.126.

Inſcriptiones Terracinæ inventæ. lib.2. cap.13. pag.308.

Inſula Pontia Diœceſis Terracinen. lib.4. cap.4. pag.431.

Inſulæ Volſcorum. lib.1. cap.2. pag.17., & ſeq.

Interamna opidum Volſcorum. lib.1. cap.2. pag.25.

Iudæos Terracinæ exiſtentes in Urbem compulit Paulus quartus. lib.1. c.15. pag. 149. ibidem manere permittit Pius II. lib. 1. cap. 12. pag. 125., & 129.

Iulius Papa II. ſignificat Terracinen. ſe electum Pontificem. lib. 1. cap. 14. pag.140. confirmat eiſdem antiqua privilegia ibid. pag.144. Item prohibet frui privilegiis Civium Terracinen. homines exteros in Cives aſſumptos . lib.2. cap.8. pag.215. mandat eligi in Judices , ac Poteſtates Terradinen. juris Doctores ibid. pag.246.

Iulius Papa III. remittit Terracinen. quandam pecuniæ ſummam, ut alveum fluminis ex purgant, & mænia urbis reficiant. lib.2.cap.9. pag.256.

S. Julianus Presb., & Mart. lib.5. cap.2. pag.463., & ſeq.

Iuramentum fidelitatis Innocentio III. à Terracinenſibus delatum. lib. 2. cap.2. pag.174.

L

Ladiſlaus Siciliæ Rex in gubernium Terracinam accipit ab Innocentio Papa VII. lib.1. cap.11. pag.102.

Lautulæ prope Terracinam quid. lib.1. cap.3. pag.28.

Leo Papa X. ſignificat Terracinen. ſe electum Pontificem . lib. 1. cap. 14. pag.141. Idem prohibet cædi ligna fructifera in ſilvis Terracinen. lib.2. cap.9. pag.249.

S. Leontius Terracinæ. lib.5. cap.18. pag.523.

Litteræ in forma Brevis , vide litteras .

Litteræ Alexandri Papæ IV. quibus præcipit Romanis ne afficiant moleſtiis Terracinenſes. lib.1. cap.8. pag.69. aliæ quibus mandat Terracinenſibus,

ut

Digitized by Google

ut capiant eos, qui nomen dederant militiæ Principis Manfredi ibid. p. 72.

Litteræ Alexandri Papæ VI. datæ Terracinen. lib. 2. cap. 8. pag. 240., & ſeq., & lib. 1. cap. 13. pag. 128., 129.

Litteræ Benedicti XII. directæ Terracinen. lib. 2. cap. 5. pag. 213., & 214.

Litteræ Conclavis Cardinalium, quibus ſignificant electionem Summi Pontificis Innocentii VIII. lib. 1. cap. 12. pag. 121.

Litteræ S. Gregorii Magni. lib. 3. cap. 6. pag. 309., & lib. 4. cap. 1. pag. 397. & ſequen.

Litteræ Gregorii Papæ IX. quibus Roccam Circei mandat cuſtodiri per Terracinenſes. lib. 2. cap. 3. pag. 183.

Litteræ Gregorii X. quibus mandat Vicario Urbis ne moleſtiis afficiant Terracinen., & Pipernen. lib. 2. cap. 4. pag. 198.

Litteræ Gregorii XIII. datæ Terracinenſibus. lib. 2. cap. 9. pag. 260., & ſequen.

Litteræ Honorii Papæ III. datæ Terracinen. lib. 2. cap. 3. pag. 182., & ſequen.

Litteræ Joannis Papæ XXII. datæ Andreæ Epiſcopo Terracinen. Vicario Pontificio in Urbe. lib. 4. cap. 2. pag. 401.

Litteræ Joannæ Reginæ II. de reſtituenda Terracina. lib. 1. cap. 11. pag. 105. & ſeq. Aliæ ejuſdem datæ Terracinen. lib. 2. cap. 7. pag. 231., & ſeq.

Litteræ Innocentii III. quibus mandat Terracinen. ut ſibi caveant ab Otthonis Imp. verſutiis. lib. 1. cap. 6. pag. 58., & aliæ eiuſdem quibus ſatagit pace componere Terracinenſes cum Frajapan. lib. 2. cap. 2. pag. 401., & ſeq. ac demum aliæ, quibus præcipit Terracinen. ut reſtituant Arcem Circeam. lib. 2. cap. 2. pag. 28.

Litteræ Innocentii IV. Privilegiales. lib. 2. cap. 3. pag. 188., & ſeq. ac demùm aliæ quibus præcipit, opem ferri Terracinæ obſidendæ à Romanis. lib. 1. cap. 7. pag. 65., & ſeq.

Litteræ Innocentii VIII. quibus ſignificat ſe electum Pontificem. lib. 1. c. 14. pag. 170., & aliæ quibus ſignificat ſe non alienaturum Terracinam. ibid. cap. 12. pag. 130.

Litteræ Julii Papæ II. quibus ſignificat ſe electum Pontificem. lib. 1. cap. 14. pag. 161.

Litteræ Ladislai Siciliæ Regis datæ Terracinen. lib. 2. cap. 7. pag. 231., & ſeq., & aliæ quibus notificat Terracinen. ſibi conceſſam Terracinam in gubernium. lib. 1. cap. 11. pag. 106.

Litteræ Leonis X. quibus ſignificat Terracinen. ſe electum Pontificem. lib. 1. cap. 14. pag. 170. aliæ ejuſdem datæ Terracinen. ſuper aliis materiis. lib. 2. cap. 9. pag. 243.

Litteræ Martini Papæ V., quibus ſignificat ſuam promotionem ad Pontificatum Terracinen. lib. 1. cap. 14. pag. 143., & aliæ quibus vocat Terracinenſes prædilectos S. R. E. lib. 2. cap. 7. pag. 233.

Litteræ Nicolai Papæ III., quibus mandat Senatori Urbis ne afficiat moleſ-

ſtiis Terracinen. Pipernen., & Setinos. lib.2. cap.5. pag.205., aliæ ejuſdem quibus præcipit Terracinen., Pipernen., & Setinis ne obediant Senatori Urbis. ibid. pag.210.

Litteræ Nicolai Papæ IV., quibus acceptat Officium Poteſtariæ Terracinen. lib.2. cap.15. pag.207., aliæ ejuſdem, quibus præcipit Senatori Urbis, ut caſtiget Cives Romanos, qui depopulati erant Terracinam, ibid. pag.206., & demùm aliæ, quibus prohibet familiam de Ceccano ab acceſſu Terracinæ. lib.1. cap.9. pag.50.

Litteræ Pii Papæ II. datæ Terracinen. lib.1.cap.12. pag.121.

Litteræ Roberti Siciliæ Regis datæ Terracinen. ut obediant Rectoribus Campaniæ. lib.2. cap.6. pag.212. pro ineunda pace cum Comite Fundorum, ibid. pag.213.

Litteræ Senatorum Urbis datæ Terracinen. lib. 2. cap. 3. pag. 200., & ſequen.

Litteræ Pauli III. datæ Terracinen. lib.2.cap.9.pag.244.

Longula Volſcorum Oppidum.lib.1. cap.2. pag.21.

Lucius Papa III. Eccleſiam Terracinæ ſub ſua protectione ſuſcipit. lib.3. c.5. pag.364., & ſeq.

M

Magentia Diœceſis Terracinen. lib.4. cap.4. pag.466.

Maijæ Deæ Templum. lib.2. cap.13. pag.309.

Marcius Collis, ſeu Mons. lib.1. cap.2. pag.22.

Martinus Papa V. ſignificat Terracinen. ſe electum Pontificem. lib. 1. c.14. pag.148. abſolvit eoſdem à pœnis promeritis in demoliendo arcem, & Cives proditores enecando. lib. 1. cap.11. pag. 115., confirmat privilegia conceſſa à Bonifacio IX. lib.1. cap.11. pag.122.

Martyres Terracinenſes plures. lib.5. cap.22. pag.527.

Martyrium Sanctarum Virginum Domitillæ, Euphroſinæ, & Theodoræ. lib.5. cap.12. pag.514.

Martyrium Sanctorum Nerei, & Achillei, lib.5. cap.11. pag.512.

Martyrium Sanctorum Valentini, & Damiani. lib.5. cap.8. pag.493.

Menſa Epiſcopalis communis erat cum Canonicorũ menſa. lib.3. cap.7. p.378.

Metropolis Oſcorum, Volſcorumque. lib.1. cap.1. pag.6.

Minervæ Deæ Templum. lib.2. cap.13. pag.308.

Monaſterium S. Angeli. lib.3. cap.3. pag.344.

Monaſterium Foſſænovæ. lib.4. cap.4. pag.481.

Monaſterium S. Stephani Terracinæ. lib.4. cap.2. pag.341., & ſeq. Ejuſdem conſtructio ibidem.

S. Montanus Mart. Terracinæ. lib.5. cap.19. pag.524.

Matrimonii incommoda. lib.5. cap.10. pag.504.

N

S. Nereus, & Achilleus. lib.5. cap.10. pag.503., & ſeq.
S. Neptunium Oppidum. lib.1. cap.2. pag.13.
Neptunius fons Terracinæ. lib.2. cap.12. pag.296.
Nicolaus Papa III. mandat Senatori Vrbis nè afficiat moleſtiis Terracinen., Pipernen., & Setinos. lib. 2. cap. 5. pag. 201. item mandat Terracinen., Pipernen., & Setinis nè obediant Senatori Vrbis, ibid. pag.203.
Nicolaus Papa IV. eligitur Poteſtas Terracinæ. lib.2. cap. 5. pag. 207. acceptat tale officium ibid. prohibet familiam de Ceccano acceſſu Terracinæ. lib.1. cap.9. pag.80.
Norba Volſcorum Oppidum. lib.1. cap.2. pag.17.
Numiſmata Terracinæ iuventa. lib.2. cap.13. pag.321.

O

Officialium Terracinen. numerus ex novem redigitur ad quatuor. lib.1. cap.15. pag.171.
Origo Oſcorum, Volſcorumque. lib.1. cap.1. pag.2.
Oſci Populi qui. lib.1. cap.1. pag.1., & ſeq.
Oſcorum Metropolis. lib.1. cap.1. pag.4.
Oſcorum Origo. lib.1. cap.1. pag.3., & ſeq.
Oſcorum Regio. lib.1. cap.2. pag.5., & ſeq.

P

Pacis concluſæ inter Nobiles, & Ignobiles Terracinæ memoria. lib. 1. cap.13. pag.177. iuitæ inter eoſdem capitula, ibid. pag.139., & ſeq. initæ inter Terracinen., & Comitem Fundorum. lib.2. cap. 6. pag.217., & 219., & ſeq. inter Terracinen., & Cajetanos, ibid. pag.223. inter Terracinen., & Setinos. lib.2. cap.2. pag.240. cum Populo Conchæ ibid. p.231.
Parochiæ Terracinen. quot. lib.1. cap.1. pag.61.
Paſchalis Papa II. Terracinam venit, ibique litteras ſcribit. lib.1. c.5. p.46.
Paulus Papa II. confirmat Terracinen. electionem Judicis ab ipſis factam. lib.2. cap.8. p.234. Eiſdem commendat Ductorem Gentium armiger S.R.E. ibid. pag.245.
Paulus Papa III. confirmat Terracinen. antiqua privilegia. lib. 2. cap. 9. pag.252. approbat reductionem Officialium Terracinen. ex novem ad quatuor. lib.1. cap.15. pag.154.
Paulus Papa IV. ſuo ſtemmate Terracinenſium ſtemma exornat. lib.1. cap.15. pag.164. vinum Terracinen. hauriebat. lib.2. cap.12. pag.302., & ſeq.
Peſculum Montanum. lib.2. cap.13. pag.311.
Pius Papa II. ſcribit Terracinen. ut præſtent tutum, & commodum iter gen-

Digitized by Google

tibus Regis Francorum. lib.2. cap.8. pag.244. ſcribit Ferdinando Regi de recuperatione Terracinæ, ibid. pag. 238. Tradit in Vicariatum Terracinam eidem cum annuo cenſu unius equi albi. lib.1. cap. 12. pag. 129., & ſeq. recuperat Terracinam Eccleſiæ, ibidem pag. 130. confirmat antiqua privilegia Terracinen., & nonnullos proceſſus caſſat, ibid.pag.132.

Peluſca Volſcorum Oppidum. lib.1. cap.2. pag.2.

Pometia Volſcorum Civitas. lib.1. cap.2. pag.19.

Pomptina palus. lib.1. cap.2. pag.8.

Pomptinæ paludis exiccatio. lib.1. cap.2. pag.11., & ſeq.

Pontia Inſula Volſcorum. lib.1. cap.2. pag.15.

Portus Terracinenſis. lib.2. cap.13. pag.315., & ſeq.

Priapus in muris Terracinæ quid ſibi velit. lib.1. cap.3. pag.28.

Privernum Volſcorum Oppidum. lib.1. cap.2. pag.18. Diœceſis Terracinenſis lib.4. cap.4. pag.418.

R

Regio Oſcorum, Volſcorumque. lib.1. cap.2. pag.11., & ſeq.

Reliquiæ Sacræ Terracinen. Eccleſiæ. lib.3. cap.7. pag.374.

Riccardus de Ceceano Archipresbyter Terracinen. privatur dignitate à Bonifacio VIII. lib.1. cap.9. pag.65.

Riccardus Roſa Civis Terracinenſis. lib.2. cap.10. pag.163.

Rocca Augurga Diœceſis Terracinen. lib.4. cap.4. pag.419.

Rocca Sicca Diœceſis Terracinen. lib.4. cap.4. pag.421.

S

Sancta Felicitas Caſtrum Diœceſis Terracinenſis. lib.4. cap.4. pag.415.

Sancti Terracinen. lib.5. cap.1. pag.459., & ſeq.

Satricium Oppidum Volſcorum. lib.1. cap.2. pag.16.

Saturnus Terracinam à Jano Rege accipit, eamque novis ædificiis condecorat. lib.1. cap.3. pag.29.

Series Epiſcoporum Terracinen. lib.4. cap.3. pag.405.

Sermoneta Oppidum Volſcorum. lib.1. cap.2. pag.18. Diœceſis Terracinen. lib.4. cap.4. pag.462.

Setia Volſcorum Oppidum. lib. 1. c.2. pag. 18. Terra eſt Latii Diœceſis Terracinen. lib.2. cap.7. pag.235., & ſeq. item lib.4. cap.4. pag. 415.

Signia Civitas Volſcorum. lib.1. cap.2. pag.19.

Silveſter Papa II. donat Civitatem Terracinæ Darferio Comiti. lib.1. cap.4. pag.40.

S. Silvia, & Rufina. lib.5. cap.21. pag.526.

S. Silvianus Tutelaris Terracinæ. lib.5. cap.4. pag.477. ejuſdem translatio lib.5. cap.5. pag.480.

Sixtus Papa V. Terracinam venit animo ædificandi Portum, & Urbem no-

vam

vam. lib.1. cap.15. pag.175. introitus Terracinenſes Illuſtriſſimo Theſaurario committit, ibid. pag.174.

Somninum Diœceſis Terracinen. lib.4. cap.4. pag.412.

Sora Volſcorum Civitas. lib.1. cap.2. pag.19.

S.Specioſus Terracinæ. lib.5. cap.17. pag.522.

Stemma Terracinen. lib.2. cap.1. pag.282. ibid. cap.5. pag.280.

Stura Turris, & fluvius. lib.1. cap.2. pag.10.

Suburbia Terracinen. lib.1. cap.5. pag.52.

Sueſſa Pometia Volſcorum Civitas. lib.1. cap.2. pag.16.

T

Theatra Terracinen. lib.2. cap.13. pag.316., & ſeq.

Theodoricus Gothorum Rex Paludes Pomptinas exiccat. Vide Pomptina Palus.

Templa Sacra, vide Eccleſias.

Templa prophana Terracinæ. lib.2. cap.13. pag.306. Apollinis ibid. p. 30. Feroniæ 308. Fortunæ. 309. Jani 612. Jovis Anxuris 306. Majæ Deæ. pag.307.

Tenuta ſaltus Terracinen. lib.2. cap.5. pag.184., & ſeq.

Terracina, alias Tarracena Oſcorum, Volſcorumque Metropolis. lib.1. c. 1. pag.4., & ſeq. olim vaſtiſſima erat Civitas ibid. pag.5. dicebatur Anxur lib.1. c.2. p.17., & c.3. p.24. Fundatur à Jano ibid. p.25., & 26. Novis ædificiis ornatur à Saturno ibid. p.29. Unde dicta Anxur. p.30., & 31. Quo loco poſita erat, ibid. p.30., & 31., quàm vaſta fuerit p.29. Expugnatur à Romanis opulenta Civitas, & hinc ſtipendium militibus incipit dari, ibid. pag.32. Evadit Romanorum Colonia, & inde Municipium ibid. pag.33. frequentatur ſeceſſibus Romanorum Principum. p.34.

Terracina convertitur ad Chriſtum opera Principis Apoſtolorum lib.1. c.4. p.36. vaſtatur, & diripitur à Gothis ibid. p.35. Recuperatur iterum expulſis Gothis. p.38. tranſit in Longobardorum manus ibid. p.42. Invaditur ab Archide Duce Beneventano. p.39. à Saracenis. p.40., & 41. Donatur Darferio Comiti à Silveſtro Pap.II. p. ut ſup.

Terracina tribuitur Deſiderio Abbati Caſſinen. ab Alexandro Pap.II. lib.1. c.5. p.43. Frequentatur à Summis Pontificibus, ibid. p.45., & ſeq. Capta eſt ſub Eugenio Pap.III. ibid. p.47. Suburbia plura habuit. p.52. Occupatur à Frajapan. lib.1. c.6. p.53. à Comite Brennenſi, ibid. p. 58. An fuerit feudum Frajap. ibid. p.60. Eſt ſpecialis Patrimonii S.Petri. lib.1. c.7. p.62., & lib.2. c.4. p.193.

Terracina exempta erat ab onere mittendi exercitus contrà rebelles Eccleſiæ. lib.1. c.8. p.78., & ſeq. Erat Viris decorata prudentibus, conferta divitiis, & delitiis affluens. lib.1. c.9. p.88. Divexatur à Comite Fundorum. lib.1. cap.10. pag.97. Seſe dedit in manus Roberti Siciliæ Regis, ibidem pag.98.

Digitized by Google

pag.98. Subjecta eſt Romana Eccleſia. lib.1. cap.10. pag.108.

Traditur in Gubernium Ladislao Siciliæ Regi. lib. 1. cap.11. pag.120. Eripitur Eccleſiæ ab Alfonſo Rege Aragonum. lib. 1. cap.12. pag.125. Conceditur in Vicariatum Ferdinando Siciliæ Regi à Pio Papa II. lib.1. cap. 12.p.129.,& 130. Datur in feudum Jo: Borgiæ ab Alexandro Papa VI. Vide Alexander Papa VI.

Terracina dirripitur ab Ariadeno Barbaruſſa. lib. 1. cap.15. pag.155. Sub Paulo Papa III. redacta ex mille ad ducenta focularia ibid. pag. 160. ſub Paulo Papa IV. ab Albenſi Duce diripitur ibid. pag. 161. Deſolata poſt Sixtum V. ſylveſcere incipit pag. 166. Donatur Terracinenſibus à Papa Gregorio. lib.2. cap.1. pag.162. A Comite Fundorum obſidetur, & liberatur à 32. galeis Jannenſium. lib. ibid. pag. 222. in ſummam pauperiem incidit ibid.pag.257. Præſidii locus fuit ex Ducibus Romanis.lib.2.cap.13. pag.313., & ſeq. Terracina ſubterranea ibid.pag.319.

Terracinæ expugnatio. lib.1.cap.3.pag.32. ſtatus ampliſſimus. lib.1. cap.4. pag.36. Veſtes Pontificias deponit Victor Papa III. lib.1. cap.5. pag.45. ibidem creatur Urbanus Papa II.pag.46.dat litteras Paſchalis Papa II. pag.46. Aſylum fuit Gelaſio Papæ II. pag.47. Alexandro Papæ III.pag. 49. Ejuſdem Suburbia pag. 52. Dominus Terracinæ eſt Summus Pontifex. lib.1. cap.9. pag.72. Terracinæ concordiæ leges initæ ſunt inter Eugenium Quartum, & Alphonſum Regem Aragonum. lib.1. cap.12. pag.127. In villa Terracinæ naſcitur Sergius Galba Imp.lib.2. c.10. pag.270.

Terracinenſes olim Viri fortes. lib. 1. cap. 2. pag. 6. deſciſcunt à Ferdinardo Siciliæ Rege ſeſeque dedunt in manus Pii Papæ II.lib.1. cap.12. pag.129. & lib. 2. cap. 8. pag. 237. ſibi aſſumunt in Protectorem Eminentiſſimum Cardinalem Jo: Mariam de Monte lib.1.cap.15. pag.158. Variis legibus circumventi ſunt à Frajapanibus.lib.2.cap.1.pag.172. Vexantur à Regnicolis circa Tenutam ſaltus ibid. cap. 4. pag. 203. S. R. E. Fideles. lib. 2. cap.3. pag.212., & 213. Pacem initam rumpunt ſub Bonifacio VIII.ibid. pag.214. Seſe dedunt in manus Roberti Siciliæ Regis. lib.2.cap.6.pag.223. Conſulem Cajetæ habuerunt ibid.pag.224. abſolvuntur à quibuſdam delictis per Franciſcum S. R. E. Cardinalem Vicarium Generalem Gregorii Papæ XI. ibid. pag.224. Deſciſcunt à Sede Apoſtolica. lib. 2. cap.7. pag. 227. Capiuntur à Duce Albæ. lib. 2. cap. 9. pag. 250. Incidunt in extremam pauperiem ibid. pag.255. De mille focularibus ad centum rediguntur ibid.pag.260.

Terracinenſes portæ. lib.1.cap.5.pag.51. mores, ac leges.lib.2.cap.1. p.168. divitiæ,ac deliciæ ibid.pag.169. piæ largitiones ibid. pag.171. familiæ, ac viri illuſtres. lib.2. cap.10. pag.261., & ſeq.Terracinen. fructus.lib.2. cap.12. pag. 296. Aqua ibid.pag.298., & ſeq. Vinum ibid. pag.302.,& ſeq. Aer ibid. pag.304. Arces. lib.2.cap.13.pag.309. Portus ibid.p.315. & ſeq.Theatra. ibid.p. 316.,& ſeq. Eccleſia.lib.3. cap.1.p.323.Diœceſis. lib.4. cap.4.p.450.Sancti. lib.5.cap.1. p.459.

Ter-

Territorium Terracinen. lib.1. cap.1. p.3., & lib.1. cap.4. p.41., & lib.2. cap.11. p.285.. & ſeq.
Tres Tabernæ, ſeù Ciſterna. lib.1. cap.2. p.21.

V

S. *Valentinus Epiſcopus Terracin. lib.5. c.8. p.456.*
S. *Velitræ Civitas Volſcorum. lib.1. c.2. p.15.*
Verrugo Volſcorum Oppidum. lib.1. c.2. p.16.
Via Appia. lib.2. c.14. p.318., & ſeq.
Viæ publicæ ad fontanellas ſub Terracina dilatatio. lib.1. c.8. p.74.
Victor. Papa III. Pontificia ornamenta Terracinæ deponit. lib. 1. c.5. p.45.
Vinum Terracin. lib.2. c.12. p.302., & ſeq.
Viſitator Apoſtolicus Terracinam mittitur. lib.2. c.12. p.260.
Volſci Populi qui. lib.1. c.1. p.1., & ſeq.
Volſcorum bella cum Romanis ibid. p.4.
Volſcorum Inſulæ. lib.1. c.2. p.13.
Volſcorum Lingua, ſeù Idioma. lib.1. c.1. p.4., & 5.
Volſcorum Metropolis. lib.1. c.1. p.2.
Volſcolum origo ibid. p.2.
Volſcorum Regio. lib.1. c.2. p.7., & ſeq.
Urbanus Papa II. Terracinæ creatur Pontifex. lib.1. c.5. p.42., & lib.3. c.5. p.325.
Urbanus Papa IV. confirmat Terracinenſibus Doanam Salis. lib. 1. cap. 4. pag.165.

F I N I S.

4199 c 49t